

H 270  
A

COLL. CHRISTI REGIS  
BIB. MAJ.  
TORONTO



ENCHIRIDION  
HISTORIAE ECCLESIASTICAE  
UNIVERSAE


AUCTORE

P. ALBERS S. J.

AD RECOGNITAM ET AUCTAM EDITIONEM NEERLANDICAM  
ALTERAM IN LATINUM SERMONEM VERSUM

TOMUS I

AETAS PRIMA SEU CHRISTIANA ANTIQUITAS  
ANNIS 1—692




COLL. CHRISTI REGIS  
BIB. MAJ.  
TORONTO

NEOMAGI IN HOLLANDIA  
SUMPTIBUS L. C. G. MALMBERG  
MDCCCCIX

PROSTAT APUD:

DESCLÉE & C.,  
EDITOREM PONTIFICIUM,  
ROMAE.

B. HERDER,  
TYPOGRAPHUM EDITOREM PONTIFICIUM,  
FRIBURGI BRISGOVIAE.



17144

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

NIHIL OBSTAT.

fr. D. WEVE. O. P.

*Libr. Censor.*

NEOMAGI, 27 Juli 1909.

EVULGETUR.

J. POMPEN.

*Vicarius-Gen. Busc.*

BUSCODUCI, die 29 Julii 1909.

## PRAEFATIO AD EDITIONEM PRIMAM NEERLANDICAM.

---

Negotio vix ad me delato ut me ad docendam historiam ecclesiasticam exercerem, cepi consilium, paelectiones ea ratione praeparandi, ut suo tempore in engridion colligari possent. Quarum editionem nunc eo libentius aggressus sum, quod historiae ecclesiasticae liber manualis, qui nonnihil majora postulantibus probetur, lingua nostra conscriptus hucusque non est.

Quodsi hoc opus primum destinatur usui clericorum instructionique eorum qui sacerdotes futuri sunt, tamen laici, hodierna eruditione imbuti, quibus tam saepe de re aliqua gravis momenti ecclesiasticorum annalium memoria est replicanda, hic non solum quaestionum suarum breve, atque, ut spero, lucidum responsum invenient, verum etiam inscriptiones eorum operum, quae ad accuratius res explorandas requiruntur. Nomina auctorum, qui de iisdem fere rebus scripserunt, singulis paragraphis praeficiuntur, in annotationibus vero, ad calcem paginae, fontes, nonnulli libri et verba allata congesta sunt. De aestimandis auctorum libris vix quidquam referre potui; eo quod primo operum numerus ingens, spatium in libro manuali angustum est, dein neque alii ante me id fecerunt. Optimi quique auctores ab omni judicio abstinuerunt, ne paucis tantummodo verbis utentes judicium minus rectum ederent. Ceterum qui magistri sunt, habent ipsi suum de auctoribus judicium; qui vero ope enumeratorum operum penitus res indagare voluerint, sunt ii matuiore ingenio censendi, quo errandi periculum evitent. Confido equidem me ad singulas fere paragraphos optima quaeque opera enumerasse.

Quum plurimum necesse fuerit in tractanda materia diligenter delectum habere, tamen existimavi in Neerlandico engridio paragraphos de patrologia et de arte ecclesiastica desiderari non debere; idque eo minus quod apud nos neque adsint qui haec docendo profiteantur, neque hujus generis liber manualis

prostet. Cui tamen negotio non nisi tenuis locus assignari potuisse sua sponte intelligitur.

Quod demum opus ubere sua benedictione Deus prosequatur ac fructus edere faciat ad magnam cleri et laicorum in Neerlandia utilitatem.

P. ALBERS, S. J.

Trajecti ad Mosam die festo Ascensionis Dni, 1905.

---

## PRAEFATIO AD EDITIONEM ALTERAM NEERLANDICAM.

In altera hac editione eadem divisio, quae in priore, servata est. Quae addita sunt iisdem paragraphis et numeris continentur. Est tamen incrementum non exiguum. Satisfactum est enim non solum aequo nonnullorum desiderio, verum etiam novissimis rerum explorationibus. Quare confido librum denuo ad normam nuperrimae esse scientiae historicae adactum.

Faxit Deus ut haec altera editio ne minus probetur neve minus emolumentum afferat quam prior.

P. ALBERS, S. J.

Trajecti ad Mosam die festo S. Thomae Aq., 1908.

---

## PRAEFATIO AD EDITIONEM LATINAM.

Primo omnibus iis qui ad editionem hanc latinam adornandam aliquid contulerunt, gratias ago quam maximas. Praesertim indefesso translatori, qui, quamvis pro versione numeris omnibus absoluta summam mereatur laudem, tamen nomen apponere constanter detrectat. Precor enixe, ut Deus illi laborem tam assiduum atque improbum ample rependat. Dein hoc loco indicandum esse censeo quod titulus libri tacet; editionem nempe latinam non meram esse versionem, sed versionem ab auctore denuo penitus recognitam et satis auctam, ita ut post Neerlandicam secundam editio latina revera tertia dici possit.

Ceterum Deus Optimus Maximus largam libro lectorique benedictionem suam impertiat.

P. ALBERS, S. J.

Trajecti ad Mosam die festo Pentecostes, 1909.

Enitendum magnopere, ut omnia ementita et falsa,  
adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud imprimis  
scribentium obversetur animo, *primam esse historiae*  
*legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid*  
*veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scri-*  
*bendo, ne qua simultatis.* — Est autem in scholarum  
usum confectio commentariorum necessaria, qui  
salva veritate et nullo adolescentium periculo ipsam  
artem historicam illustrare et augere queant.

Epist. LEONIS PP. XIII, d. 18 Aug. 1883.

B Q X  
77  
. A 33

## CORRIGENDA.

---

Pagina	2	linea	3	<i>coaliscere</i>	corrigē	<i>coalescere.</i>
„	4	,	5	<i>crecit</i>	,	<i>crevit.</i>
„	38	,	17	<i>pouitt</i>	,	<i>potuit.</i>
„	41	,	10	<i>omnio</i>	,	<i>omnino.</i>
„	65	,	1	<i>hataeria</i>	,	<i>haeteriae.</i>
„	79	,	4	<i>publica</i>	,	<i>publicae.</i>
„	82	,	17	<i>Purpureus</i>	,	<i>Purpureus.</i>
„	87	,	10	<i>nihilominius</i>	,	<i>nihilominus.</i>
„	91	,	5	<i>Phoenicae</i>	,	<i>Phoeniciae.</i>
„	91	,	16	<i>Boloniae</i>	,	<i>Bononiae.</i>
„	94	,	2	<i>auctoratis</i>	,	<i>auctoritatis.</i>
„	95	,	15	)	,	6).
„	102	,	33	<i>episcopo</i>	,	<i>episcopi.</i>
„	150	,	3	<i>Apocalipsis</i>	,	<i>Apocalypsis.</i>
„	158	,	19	<i>fragfragmentum</i>	,	<i>fragmentum.</i>
„	185	,	4	<i>Saxoniis</i>	,	<i>Saxonibus.</i>
„	185	,	14	<i>Romanum</i>	,	<i>Romanam.</i>
„	186	,	17	<i>Britannia</i>	,	<i>Britannia.</i>
„	207	,	11	<i>donastisticis</i>	,	<i>Donatisticis.</i>
„	218	,	5	- <i>versio</i>	,	- <i>versia.</i>
„	221	,	2	ab <i>infra Aegytiacos</i>	,	<i>Aegyptiacos.</i>
„	240	,	7	<i>propexit</i>	,	<i>prospexit.</i>
„	243	,	13	<i>provinciis</i>	,	<i>provincia.</i>
„	248	,	17	<i>Laodicenses</i>	,	<i>Laodicensis.</i>
„	249	,	10	<i>Arelianensis</i>	,	<i>Aurelianensis.</i>

---

# INTRODUCTIO.

## I.

DEFINITIO, DIVISIO, FONTES, SCIENTIAE AUXILIARES, LIBRI  
QUI TRACTANT HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

---

*C. De Smedt* S. J., *Introductio generalis ad historiam ecclesiasticam* critice tractandam, Gandavi 1876. *Idem*, *Principes de la critique historique*, Paris 1883. *Hippolyte Delehaye* S. J., *Les légendes hagiographiques*, Bruxelles 1905. *E. Bernheim*, Lehrbuch der historischen Methode. Mit Nachweis der wichtigsten Quellen und Hülfsmittel zum Studium der Geschichte, 2e Aufl., Leipzig 1904. *H. Kihn*, Encyclopaedie und Methodologie der Theologie, Freiburg i. Br. 1892. *Honoré de Sainte-Marie*, Réflexions sur les règles et l'usage de la critique touchant l'histoire de l'Eglise, 3 vols, Paris 1713. *Jean Moeller*, Traité des études historiques, Louvain 1887. *P. Lacombe*, De l'histoire considérée comme science, Paris 1894. *Ch.-V. Langlois*, Histoire et organisation des études historiques, Paris 1904. *Ch.-V. Langlois et Ch. Seignobos*, Introduction aux études historiques, Paris 1899. *R. Fruin*, Robert Fruin's Verspreide geschriften, Deel 9, 's-Gravenhage 1904, pag. 249 sq., 274 sq., 316 sq. 332 sq., 349 sq., 400 sq. *P. J. Blok*, Verspreide studiën op het gebied der geschiedenis, Groningen 1903, pag. 1. sq. *D. Battaini*, Manuale di metodologia storica, Firenze 1904. Dr. B. ter Haar, De historiographie der kerkgeschiedenis (van Eusebius tot op onze dagen) stuk I—III, Utrecht 1870—1873. *G. Balbino*, Il concetto psichologico della storia, Torino 1907. *Dr. J. G. R. Acquoy*, Handleiding voor de kerkgeschiedschrijving, 's Gravenhage 1894.

### I<sup>o</sup>. *Definitio et historiae ecclesiasticae utilitas.*

Nomine historiae ecclesiasticae intelligimus scientiam et narrationem de vita interna et externa Ecclesiae, de ejusdem progressu et ad conformandos populorum mores efficacitate. Eo quod Ecclesia visibile institutum est, quod, a Christo

conditum, gubernante Spiritu Sancto, revelatas veritates et redēptionis gratiam humano generi distribuit, sequitur eam duabus partibus coaliscere, altera *divina*, *humana* altera. Pars *divina* constans est et immutabilis, adeoque historiam non habet. A Christo capite tanquam corpus mysticum assumpta, habet ipsa quoque Ecclesia indolem divinum. Sed p̄aeclarae missionis suae munus exsequitur auxiliante libero hominum arbitrio. Inde mutationi obnoxia habet suam historiam. Immutabilis natura, tamen *interne* et *externe* progressa est Ecclesia: externe dilatando se et agendo in hominum societate, interne gubernio suo, doctrina, cultu et disciplina.

Ideo habet Ecclesia suam rerum quum *externe* tum *interne* gestarum memoriam. Prioris generis historia docet quomodo in variis terrae regionibus sit diffusa, quibus obstaculis impedimentisque salutarem progressum detinentibus aut reprimentibus superatis. Ad quae referendae non solum difficultates, quae propagationi obstant propter indolem, vitia moresque populorum, verum etiam praesertim quae ab hominibus resistentibus et persequentibus interpositae sunt. *Interior* vero historia nobis aperit quomodo Ecclesia sit condita, qua ratione explicaverit suam doctrinam, gubernium, sacramentorum ritus, cultum et internam disciplinam. Insuper exponit interna certamina: haereses, quae apostolicam doctrinam negabant, schismata, quae ecclesiasticam unitatem infringebant, demum tempore et in exercenda religione negligentiam eorum, qui salutaria gratiae remedia recusantes, mortua membra sunt Christi corporis mystici. Internis exortis impugnationibus, semper ab Ecclesia subsecuta est salutaris et strenua defensio. Quae causa fuit cuperentur opera apologetica, polemica, dogmatica et religiosa, quae brevi creverunt numero in amplam ecclesiasticam literaturam. Ad eundem finem, praecipue tamen ad fovendam pietatem, orta est ars ecclesiastica, quae magnificis ceptis incrementis, cultus majestatem illustravit ac plurimum contulit ad excolendos erudiendosque populos.

Atque haec ipsa historiae ecclesiasticae **definitio** satis explicat quantum valeat quantumque prosit. Est enim notitia et expositio conditae et auctae salutis nostrae in Christo. Cujus quidem salutis rationem, quae gentes universas erudiat, excolat, perficiat atque ad vitam aeternam adducat, interpretatur ecclesiastica historia. Quare sicuti *hominis* est mundi historiam

maximi facere, qua hominum universitas ejus menti obverseatur, ita *christiani* est ecclesiasticam historiam plurimi aestimare eo quod Ecclesiae matris sua res gestas casusque varios describat. Etenim quasi in exemplo videt ibi membrum Ecclesiae historiam suam, seque ipse et suam dignitatem christianam pluris facere docetur.

Theologo praecipua est historiae ecclesiasticae utilitas. Doctrinae enim scientia ususque acrius intelligitur adhibito penitiore historiae studio. Fontes persuadent Ecclesiam hodie esse quod fuit primis temporibus; ejus fidem, cultum, gubernium, si res ipsae spectentur, easdem quae erant in vetusta aetate permanisisse, neque mutatas Ecclesia dilatata nec variante ejus ad hominum populorumque societatem ratione. Est historia ecclesiastica praesens vivaque christiana religionis apologia. Studio ejus strenue incumbenti fides augetur, virtutis vigor roboratur. Quod alterum quidem praecipue eo, quod studenti alta ingeritur persuasio Ecclesiae felicitatem tum floruisse cum casta pietate et prudenti in operando ardore eminerent clerici. Fides deinde augescet ex eo, quod pateat Ecclesiam ex universis externis internisque perturbationibus ac persecutionibus majore semper robore novoque vigore prodiisse; eo luculentius eam sese a Deo conditam demonstrasse, quod vel vehementissime hominibus reluctantibus, impugnantibus et offensis, salutaria consilia divina impleverit et redemptionis humanae opus promoverit.

Quod si exinde appareat historiae ecclesiastiae studium quanti sit emolumenti quamque grave ejus pondus, non minus certo inde eruitur, deficiente hac historica notitia, studium tum dogmaticae et moralis theologiae, tum juris canonici, patrologiae et ecclesiasticae artis non posse diurno vigore gaudere.

## 2º. *Divisio historiae ecclesiasticae.*

**Divisio** historiae ecclesiasticae, quantum res ipsae contentae spectantur, satis supra declarata. Accurata elucidatione eget divisio in *aetates* et *periodos*.

Aetates concluduntur gravis momenti eventibus qui aequabilem rerum progressionem reprimunt earumque cursum aliam viam ingredi cogunt. Aetatis intermediae sunt periodi, quae factis non tam graves commutationes importantibus comprehenduntur. Aetates et periodi durant donec causae quibus sunt exortae vim suam atque efficientiam amiserint.

Tres aetates distingui possunt in historia Ecclesiae. Prima ab Ecclesia condita ad finem saeculi VII; altera a saeculo VII ad initium saeculi XVI; tertia a saeculo XVI ad nostra tempora.

**Aetas prima** vocatur **christiana antiquitas** (1—692).

Auctoritate et fidelium numero crecit Ecclesia in populis Graeco-Romano cultu imbutis, qui cultus moribus christianis emundatur et illustratur. Vita ecclesiastica hoc tempore instituitur et excolitur, primum in vehementissima persecutione, dein a saeculo IV auxiliante imperio civili. Extendebat Ecclesia fere tantummodo in regionibus mare Mediterraneum circumiacentibus. Dividitur haec aetas in periodos duas. *Prior periodus* a Christo nato ad edictum Mediolanense: (1—313) quod tempus fuit externae insectationis. *Altera periodus* ab edicto Mediolanensi ad synodum Trullanam (313—692), quod fuit tempus internarum controversiarum de S. Trinitate, de Christologia, de doctrina gratiae, de quibus singulis in synodis universibus decretum est. Hoc quoque tempore maxime floruit vetusta literatura christiana.

**Aetas altera** continetur **medio aevo** (692—1517), quo populi Germanici et Slavonici ad amplectendam religionem christianam adducuntur atque ad eximum animi morumque cultum efferuntur. Arcto nexu inter se juncta sunt Ecclesia et imperia civilia. Tota explicatur Romani Pontificis auctoritas; schisma fit orientis ab occidente, quo factum est ut Ecclesiae auctoritas fere ad Europam restringeretur. Hujus aetatis tres periodi distinguuntur: *prima periodus* (692—1073): efficitur populorum Germanicorum ecclesiastica et politica institutio, dum Ecclesiae gubernium subditur arbitrio potestatis civilis. *Altera periodus* (1073—1303): recuperat Ecclesia libertatem suam; Summi Pontifices ad potestatis apicem evecti; floret scholasticum institutum. *Tertia periodus* (1303—1517): Summi Pontificis auctoritas minuit exilio Avenionensi et schismate occidentali; irrita incepta synodorum ad efficiendam reformationem; spiritus mundanus et corruptio.

**Aetati tertiae** nomen est **nova tempora**, quae etiam nunc perdurant. Fidelium ingens numerus deficit ab Ecclesia matremque impugnat. Interna roboratio et confirmatio Ecclesiae. Accedunt filii in Asia et in nuper repertis regionibus occidentalibus. Imperia gradatim ab obedientia et auctoritate Ecclesiae recedunt. Duas periodos in hac aetate distinguimus: *pri-*

*ma periodus* (1517—1789): tempus ecclesiasticae perturbationis, qua efficitur ut Ecclesia interne viribus augeatur et externe longius se extendat. *Altera periodus* (1789—hodiernum diem): tempus politicae revolutionis; succrescit Ecclesiae et Summorum Pontificum auctoritas.

Haud difficile intelligetur ingentem commutationem in historia non repente sed quasi per diuturniores aut breviores transitus perfici. Quare historiographi in circumscribendis quum aetatum tum periodorum terminis non consentiunt. Non nulli se jungunt *tempus apostolicum* nostramque primam periodum in duas dividunt. Alii antiquitatem christianam conclusam malunt Gregorio M. Pontifice (590) vel temporibus Mohammed (600), Bonifatii (719), iconoclasiae (722), Caroli Magni (800) etc. Medium aevum nonnulli extendunt ad annum 1450, alii ad finem saeculi XV; quin etiam aliqui id durare volunt ad Concilium Tridentinum.

Medii aevi quoque variae periodi distinguuntur. Nova tempora in Germania praesertim, nonnumquam trifariam dispertiuntur, ita ut prima periodus absolvatur edicto pacis Monasteriensis (1648). Quae tamen partitio ad universam Ecclesiae historiam non pertinet.

### 3º. *Fontes historiae ecclesiasticae.*

**Fontes historiae** dicuntur omnia, quae aliquam historiae notitiam afferre valent. Unde sequitur eos esse numero plures et genere varios. Diversimode dividuntur. Si originem spectas, in *divinos* et *humanos*, hos autem in authenticos et privatos; si ad naturam eorum attendas, in *reliquias* et *traditiones*. Reliquarum nomine appellantur non solum imagines et monumenta, verum etiam ecclesiasticae institutiones, consuetudines ususque, acta etc. Traditiones autem vel orales sunt vel scriptae. Qui fontes historiae ecclesiasticae, ne nimis laboriosum sit ex iis rerum memoriam eruere, a viris doctis in unum sunt collati. Collectiones ejusmodi praecipuae hic indicandae:

a. **Scriptores ecclesiastici.** Maxima bibliotheca Patrum, tomi 27 fol. Lugd. 1677 sq. Quae Graece conscripta sunt edidit A. Gallandi: Tomi 14, Venet. 1765 sq. Completissima editio Migne, Patrologiae cursus completus: a) Patrologia latina ab aevo apostol. usque ad Innocentium III (1216), Tomi 1—221, Parisiis 1844 sq. b) Patrologia Graeca usque ad saeculum XV,

Tomi 1—161, Parisiis 1857 sq. Corpus script. ecclesiasticorum lat., Vindebonae 1866 sq. Mon. Germ. hist.: Auctores antiquissimi, Tomi 13, Berol. 1877—1898. *O. von Gebhart, A. Harnack, C. Schmidt.* Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur, Leipzig 1883 sq. 31 Bnde (hucusque editi). *H. Hurter,* SS. Patrum opuscula selecta etc. Tomi 1—48, Oenip. 1868 sq. *Rauschen,* Florilegium patristicum, Bonn 1904 sq. In Italia hodie editur Bibliotheca ss. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, theologiae et christianarum litterarum cultoribus accomodata, quae confecta est usque ad tempora Gregorii M., Romae 1903 sq. *Graffin et Nau,* Patrologia orientalis, Parisiis 1894 sq. *J. B. Chabot, J. Guidi, H. Hyvernat, B. Carrà de Vaux,* Corpus scriptorum christianorum orientalium, Parisiis 1903 sq.

b. **Acta conciliorum.** *Harduin S. J.,* Acta conciliorum et epistol. decret. ac constit. Sum. Pont. ab anno Christi 34—1717, Tomi 1—11, Parisiis 1715 sq. Collectio *Labbé S. J., Cossart S. J.,* Tomi 11, iterum edita et aucta a *D. Mansi,* Tomi 31, Flor. et Venet. 1759 sq. Nunc nova fit aucta editio, Parisiis 1900 sq. *Maassen,* Concilia aevi Merovingici (Mon. Germ. Hist., Leges), Hannoveri 1893. Recentiores synodi in Collectione Lacensi, Tomi 7, (4<sup>o</sup>) Frib. Brisg. 1870 sq.

c. **Bullaria et regesta.** *Coustant,* Epistolae Romanorum Pontificum, Par. 1721; ed. *Schoenemann,* Göttingen 1796; ed. *Thiel,* Braunsberg 1868 (aucta). Bullarium Romanum, ed. *Coquelines,* Romae 1733 sq.; continuatum a *Barberi-Spezia-Segreti,* Romae 1835 sq. Conjunctim Tomi 34, fol; ed. Taurin. 1857 sq. Tomi 24, fol. Dein Neap. 1885. Haec ultima effecta est ad exemplar editionis *Coquelines*, quae prae ceteris recta et completa. *Rodenberg,* Epistolae Romanorum Pontificum ineditae, Berolini 1885. Regesta Pontif. Roman. a condit. Eccles. ad. an. 1198, ed. *Jaffé,* Berol. 1851; 2<sup>a</sup> ed. *Loewenfeld, Kaltenbrunner, Ewald,* Lipsiae 1885 sq.; continuata a *A. Potthast* ad 1324, Berol. 1874—1875. Insuper edita sunt, universa aut ex parte, regesta Summorum Pontificum saeculi XIII—XIV: Honorii III, Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV, Urbani IV, Clementis IV, Gregorii X, Joannis XXI, Nicolai III, Honorii IV, Nicolai IV, Bonifacii VIII, Benedicti XI, Clementis V, Leonis X. Major eorum pars edita sunt a schola Gallica Romana (l'école française de Rome), Paris 1883 sq. *Paulus Fridelinus Kehr,* Regesta Pontifi-

cum Romanorum. Jubente regia Societate Gottingensi, Tomi 1—3, Berol. 1906—1908. Italia Pontificia: Roma, Latium, Etruria.

d. **Conventiones ecclesiasticae et leges civiles.** *E. Münch*, Vollständige Sammlung aller älteren und neueren Konkordate, 1—2 Bnde, Leipzig 1831. *V. Nussi*, Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem, Moguntiae 1871. *Corpus juris canonici*, ed. *Richter*, Lipsiae 1833; ed. *Friedberg*, Tomi 2, Lipsiae 1876—1881. *Codex Theodosianus* etc. ed. *Ritter*, Tomi 6, Lipsiae 1737 sq. *Corpus juris civilis Justin.*, ed. *Gothofredi*, Tomi 6, Lugd. 1589; ed. *Mommsen* etc., Tomi 3, Berol. 1892 sq. *Monumenta Germ. Hist.*, ed. *Pertz*, *Capitul. reg. Francor.*, Tomi 2, Hannover 1883 sq. *Monumenta Germ. Hist.*, ed. *Pertz*, *Leges I—V*, Hannover 1835 sq.

e. **Acta martyrum et vitae sanctorum.** *Ruinart*, *Acta primorum martyrum sincera et selecta*, Paris 1689; ed. *Amstelod.* 1713, Veronae 1731. *Le Blant*, *Les actes des martyrs*, *Supplements aux Acta sincera etc.*, Paris 1884. *Surius*, *De probatis Sanctorum vitis*, Tom. 6, Colon. 1570 sq. *ibid.* 1617 etc. *Acta Sanctorum quotquot toto orbe coluntur* (*Bollandistae*), Antv. 1643. *Nova editio*, Parisiis 1854; Tomus 63, ultimus editus, *vitas tractat usque ad diem 4 Nov.* *Analecta Bolland.*, Parisiis et Bruxellis 1882 sq. *Acta SS. Ord. S. Benedicti*, ed. *Mabillon*, Tom. 9, Parisiis 1668\*sq. *Passiones vitaeque sanctorum aevi Merovingici*, ed. *Krusch* (*Monum. Germ. etc.*), Hannover 1896. *Hyvernat*, *Actes des martyrs de l'Egypte*, *texte copte et traduction française*, 4 livraisons in 4° avec un album paléographique in fol., Paris 1886.

f. **Vitae Summorum Pontificum.** *Liber Pontificalis*, ed. *Duchesne*, Tom. 2, Paris 1886—1892. ed. *Mommsen* (*Mon. Germ.*), Berol. 1898 sq. *Vitae Romanor. Pontif. ab exeunte saec. IX usque ad finem saec XIII*, ed. *Watterich*, Tom. 2, Lips. 1862.

g. **Liturgiae et ritualia.** *I. A. Assemanni*, *Codex liturgicus eccles. univers.*, Tomi 13, Romae 1749. *Renaudot*, *Liturg. Orient. collectio*, Tom. 2, ed. 2, Francofurti 1847. *Muratori*, *Liturgia Romana vetus*, Tom. 2 fol. Venet., 1748. *Daniel*, *Codex liturg. ecclesiae univers.*, Tom. 4, Lipsiae 1847—1853. *Bona*, *Rerum liturgic. II. 2*, Romae 1672. *Durandi*, *Rationale div. officiorum*, Lugd. Batav. 1605. *Martene*, *De antiquis ecclesiae ritibus*, II. 3, ed. aucta, Tom. 4, Antv. 1736. *N. Nilles*, *Calendarium manuale*

utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis, Tom. 2., 2<sup>a</sup> ed., Oeniponte 1896—1897. *F. Cabrol et H. Leclercq*, Monumenta ecclesiae liturgica, Tom. 1, 1902, Tom. V, 1904. *F. Cabrol* Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie, Paris 1903 sq. *U. Chevalier*, Repertorium hymnologicum, 1890—92; Bibliothèque liturgique, Tom. I—XV, Paris 1893—1907.

h. **Symbola et definitiones.** *C. W. F. Walch*, Bibliotheca symbolica vetus, Lemgo 1770. *Hahn*, Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche, 3 Aufl., Breslau 1897. *Denzinger*, Enchiridion symbol. et definitionum etc., 9<sup>a</sup> ed. Wirceb. 1900, et ed. X, Friburgi Brisg. 1908. *Ph. Schaff*, Bibliotheca symbolica ecclesiae universalis, Tom. 3., Neo-Eboraci 1884.

i. **Constitutiones ordinum religiosorum.** *Lucas Holstenius*, Codex regularum monast. et canon. Romae 1661, Tom. 4. fol.; auxit *Brockie*, Tom. 6., August. Vindel. 1759.

k. **Catacombe, Ars.** *Bosio*, Roma sotterranea, Roma 1632. *J. B. de Rossi*, La Roma sotterranea christiana, Tom. 3., Roma 1864—1877. *J. Wilpert*, Die Malereien der Katakomben Roms mit 267 Tafeln und 54 Abbildungen im Text, Freib. i. Br. 1903. *Garucci S. J.* Storia dell'arte christiana, Tom. 6, Prato 1872 sq. *Ciampini*, Monumenta, et ejusdem: De sacris aedificiis a Constantino M. exstructis, nov. ed., Tom. 4, Romae 1747. *Hübsch*, Die altchristlichen Kirchen nach den Baudenkmälern und älteren Beschreibungen, Karlsruhe 1862.

1. **Inscriptiones.** *De Rossi*, Inscriptiones christ. urbis Romae septimo saec. antiquiores, Tom. 2. 4<sup>o</sup>, Romae 1857 sq. *G. Lefèbre*, Recueil des inscriptions grecques chrétiennes d'Egypte, Le Caire 1907. *Le Blant*, Inscriptions chrétiennes de la Gaule, 3 vols., Paris 1856—1892. Nouveau recueil etc., Paris 1893. *Hübner*, Inscriptiones Hispaniae christiana, Berol. et Lond. 1876. *F. X. Kraus*, Die christ. Inschrifte der Rheinlande, 1—2 Bnd 4<sup>o</sup>., Freib. i. Br. 1890 sq. Multa quae in enumeratis operibus habentur, inveniuntur quoque in: Corpus inscription. lat. Acad. Berol.; Graeca apud *Böckh*, Corpus inscriptionum Graecarum, Tom. 4, Berol. 1892—1877. Antiquiora opera: *Gruter*, Inscript. antiquae totius orbis Romani in corpus redactae, fol., Heidelb. 1603, 2<sup>am</sup> ed. curavit *Graevius*, Tom. 4, Amstelod. 1707.

4<sup>o</sup>. *Scientiae auxiliares historiae ecclesiasticae.*

Scriptori historico non sufficit fontes ad manum habere; debet insuper scire quomodo legat et recte intelligat. Ad quod necesse est studuisse variis **scientiis auxiliaribus**.

a. Imprimis ad rectam intelligentiam historiae ecclesiasticae scire **theologiam** oportet. Altius in historiam Ecclesiae penetrare volenti necessaria est theologia moralis, liturgica, jus canonicum et praesertim theologia dogmatica. Quomodo secus vitam Ecclesiae intelligere valeat?

b. Necessaria deinde est cognitio **historiae profanae**, et

c. **linguarum scientia.** Ad intelligenda scripta auctorum medii aevi et ecclesiasticam dictionem utilia sunt:

*Du Fresne du Cange*, Glossarium mediae et infimae latinitatis, Tom. 6 fol., Parisiis 1733—1736; ultima ed. *Favre*, Tom. 10, Parisiis 1882—1887. *Idem*, Glossarium ad scriptores mediae et infimae Graecitatis, Tom. 2 fol., Lugd. 1688. *Suicer*, Thesaurus eccles. e PP. graecis, 2 ed., Amstelod. 1728—1746. Adde: *Nothnagel*, Spec. suppl. in *Suiceri thes.*, Norimb. 1821. *H. Stephanus*, Thesaurus Graecae linguae, 3 ed., Tom. 9, Paris 1831—1865.

d. **Paleographia** insuper necessaria est ad recte legenda praesertim documenta et manuscripta: *B. Montfaucon*, Paleographia graeca, Parisiis 1708. *Silvestre*, Paléographie universelle, 4 vols., Paris 1841. *W. Wattenbach*, Anleitung zur griechischen Paläographie, Leipzig 1867. *Idem*, Anleitung zur lateinischen Paläographie, Leipzig 1869. *Idem*, Das Schriftwesen im Mittelalter, Leipzig 1871. *E. Reusens*, Eléments de paléographie, Louvain 1899. *Chassant*, Paléographie des chartes et des manuscrits du XI au XVII siècle, 8<sup>e</sup> éd., Paris 1885. *M. Pròu*, Manuel de paléographie latine et française du VI au XVII siècle, 2<sup>e</sup> éd., Paris 1892. *E. Thompson*, Hand-book of Greek and latin paleography, 2<sup>e</sup> ed., London 1894. *C. Paoli*, Programma scolastico di paleografica latina e diplomatica, Tomi 3, Firenze 1888—1900. *R. Coulon—F. Steffens*, Paléographie latine, Paris 1908.

e. **Documentorum scientiam** auctor callere debet ut eorum genuinitatem et sensum discernat. *J. Mabillon*, De re diplomatica, Parisiis 1681, ed. 2, 1709. *Toussaint et Tassin*, Nouveau traité de diplomatique, 6 vols. Paris 1750—1756. *J. Ficker*, Beiträge zur Urkundenlehre, 2 Bnde, Innsbruck 1877—1878. *H. Breslau*, Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und

Italien, Leipzig 1889. *A. Giry*, Manuel de diplomatique, Paris 1894.

f. **Archeologia et artis historia.** *Mamachi*, Origines et antiquitates christ. Tomi 5, Romae 1749—51. *Martigny*, Dict. des antiquités chrétiennes, Paris 1865. *Rio*, De l'art chrétien 6 vols., Paris 1861 sq. *De Caumont*, Abécédaire d'archéologie relig., Paris 1850. *Reusens*, Eléments d'archéologie chrétienne, 2<sup>e</sup> ed., 2 vols., Louvain 1885—1886. *Schultze*, Archäologie der altchristlichen Kunst, München 1895. *C. M. Kauffmann*, Handbuch der christlichen Archäologie, Paderborn 1905. *M. Armelini*, Lezioni di archeologia christiana, Roma 1898. *F. X. Kraus*, Geschichte der christ. Kunst, 3 Bnde, Freiburg im Br. 1896 ff. *H. Marucchi*, Eléments d'archéologie chrét. 3 vols., Paris 1900—1903. *J. A. Brutails*, l'Archéologie du moyen-âge et ses méthodes, Paris 1900. *Id.* Précis d'archéologie du moyen-âge, Paris 1908. *Dom Cabrol*, Diction. d'archéologie chrétienne et de liturgie, Paris 1902 sq. *A. Michel*, Histoire de l'art depuis les premiers temps chrétiens jusqu'à nos jours, Paris 1905 sq. *Dom H. Leclercq*, Manuel d'archéologie chrétienne, 2 vols., Paris 1908. *A. Springer*, Geschiedenis der beeldende kunst. Voor Nederland bewerkt door *A. W. Weissman*, 2 Dl., Leiden, zonder jaar.

g. **Geographia et statistica.** *Le Quien*, Oriens christianus, Tomi 3, Parisiis 1740. *P. Gams*, Series episcoporum ecclesiae catholicae, Ratisb. 1873. Suppl. 1879, 1886. *C. Eubel*, Hierarchia catholica medii aevi, Tom. 1—2, Monast. 1898—1902. *O. Werner*, Katholischer Kirchen-Atlas, Freib. 1888. *Idem*, Katholischer Missions-Atlas, 2 Aufl., Freiburg 1885. *Idem*, Orbis terrarum cath. s. totius eccl. cath. et occidentis et orientis conspectus geograph. et statisticus, Freiburg 1890. *Neher*. Kirchl. Geographie und Statistik, 2 Bnde, Regensb. 1864 ff. *Desjardins*, Géographie historique et administrative de la Gaule Romaine, 4 vols., Paris, 1867—93. *Longnon*, Géographie de la Gaule au VI siècle, Paris 1888.

h. **Bibliographia.** *Potthast*, Bibliotheca hist. medii aevi (ad 1500) 2<sup>a</sup> ed., Berlin 1896. *Ulysse Chevalier*, Répertoire des sources hist. du moyen-âge. Bio-bibliographie, Paris 1877—1886, ed. 2, 1903—1908. Topo-bibliographie, Paris 1894 ss. *H. Hurter*, Nomenclator literarius (a Christo nato ad 1894) Tom. 5, Oeniponte 1892—1903. III—V, 2 ed. 1908. *Sommervogel*, Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, nouvelle éd. 9 vols, Brux. 1890—1900.

*G. Monod*, Bibliographie de l'histoire de France, Paris 1888.  
*H. Stein*, Manuel de bibliographie générale, Paris 1898. *Ch. V. Langlois*, Manuel de bibliographie historique, Paris 1901—1904.  
*A. Molinier*, Les sources de l'histoire de France jusqu'en 1789, vols. 1—5, Paris 1901—1905. Revue d'histoire ecclésiastique, Louvain 1900 ss. Hist. Jahrb. im Auftr. der Görresgesellschaft, München 1880 ff. *G. Gross*, sources and literature of English history to about 1485, London 1900. *F. C. Dahlmann*, Quellenkunde der deutschen Geschichtsquellen im Mittelalter, 7 Aufl., Berlin 1904. *Lorenz*, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter von der Mitte des 13 Jahrhunderts bis zum Ende des 14. Jahrhunderts, 3 Aufl., Berlin 1886.

i. **Chronologia.** *De Mas Latrie*, Trésor de chronologie, d'histoire et de géographie etc. 1 vol. fol., Paris 1889. *M. Lersch*, Einleitung in die Chronologie, 2 Aufl., Freib. i. Br. 1899. *H. Grotewold*, Handbuch der hist. Chronologie des deutschen Mittelalters und der Neuzeit, 2 Afl., 2 Bnde, Hannover 1891—1898. L'art de vérifier les dates des faits historiques, 3 vols., Paris 1750. *G. Goyau*, Chronologie de l'empire romain, Paris 1891. *Capelli*, Cronologia e calendario perpetuo, Milano 1906.

### Chronologiae praecipuae sunt:

*Romana ab urbe condita*, ab anno circiter 753 ante Christum. *Graecae Olympiades*, quae quarto quoque anno absolvuntur et inchoantur a solsticio 777—778 ante Christum. *Eusebius* iis utitur in *Chronico*; adhibentur quoque in *Chronico Paschali*.

*Cyclus inductionum*. Hae 15<sup>o</sup> quoque anno terminantur. Soli anni intra seriem numerantur, non series ipsae. Si vis rectam inductionem cuiuspiam anni invenire, adde 3 numero anni, summaque divide per 15. Qui restat numerus inductionis est. Quod si nihil restat, indictio 15 est. Praecipuae *indictiones* sunt *Constantinopolitana*, *Caesarea*, *Pontificia*. Principio indicabant genus aliquod tributi 15<sup>o</sup> quoque anno pendendum. Chronologiae per inductiones frequentissimus usus est in documentis et actis medii aevi perduravitque usque saeculum XVI.

Chronologia a *mundo condito* multum varia est. Byzantini numerabant annos 5509, Alexandrini 5502, Judaei 3761 ante Christum natum.

*Christiana* seu *Dionysiana* aera, quae seculo IV jam nota erat, annos numerat a Christo nato. *Dionysius* *exiguus* cuius nomen accepit, eam usurpare inchoavit a<sup>º</sup> circiter 526 in Italia; perperam tamen posuit Nativitatis Dni annum 754 urbis conditae, qui verosimilius fuit 747—750. Haec chronologia tantum posteriore aetate et paulatim in usum admissa. Missionarii a *Gregorio I* allegati eam asportarunt in Angliam, Willibrordus et Bonifacius in Neerlandiam et Germaniam.

Quum christiana haec chronologia fere communiter esset accepta, tum quoque initium anni multum variabat. Toto durante medio aevo in nonnullis regionibus inchoabant annum die 25 Martio; alii die Paschatis; alii rursum die 1 Martio vel 1 Septembri; nonnulli 1 Januario. Saeculo XVI tandem sic omnes.

#### 5<sup>º</sup>. *Libri tractantes historiam ecclesiasticam.*

Vetustissima historia ecclesiastica conscripta est in **orientem**. Primi tractatus sunt quatuor *Evangelia* et *Actuum Apostolorum* liber. *Papia*, *Hegesippi*, aliorumque, qui annotationes et chronica scripserunt de primis Ecclesiae temporibus, sola fragmenta supersunt. Pater historiae ecclesiasticae est *Eusebius Caesareensis* († 340): *Historia ecclesiastica* decem libris usque ad annum 324; cui addendum *Chronicon* et *Vita Constantini*<sup>1)</sup>. Ad tempus alter historiographus ortus non est. Fere 100 annis post tres continuationes *Historiae ecclesiasticae* quasi simul factae: una a *Socrate*<sup>2)</sup>, causarum patrono Constantinopoli, ab anno 307—439; altera a *Sozomeno*<sup>3)</sup> causarum quoque patrono Constantinopoli ab anno 324—425 tertia a *Theodoreto*<sup>4)</sup>, Cyrensi episcopo, ab anno 320—428.

*Theodorus Lector*<sup>5)</sup>, confecto prius compendio e tribus superioribus, dein *Socratis* historiam continuavit ad 527; *Evagrius*<sup>6)</sup> Antiochenus eandem porro tractavit ab anno

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 19—24.

<sup>2)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 67.

<sup>3)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 67.

<sup>4)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 82, 881—1280.

<sup>5)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 86.

<sup>6)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 86.

431—594, quod opus gravissimi momenti est propter descripta Nestoriana et monophysitica certamina. Maximam partem interierunt quae continuaverat *Philostorgius*<sup>1)</sup> Arianus.

A saeculo VI plurimi scriptores historiam tractaverunt in imperio Graeco, praecipue Constantinopoli, qui *Byzantini* vocantur. Prae omnibus praecellens est *Nicephorus Callisti* († 1341). Is quoque scripsit historiam Ecclesiae, methodo critica parum usus, usque ad annum 610<sup>2)</sup>). Saeculo VII ante dimidiam partem elapsam, confectum est Alexandriae *Chronicon Paschale*, quod tantum valet pro eo quod saeculum VII attinet<sup>3)</sup>). S. Epiphanius, Theodore Cyrensis et Leontius scriperunt de haeresibus<sup>4)</sup>.

In Syria *Joannes Ephesinus* historiographus notandus<sup>5)</sup>. Summarium ex ejus opere et ex aliis composuit *Dionysius Telmachensis*. In Armenia historiae conscribendae operabatur *Mozes Chorenensis*<sup>6)</sup>.

In **occidente** tractavit *Rufinus Historiam Ecclesiasticam Eusebii* eamque persecutus est ad annum 395<sup>7)</sup>. *Cassiodorus* nobis reliquit suam *Historiam tripartitam*, epitome ex *Socrate*, *Sozomeno* et *Theodoreto Cyreni* cum additamento usque ad annum 518<sup>8)</sup>). Ante eum scripserat *Sulpitius Severus Historiam sacram* ad annum 400<sup>9)</sup>.

Postea historia ecclesiastica non amplius separabatur ab historia universalis. Usque ad saeculum XIII magno numero chronica universalia conficiebantur, plurimum ad exemplar *Beda e*<sup>10)</sup>, insuper continuabatur *Hieronymus*, qui tractaverat *Chronicon Eusebii* (ad 379). Magno pretio habenda quae reliquerunt *Isidorus Hispalensis*<sup>11)</sup>; *Regino*

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 65.

<sup>2)</sup> Omnia haec opera edita sunt in: *Corpus scriptor. hist. Byzant.* Bonnae 1828 sq. Tomi 1—46, 8<sup>o</sup>.

<sup>3)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 92.

<sup>4)</sup> *Migne*, P. G. Tom. 51—53, 82, 86.

<sup>5)</sup> Ed. *Cureton*, Oxford 1859, *Conf. Land*, J. van Ephesus, Leiden 1859.

<sup>6)</sup> Ed. *Venet.* 1865.

<sup>7)</sup> *Migne*, P. L. Tom. 21.

<sup>8)</sup> *Migne*, P. L. Tom. 69—70.

<sup>9)</sup> *Migne*, P. L. Tom. 20.

<sup>10)</sup> *Migne*, P. L. Tom. 95.

<sup>11)</sup> *Migne*, P. L. Tom. 83.

Prümensis († 915<sup>1)</sup>; Hermanus Contractus († 1054)<sup>2)</sup>; Lambertus Hersfeldii († 1080)<sup>3)</sup>; Sigebertus Gemblacensis († 1112)<sup>4)</sup>; Otto Frisingensis († 1158)<sup>5)</sup>.

Magis ad aliquam regionem restrictam historiam tradiderunt: Gregorius Turonensis († 595): *Historia Francorum*<sup>6)</sup>, quam continuavit Fredegarius; Beda: *Historia Gentis Anglorum*<sup>7)</sup>; Isidorus: *Historia gentis Visigothorum*<sup>8)</sup>; Paulus Warnefridus: *Historia gentis Longobardorum*<sup>9)</sup>; Floodoardus: *Historia Rhemensis*<sup>10)</sup>; Adam Bremensis: *Gesta Pontificum Hammaburgensium*<sup>11)</sup>. Universalius iterum scripserunt: Ordericus Vitalis<sup>12)</sup>; Bartholomaeus Luccanus<sup>13)</sup>; Vincentius Belvacensis<sup>14)</sup> e cujus opere nostras Maerlant<sup>15)</sup> sua excerpit; et Antoninus Florentinus († 1459)<sup>16)</sup>.

Medii aevi scriptoribus gratiam plurimam habemus pro eo quod uberem hanc materiam nobis tradiderunt. Collecta autem discernere aut de iis existimare illius aetatis hominibus non succurrit.

Saeculo XV agendi ratio immutata. Quod accidit magnam partem ex influxu renati studii literarum, plus fortasse ex inventa arte tipographiae. Viri eximii ut Nicolaus Cusanus, Lorenzo Valla, Trithemius, Beatus Rhenus, Aenea Silvio (Pius II) aliique historicam investigationem progredi fecerunt. Prima tamen opera majora paruerunt saeculo XVI. Flacius Illyricus cum aliquot viris evan-

<sup>1)</sup> Migne, P. L. Tom. 132, Mon. Germ. Script. Tom 1, 537 sq.

<sup>2)</sup> Migne, P. L. Tom. 143, Mon. Germ. Script. Tom. 5. 67 sq.

<sup>3)</sup> Migne, P. L. Tom. 146, Mon. Germ. Script. Tom. 1, 3, 5.

<sup>4)</sup> Migne, P. L. Tom. 160, Mon. Germ. Script. Tom. 6.

<sup>5)</sup> Migne, P. L. Tom. 160, Mon. Germ. Script. Tom. 20.

<sup>6)</sup> Migne, P. L. Tom. 71.

<sup>7)</sup> Migne, P. L. Tom. 95.

<sup>8)</sup> Migne, P. L. Tom. 83.

<sup>9)</sup> Migne, P. L. Tom. 95.

<sup>10)</sup> Migne, P. L. Tom. 135, Mon. Germ. Script. Tom. 13.

<sup>11)</sup> Migne, P. L. Tom. 146.

<sup>12)</sup> Migne, P. L. Tom. 188.

<sup>13)</sup> Apud Muratori, Rer. Ital. SS. Tom 11.

<sup>14)</sup> Speculum historiale iterum atque iterum editum.

<sup>15)</sup> Ed. de Vries et Verweys.

<sup>16)</sup> Ed. Norimbergae 1484 et dein saepius edit.

gelicis ediderunt *Centuriatores Magdeburgenses*<sup>1)</sup>, tomis 13 in folio, ad defendendam doctrinam Lutheranam. Id opus multo studiosius factioni Lutheranorum favere, hodie a plerisque viris evangelicis conceditur. Provocabat catholicos ad certamen. Accepit pugnam Caesar Baronius celebri suo opere cui inscriptio: *Annales ecclesiastici ab anno 1—1198*, cui confiendo 30 annos incubuit<sup>2)</sup>. Idem porro egerunt A. Bzovius ab 1198—1572<sup>3)</sup>, Spontanus ad 1646<sup>4)</sup>; optime Raynaldus ab 1198—1566<sup>5)</sup>. Laderchi 1566—1571; dein A. Theiner 1571—1585)<sup>6)</sup> Emendarunt A. Pagi et F. Pagi<sup>7)</sup>. Mansi in sua editione has notas collocavit ad calcem textus<sup>8)</sup>. Nova editio Bar-le-Duc non est ad finem perducta<sup>9)</sup>.

**Gallia** saeculo XVII historiam ecclesiasticam ad magnam praestantiam extulit. Benedictini, Oratoriani, Dominicani, jesuitae edendis veteribus operibus quasi aemulatione contendebant. Universae Ecclesiae historiam scripserunt A. Godeau, episcopus<sup>10)</sup>; Natalis Alexander O. S. D., qui nonnihil Gallicanismo favet<sup>11)</sup>; Claude Fleury quoque partes Gallicanas tuetur<sup>12)</sup>. Prae ceteris eminent Jansenismo studiosus Tillemont<sup>13)</sup>. Bossuet sua historia investigat consilia Providentiae divinae<sup>14)</sup>. His multo inferiores sunt recentiores, Berault-Bercastel, Rohrbacher et praesertim Darras cum iis qui opus ejus continuaverunt.

Critica nostra aetas postulat ut magis quam antea ad fontium

<sup>1)</sup> Ecclesiastica Historia integrum ecclesiae Christi ideam complectens, congesta per aliquot studiosos et pios viros in urbe Magdeburgica, Tom. 13 fol., Basil. 1559—1574.

<sup>2)</sup> Ed. Rom. 1588—1607, Tom. 12 fol.

<sup>3)</sup> Ed. Rom. 1616 sq. Tom. 8 fol.

<sup>4)</sup> Parisiis 1640 sq.

<sup>5)</sup> Rom. 1649—1677, Tom. 9 fol.

<sup>6)</sup> Rom. 1856 sq.

<sup>7)</sup> Ed. Antv. 1705, Tom. 4 fol.

<sup>8)</sup> Ed. Luccei 1738 sq., Tom. 38 fol.

<sup>9)</sup> Tomi 37 4<sup>o</sup>.

<sup>10)</sup> Histoire de l'église depuis le commencement du monde jusqu'à la fin du IX siècle, 5 vols, Paris 1667.

<sup>11)</sup> Selecta hist. eccles. capita, Tomi 30 8<sup>o</sup>., Parisiis 1676 sq. iterum edita 1743 (fol. 9 Lucca) a Mansi cum annotationibus Roncaglia.

<sup>12)</sup> Histoire ecclésiastique, 20 vols 4<sup>o</sup>. Paris 1691 sq.

<sup>13)</sup> Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique, 16 vols 4<sup>o</sup>., Paris 1722 sq.

<sup>14)</sup> Discours sur l'histoire universelle, Paris 1681.

documentorumque veritatem adacta historiae tractatio non solum vera a falsis sed etiam certa a minus certis accuratius distinguit. Quamobrem viri docti historiae incumbentes plurimi omnem industriam laboremque suum, saepe improbum, in eo collocant ut nova documenta, in bibliothecis et archiviis fere ubique terrarum latentia, ad lucem prodeant; dein ut quum nova tum jam diu cognita monumenta accuratius ipsa discutiantur et cum aliis conferantur, quo certior lux affulgeat non solum ipsis rebus gestis, sed etiam rerum gestarum causis atque indoli moribusque hominum eorum, qui rebus gerendis interfuerunt.

Dēnum ex eo quod historica studia magis quam antea circa res et personas singulares quam circa historiam universam versantur, consequens quoque est ut minus studeant viri docti integras historias conscribere, magis vero quae ipsi circa res gestas et personas singulares aut invenerint aut accuratius inquisiverint cum aliorum inventis aut disquisitis in opera collectanea conferre. Atque ita edita sunt: in Gallia *Bibliothèque de l'histoire ecclésiastique* auctore Batiffol, *Dictionnaire de théologie catholique* auctore Vacant, in Germania notissimum jam 2<sup>a</sup> editione elucubratum *Kirchenlexion*, in America *The catholic Encyclopaedia* et alia hujusmodi opera.

In **Italia** plurimi aliquam partem historiae tractaverunt: e.c. Pallavicini, Muratori, Mansi, Zaccaria, Ughelli aliique. Universam Ecclesiae historiam scripsit J. A. Orsi O. S. D., praeclarum opus, quod continuatum est a Bechetti pariter O. S. D.<sup>1)</sup>.

In **Germania** nihil magnum confici potuit antequam e vulneribus, bello triginta annorum inflictis, aliquantum esset recreata. Quod cum esset factum, e catholicis scripsit F. L. Stolberg († 1819) opus suum grave et ingeniosum *Geschichte der Religion Jesu Christi*<sup>2)</sup>, cui addidit Kerz tomos 30 et Brischar tomos 8 ad annum usque 1245. Praecellit quoque historia ecclesiastica Th. Katerkamp<sup>3)</sup> ad annum 1153. Strenuum investigandi studium ostendit Damberger S. J.

<sup>1)</sup> Orsi, *Storia ecclesiastica*, Tom. 20 4<sup>o</sup>. Roma 1746 sq. Bechetti, Tom. 14, Roma 1770 sq. ulterius continuata Tom. 9, Roma 1788.

<sup>2)</sup> Hamburg-Wien 1807—1818, 15 Bnde.

<sup>3)</sup> Münster 1823—34, 5 Bnde.

*Synchronistische Geschichte des Mittelalters ad 1378*<sup>1)</sup>. Opus omnibus numeris absolutum est K. J. von Hefele, *Conciliengeschichte*<sup>2)</sup>, cui porro additum a Knöpfler et Hergenröther ad 1536. Enchiridia scripserunt Döllinger<sup>3)</sup>, opus valde bonum, ad 680; Möhler, praeclarissimum opus, editum a P. Gams<sup>4)</sup>; Alzog librum scripsit, cujus multae sunt editiones<sup>5)</sup>; Brück<sup>6)</sup>; Kraus<sup>7)</sup>; Funk<sup>8)</sup> optime sed concinnius; Knöpfler<sup>9)</sup>; J. Marx<sup>10)</sup>; Hergenröther-Kirsch<sup>11)</sup>; quibus addendae Jungmann, *Dissertationes selectae*<sup>12)</sup>.

Apud **protestantes** eminuerunt: Mosheim: *Institutiones hist. ecclesiasticae*<sup>13)</sup>, quod opus dupl. continuatum est ab Einem et a Schlegel. Semler († 1791) rationalistarum more rem tractavit opere *Hist. Eccles. sel. capita*<sup>14)</sup>. J. M. Schröckh grandi descriptione conceptam sed factiosissimam edidit *Christliche Kirchengeschichte bis zur Reformation*<sup>15)</sup>, cui continuationem addidit Tschirner usque initum saeculum XIX. Semper magis in rationalistarum sententiam operabantur Spittler, Henke et Stäudlin. Majoris multo ponderis est Aug. Neander: *Allgemeine Geschichte der christ. Religion und Kirche*<sup>16)</sup> ad annum 1431. Ex eadem sententia scripserunt quoque Guericke, Niedner, Herzog, Lindner et Hase. Gieseler dedit suum *Lehrbuch*, subtili indagatione confectum<sup>17)</sup>. Accurate conscriptum enchiridion Kurz<sup>18)</sup> quoque composuit.

<sup>1)</sup> Regensb. 1850 sq. 15 Bnde.

<sup>2)</sup> Freib. i. Br. 1873, 2 Aufl., 9 Bnde.

<sup>3)</sup> Landshut 1833.

<sup>4)</sup> Regensburg 1868.

<sup>5)</sup> Ed. X a Kraus, Mainz 1882.

<sup>6)</sup> Mainz 1898, 7 Aufl.

<sup>7)</sup> Trier 1896, 4 Aufl.

<sup>8)</sup> Paderborn 1907, 5 Aufl.

<sup>9)</sup> Freib. i. Br. 1906, 4 Aufl.

<sup>10)</sup> Trier 1902, 3 Aufl.

<sup>11)</sup> Freib. i. Br. 1902 sq.

<sup>12)</sup> Ratisb. 1880 sq., Tom. 7.

<sup>13)</sup> Helmstadii 1755.

<sup>14)</sup> Halis 1767, Tom. 3.

<sup>15)</sup> Leipzig 1768 sq., 35 Bnde 8<sup>o</sup>.

<sup>16)</sup> Hamburg 1825—1846, 5 Bnde.

<sup>17)</sup> Bonn 1824—1857, 6 Bnde in 11 Theilen.

<sup>18)</sup> Mitau 1899, 13 Aufl.

Econtra dāmnoſiſſimam viam ingressus est Chr. Ba u r<sup>1)</sup>, qui ſchola ſua historiae ecclesiasticae valde parum profuit. Ad ean- dem ſententiam ſcripſerunt Schwegler, Ritschl aliique. Initio in idem inclinabatur Gfrörer, qui poſtea catholicam religionem amplexus eſt<sup>2)</sup>. Medius inter hos et eos qui ſevere orthodoxam doctrinam ſectantur, eſt Karl H a ſe, *Kirchengeschichte*, qui mediocriter partium ſtudio abripitur. Ad ſummu m rationaliſmu m progreſſa eſt ſchola recentior A. Harnack cum ſuis fautoribus. Th. Zah n iſiſtit viae fidei. Unum ex optimis operibus pro medio aevo eſt A. Ha u c k, *Kirchengeschichte Deutschiſlands*<sup>3)</sup>.

**Calvinistae** praesertim ſingularibus historiae ecclesiasticae partibus incubuerunt. Nonnulli tamen universaliora opera ediderunt. J. Basnage ſcripſit *Histoire de l'église depuis J. C. jusqu'à présent*<sup>4)</sup>; Sam. Basnage *Annales politico-ecclesiastici*<sup>5)</sup>; Venema *Institutiones hist. eccles. V. et N. Testamenti*<sup>6)</sup>.

Summarias historias in Hollandia dederunt Alting, Sandius, Spanheim, Lampe, P. Hofſtede de Groot, H. J. Rooyaards, aliique. Alibi inter Calvinistas eminuerunt Hottinger, *Historia ecclesiastica N. T.*<sup>7)</sup>; W. J. Matter, *Histoire du christianisme et de la Société chrétienne*<sup>8)</sup>; Pressenſé, *Histoire des trois premiers siècles de l'église chrétienne*<sup>9)</sup>; Jos. Milner, *The history of the Church of Christ*<sup>10)</sup>; J. Robertson, *History of the Christ Church*<sup>11)</sup>. Etienne Chastel, *Histoire du christianisme depuis son origine jusqu'à nos jours*<sup>12)</sup>; Hagenbach, *Die Kirchen-Geschichte von der ältesten Zeit bis zum 19 Jahrhundert*<sup>13)</sup>.

<sup>1)</sup> Quatuor operibus ſuis tradidit Bauer historiam ecclesiae, Tübingen 1853, 1859, 1861, 1861—1863.

<sup>2)</sup> Kritische Geschichte des Urchristenthums, Stuttgart 1838, 3 Bnde.

<sup>3)</sup> Leipzig 1898—1903, II Aufl.

<sup>4)</sup> Rotterdam 1699, 2 vols. fol.

<sup>5)</sup> Rotterdam 1706, Tom. 2 Inſuper 3 in ms. Cf. Delprat, *Bijdragen voor Vaderl. Geschied. en Oudheidkunde*, III Dl.

<sup>6)</sup> Lugduni Bat. 1777.

<sup>7)</sup> Hannover 1655, Tom. 9.

<sup>8)</sup> Strassbourg 1829, 4 vols.

<sup>9)</sup> Paris 1858, 6 vols.

<sup>10)</sup> London 1794 sq. 5 vols.

<sup>11)</sup> London 1866, 4 vols.

<sup>12)</sup> Paris 1881—1883, 5 vols.

<sup>13)</sup> Leipzig 1869—1872, 2 Bnde.

Graeco-orthodoxi superiore saeculo denuo signa vitae dede-  
runt: Philaretus scripsit historiam ecclesiasticam Russiae,  
Germanice versam a Blumenthal<sup>1)</sup>; Diomedes Ky-  
riakos Ἰστορία ἐκκλησιαστική<sup>2)</sup>; Philaretos Bapheides,  
Ἐκκλησιαστική Ἰστορία ad annum 1453.<sup>3)</sup>

---

## II.

## PLENITUDO TEMPORUM.

*Reynaud*, La civilisation païenne et la morale chrétienne, Paris 1900. *Döllinger*, Heidentum und Judentum. Vorhalle zur Geschichte des Christentums, Regensburg 1854. *Arneth*, Das klassische Heidentum und die christliche Offenbarung, 2 Bnde, Wien 1895. *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi, 3 Bnde, Leipzig 1890—1888. *E. Beurlier*, Le monde Juif aux temps de Jesus Christ et des apôtres, 2 vols., Paris 1900. *Bonatty*, Docum. hist. sur la religion des Romains et sur leur rapports avec les Juifs, 4 vols., Paris 1867—1878. *G. Kurth*. Les origines de la civilisation moderne, éd. 5. Paris 1903. vol. I, ch. 1. *Dr. J. W. G. van Oordt*, De godsdienst der Grieken met hunne volksdenkbeelden, Haarlem 1864. *Gaston Boissier*, La religion romaine d'Auguste aux Antonins, 2 vols., Paris 1874, *L. Friedländer*, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms, 3 Bnde, 6 Aufl., Leipzig 1890.

Ut venit plenitudo temporum tum maxime intelligebatur societati humanae instauratione ac redemptione esse opus. Dominabatur in Judaeos et paganos impietas, voluptas et morum corruptio. Attamen suae utrique inopiae erant consci. Optimi quique supplices expetebant tempora meliora.

I<sup>o</sup>. *Gentilitas.*

Pulcherrimae Mare Mediterraneum circumiacentes regiones, quae ad tres tum notas orbis terrarum partes pertinebant, coaluerant in vastum Romanum imperium. Incolae numerabantur

<sup>1)</sup> Leipzig 1872, 2 Bnde.

<sup>2)</sup> Athene 1881, Tom. 2.

<sup>3)</sup> Constantinopol 1886, Tom. 2.

circiter millies centena millia. Longius imperii fines extendere negotium difficile erat et certe exitiosum. Octavianus jam edixerat imperium non esse dilatandum. Qui Octaviano successerunt plerique in eandem consenserunt sententiam. Ut initio ita tum quoque universi imperii vis posita erat in numerosis incolis urbis Romae. Ibi non sedes solum, sed tota imperii summa erat. Nomen reipublicae non respublica vera manebat. Imperator dux exercitus perpetui, qui paulatim accreverat ad trecenta quadraginta millia militum, praesidens impotenti senatui, censor, tribunus, sacrorum publicorum caput et pontifex, proprie vereque solus regnabat, ac nullis finibus circumscriptam potentiam adeptus erat. Plebs placabatur „pane et circensisibus”, patricii opibus et honoribus. Mox orta est odiosa dominatio, quae mulierculis, adulatoribus et delatoribus fulta ac incitata saepe in libidinosam crudelemque tyrannidem abivit.

Ultimis reipublicae temporibus Roma bonis opibusque, expugnatarum gentium spoliis, ad opulentiam et splendorem pervenerat. Augustus campum Martium sumptuosis aedibus constravit, quarum opulentia offuscabat splendorem civitatis ipsius in septem collibus exstructae. Jactabatur se invenisse urbem latericiam, marmoream relinquere.

In hanc urbem Tiberinam omnium gentium homines confluabant. Nullus totius orbis terrarum, illa aetate noti, aberat populus. Roma similis erat urbi Graecæ, ut notum est Juvenalem scripsisse, et Syriacum flumen Orontes in Tiberim videbatur influere. Incolae utebantur religionibus moribusque corruptissimis.

Primitiva revelatio praesertim per Judæos innotuerat gentibus. Ratione tamen etiam cognoverant Deum<sup>1)</sup>. *Quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt*. Quanto magis verum **Deum** **obliviscebantur** et negabant, tanto numerus idolorum augebatur. Colebant rerum naturae insitas vires, sidera, tellurem, animalia, atque adeo simulacra. Paulo posterius vires insitae rebus humana specie induebantur. Qui dii quantis vitiis cupiditatibusque laboraverint, Romana ac Graeca mythologia docet. Nec mirum, religionem in deos saepe tenuem fuisse, eosque, qui cultura et ingenua voluntate praestarent, impias deorum fabulas respuisse nefariosque Olympiacos ludibrio ha-

<sup>1)</sup> Rom., I, 20—21.

buisse. Attamen ipsi quoque inopes se arbitrabantur ad religiones paganas emendandas. Dubii de iis quae gravissima sunt in vita hominis, vel ipsi philosophi diffidebant se unquam quae metaphysice vera sunt certo cognituros. Quare flebile sonat dicendi modus quo in scriptis suis Seneca posterioresque philosophi usi sunt. Improbantes cultum deorum suorum ad novas semper quaerendas inducendasque religiones praesertim orientales propellebantur. Mithrae sacra increbuerunt<sup>1)</sup>. Ignoto Deo altaria erecta<sup>2)</sup>. Corruptissimi quique imperatores in deorum numerum relati.

Neglecto vero Deo, **morum** quoque honestas longe retro extenuata abierat. Ubi terna proles, praemium *stolatae feminae* solvebatur. Poena statuta in adulteros. Qua de causa Dio Cassius numeravit ter mille lites nobilioribus familiis intentatas. Ad corrumpendos mores multum imprimis contulit indignissima *servitudinis*<sup>3)</sup> ratio, qua mancipia fere ex arbitrio dominorum pendebant. *Litterae* deinde mentes animosque pervertebant. Perniciosiores *ludi*. Hos Tacitus ponit inter gravissima integritatis et virtutis pericula. Ludis tamen turpitudine inhonestiores erant fabellae *Atellanae* et histriorum gestus. Pantomimicarum saltatio, qua praesertim qui eleganti humanitate primores erant oblectabantur, ad abjectissimam voluptatem deducta, exquisitissimis artificiis exsaturatos animos ad cupiditatem incendebat. Quo libidinosior ludicra res erat eo effusior apud populum plausus, et copiosius a pretoribus praemium. Negabat Ovidius<sup>4)</sup> se juste propter turpia carmina in exsilium missum, dum impune imperatores, senatus, matronae adeoque juvenes ludis adessent, quibus impudentissima libido cupidis oculis auribusque obversaretur. Quam fuerit luctuosissima morum vitaeque ratio, veram habebis tibi descriptam imaginem, si attenderis ad late ubique serpens turpissimum vitium Graecis proprium. Latini poetae aureae aetatis omnes, omnes imperatores, optimis haud exceptis, huic vitio quasi idolo sacrificabant. Foede commercium Caesaris cum Nicomede, rege Bithyniae irrisui et carmini fuit militibus. Quae vocabantur paedagogiae hae erant apud

<sup>1)</sup> Dr. K. H. E. De Jong, Das antike Mysterienwesen in religionsgeschichtlicher, ethnologischer und psychologischer Beleuchtung, Leiden 1909.

<sup>2)</sup> Act. Apost., 17, 23.

<sup>3)</sup> P. Allard, Les esclaves chrétiens, 3 éd., Paris 1900, p. 1—130.

<sup>4)</sup> Trist., II, 497 sq.

Romanos Graecosque frequentissimae. Philosophicae venustatis forma hoc vitium induebatur. Prae ceteris philosophi Graeci in hac infamia erant. Parmenides, Eudoxus, Xenocrates, Aristoteles, Polemon, Krantor et Archesilaus palam accusabantur.

Cum morum corruptela sociata **crudelitas**. Aristotele auctore servitus necessaria. In Attica numerabantur incolae vicies mille, servi quadringesies mille. Corinthi dicunt numerum ad 460000 creuisse. Romae Scauro erant 4000 mancipia in urbe, tantidem rure. Opulentissimis quibusque erant 10 ad 20 millia. Inspicienti leges apparet qualis fuerit eorum conditio. Jure servitium fuit morti simillimum. Domini nullo convento obligati. In servum non committebatur adulterium. In eum qui alterius bovem occidisset lex vetus Romana supplicium constituerat, servi interfectorum nullo judicio persequebatur. Cato, a quo exemplum sibi Romanae virtutis petere solebant, ea fuit crudelitate ut unus e servis ejus pree timore laqueo se suspenderit. Qui senili erant aetate eos ex aedibus extrudere solebat, servosque suos ad discordiam incitabat, ne contra eum conspirarent. Dein interfecto domino omnes servi mactabantur. Caeso Pedanio Secundo Nerone imperante, mancipia numero 400 in supplicium abducti sunt quod impedierant quominus dominus interficeretur<sup>1)</sup>). Quo tempore maxima vigebat humanitas apud Romanos et Graecos humanis hostiis litabatur.

Quare mirandum non est, Apostolum Paulum lugubri oratione de gentilibus scripsisse<sup>2)</sup>). Seneca, Pauli coaetaneus non minus acerbe: „*Omnia, inquit, sceleribus ac vitiis plena sunt. Plus committitur quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine. Major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. Nec furtiva jam scelera sunt, praeter oculos eunt; adeoque in publicum missa nequitia est et in omnium pectoribus invaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique, velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.”*<sup>3)</sup> Acrius, si fieri potest, rectissima edoctus Sallustius: „*Ex divitiis, scribit, juventutem luxuria*

<sup>1)</sup> Cf. de his omnibus praesertim Döllinger, Heidenthum, u. Judenthum IX, 2.

<sup>2)</sup> Rom., I, 21—32.

<sup>3)</sup> De ira, II, 8.

atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua nil pensi neque moderati habere . . . sed libido stupri, ganeae, ceterique cultus non minor incesserat. Viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propositulo habere.”<sup>1)</sup>

## 2º. Judaismus.

Quantopere Judaei adveniente Christo depravati fuerint, notissimum e S. Scriptura. Quamquam primitiva revelatio plerumque fideliter servabatur, plurimorum tamen vita huic non erat consona. Doctores et sacerdotes in errorem inducebant plebem. **Sadducaeui** ipsis principiis philosophiae Epicuri imbuti erant. Ab altera parte mundum creatum affirmantes, ab altera secum dissentientes, negabant ullum negotium effici a Deo in mundo. Negabant animam vivere post mortem hominis, atque adeo resurrectionem inficiabantur.

**Pharisaei** externe legem tuebantur, quin etiam plurima praecpta addiderant. Clara voce orare in areis et plateis, *tuba accidente* stipem porrigere, amplioribus fimbriis et latioribus *phylacteriis* vestem ornare, haec atque ejusmodi signa distinguebant Pharisaicum. Interno vero animo corrupti: *sepulcra dealbata*. Novimus divinum Salvatorem, qui tamen est infinita mansuetudo, quanta indignatione Phariseos reprehenderit. Legem enim intollerandam reddebat plebi, pro se ipsis sola externa ostentatione contenti. Sic lavabant manus ante epulas; lavabantur redeentes a foro aut macello; observabant ritum lavandi catinas, pocula et amphoras, quin etiam scamna, quibus accumbebant; frangebant amphoram in quam inciderat musca mortua; omnem potum percolabant ne forte glutirent culicem (immundum animal); at legem decumarum extendebant, ita ut de decumis denuo decumae solvendae. Hos Phariseos sic ingratando jugum populo impositum, multorum malorum auctores fuisse, facile patet. Simulatores fuerunt, corruptores plebis, qui specie Deo, revera sibi ipsi servitium praestabant.

## 3º. Praeparatio Christianismi. Impedimenta.

Semper tamen in his omnibus manebant **exspectatione** Messiaci erecti, utut Messianum regnum sola externa terrenaque

<sup>1)</sup> De bello catil., 12–13. A. Dufourcq, Histoire comparée des religions païennes et de la religion juive, 3 éd., Paris 1908.

magnificentia splendidum fore sibi fingebant. Quae dixerant prophetæ intelligebantur ad verba, non ad id quod ex verbis colligi debet. Ex vaticiniis Hierosolyma futura erat sedes regni Messianici. Quare ibidem putabant thronum Messiae fore, eo aurum argentumque ex nationibus collatum iri<sup>1)</sup>, fore ut gentilium bonis Judæi fruerentur de magnificentia gloriantes<sup>2)</sup>; ut exteræ nationes muros aedificarent, regesque earum Judæis servirent<sup>3)</sup>; ut inclinata fronte venirent qui eos oppressissent, et ad pedes se prosternerent qui maledixissent<sup>4)</sup>; ut decem „homines ex omnibus linguis gentium apprehenderent fimbriam viri Judæi dicentes: ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est<sup>5)</sup>.”

Quae omnia ad verba implenda arbitrabantur. Usque adeo ea exspectatio mentibus animisque insederat, ut vel ipse Philo, quamquam erat Platonicae scholæ *eclecticus*, ea moveretur. Paulo ante dirutam Hierusalem: „Fortasse, inquit, bellum numquam penetrabit regiones piorum (Judæorum), ... aut si præ insanirabidi hostes ruant in bellum..., rejecti majoribus viribus effusissime fugient quinos centeni, centenos decies mille, disparati per multas vias qui per unam venerant... Egredietur homo, inquit oraculum, qui bellando imperitandoque multas ac magnas gentes subjugabit, Deo factis suis submittente debitum auxilium”<sup>6)</sup>.

Universalis illa exspectatio, quae animos Judæorum tenebat tempore Christi nati, non solum innotuerat apud Romanos Graecosque, sed eos ipsos quoque ad bonam spem erexerat. Scriptores gentiles non pauci eam exprimunt. Sibilla prædicebat infantem divinum nasciturum qui auream aetatem adduceret:

*Ultima Cumæi venit jam carminis aetas.  
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.  
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,  
Jam nova progenies coelo demittitur alto.*

<sup>1)</sup> Is., 60, 9.

<sup>2)</sup> Is., 61, 6.

<sup>3)</sup> Is., 60, 10.

<sup>4)</sup> Is., 60, 14.

<sup>5)</sup> Zach., 8, 23. Vide Friedländer, Die religiösen Bewegungen innerhalb des Judenthums im Zeitalter Jesu, Berlin 1905, pag. 54 sq. Lagrange, Le Messianisme et le royaume de Dieu, Revue biblique 1905.

<sup>6)</sup> Philo, de praem. et poenis, ed. Paris. 1640 p. 924 sq. (versus finem libri).

*Tu modo nascenti puerō, quo ferrea primum  
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,  
Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo . . . .  
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri  
Irrita perpetua solvent formidine terras.* <sup>1)</sup>

Ex oriente ac nominatim ex Judaica terra salus et redemptio ventura praestolabatur. „Percrebuerat, Suetonius inquit, oriente toto vetus et constans opinio esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur” <sup>2)</sup>). Etsi praedictam exspectationem Virgilius implendam dicebat in filio Asinii Pollio nis, Suetonius in Vespasiano, spes tamen vigebat atque etiam a Tacito in libris suis relata est: „Pluribus, inquit, persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur” <sup>3)</sup>).

Infinita Dei misericordia paulatim terram praeparaverat ad adventum Christi. Optimi quique, agnoscentes quam luctuosa conditione gentilitas consenuisset, redintegrationem quae-rebant. Venerabantur non pauci doctrinam de moribus et religionem Judaeorum, qui ea aetate per universum imperium erant dispersi. Superbi Romani ut contemnerent „despectissimam partem gentium” (Tacitus), multi tamen proselytae Judaeis adjungebantur. Mulieres praesertim Romanae ad sacrum Judaeorum cultum animo propendebant <sup>4)</sup>). Quanto acrius gentilium animi, si qui probi honestique erant, debuerunt allici christianis ritibus, christiana doctrina moribusque? idque eo magis quod nuper nata christiana doctrina miraculis probaretur. Rei publicae quoque et humanae societatis ratio favebat diffundendae doctrinae christianaee. Unum enim imperium comprehendebat omnes tum notas terrae partes. Pax erat ubique. Ingeniosi usuque periti Romani commeandi facilitatem multo majorem gentibus tribuerant. Insuper lingua Graeca omnium eruditorum communis sermo factus erat, quo qui uteretur facile quid diceret ubique intelligebatur.

Quodsi favebant multa, multa quoque **obstabant** quo minus

<sup>1)</sup> Vergil., Ecl. IV, 4—10; 13—14.

<sup>2)</sup> Vita Vespasiani, c. 4.

<sup>3)</sup> Hist., V, 13.

<sup>4)</sup> Horatius, Sat., I, 9, 69, Ovid., Ars Amandi, I, 75.

Christi doctrina pervagaretur. Postulabat enim ea doctrina vitae castitatem et pudicitiam: caritatem coli erga omnes non exceptis servis, quos tantopere despiciebant: abrogari gladiatorum spectacula, quibus adeo cupide delectabantur. In religione exigebat Ecclesia, ut ratio integre subjiceretur Deo, ut firma fide crederentur veritates christianaæ, quae fugiunt vim humanae intelligentiae. Qui se ad fidem Christi converterent, iis ab imperio nihil exspectandum nisi adversa voluntas, persecutio, bonorum confiscatio, exsilium, ac non raro cruentus interitus. Quanti deinde constaret, perpetuo repugnare communi omnium opinioni. Insuper Auctor christianaæ doctrinae genere Judaeus erat. Quod genus quantopere despiceretur, colligi potest ex scriptoribus, praecipue Juvenali:

*Quidam sortiti metuentem Sabbathum patrem,  
Nil praeter nubes et coeli numen adorant,  
Nec distare putant humana carne suillam,  
Qua pater abstinuit, mox et praefutia ponunt;  
Romanas autem soliti contemnere leges,  
Iudaicum ediscunt et servant ac metuunt jus,  
Tradidit arcano quodcumque volumine Moyses,  
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,  
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.  
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux  
Ignava et partem vitae non attigit ullam.* <sup>1)</sup>

Primi quoque praedicatores fuerunt viri tenui cultu, simplices. Eo quod primorum sectatorum major pars homines plebeji erant, inutile videbatur atque indignum inquirere, qualis esset ista doctrina. Dicebantur christiani hominum osores, athei, adoratores asini<sup>2)</sup>; *infructuosi in negotiis; homines omnium scelerum rei*<sup>3)</sup>; *contemptissimae inertiae*<sup>4)</sup>). Sane forti animo, quin etiam saepius heroica virtute opus erat, ut quis in societate pagana a vitiis se et idololatria removeret et perpetuo opinionem

<sup>1)</sup> *Juvenalis*, Sat. v., 14, v. 96. sq.

<sup>2)</sup> *Tertull.*, Ap., cap. 16. *Kraus*, Realencycl. „Spottkrucifix.” *Dom Leclercq*, Art. âne, la calomnie de l’onolatrie in Dict. d’archéol. chrét. et de liturgie.

<sup>3)</sup> *Tertull.*, Apol., cap. 42 et cap. 2.

<sup>4)</sup> *Suet.*, Domit., c. 15.

publicam respueret. Optimi quoque e gentilibus Christianos *per flagitia invisos*, christiana sacra *exitialem superstitionem* et totum christianismum *malum* dicebant<sup>1)</sup>.

At qui factus est Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia<sup>2)</sup> animos viresque dedit ad obstacula omnia superanda. Placuit Patri dare pusillo gregi regnum<sup>3)</sup>, quod ad fines terrae dilataretur.

---

<sup>1)</sup> Tacitus, Annales, 15, 44.

<sup>2)</sup> I Cor., I, 23.

<sup>3)</sup> Luc, XII, 32.



PRIMA AETAS.

CHRISTIANA ANTIQUITAS.

I—692.

---

PERIODUS PRIMA.

AB ECCLESIA CONDITA AD EDICTUM MEDIOLANENSE.

I—313.



## CAPUT PRIMUM.

### ECCLESIA TEMPORE APOSTOLICO.

§ 1—§6 .

#### § 1. Jesus Christus Auctor Ecclesiae.

*Seppl und Haneberg*, Das Leben Jesu, VI Aufl., München 1898. *Schegg*, Sechs Bücher des Lebens Jesu, 2 Bde, Freib. 1874—1875. *C. Fouard*, La vie de N. S. J. C., 2 vols, Paris 1880. *Didon*, Jésus Christ, 2 vols, Paris 1891. *H. Lesêtre*, N. S. J. C. dans son Evangile, Paris 1892. *Pegues*, J. C. dans l’Evangile, 2 vols, Paris 1898. *De Camus*, La Vie de N. S. Jésus-Christ, 6 éd., 2 vols, Paris 1901. *P. Batiffol*, L’enseignement de Jésus, 6 éd., Paris 1907. *F. Vigouroux*, Diction. de la bible. *Jacquier*, Histoire des livres du N. T., 2 vols, 6 éd., Paris 1906. *Lepin*, Jésus Messie et Fils de Dieu d’après les Evangiles synoptiques, 3 éd., Paris 1907. *Jesus Christus*, Realencycl. f. prot. Theol., III Aufl., 9 Bde, Leipzig 1901. *Hermann Schell*, Christus. Das Evangelium und seine weltgeschichtliche Bedeutung, Mainz 1903. *Riess* S. J., Das Geburtsjahr Christi, Freiburg 1880. *Econtra*. *Schegg*: Das Todesjahr des Herodes und das Todesjahr Jesu Christi, München 1882. Realencycl. f. prot. Theologie, IX, 38 sq. *Belser*, Zur Hypothese der einjährigen Wirksamkeit Jesu. Bibl. Zeitschr. (1903), I, 55 sq., 160 sq., *Van Bebber*, Zur neuesten Datierung des Charfreitags, ibid. II, 67—77. *Ladeuze*, Rev. d’hist. eccles. 1904, 894—903. *Hontheim*, S. J. Das Todesjahr Christi, Der Katholik, 1903, Heft 6. *Idem*, Das Datum der Geburt Christi. Der Katholik, 1907, Heft 6, 7. *Van Etten*, Disquisitio critica quo tempore Verbum Incarnatum homo vixerit, Romae 1900. De externa christi specie, Pastor Bonus, Trier 1904 (September). *Dobschütz*, Christusbilder, Leipzig 1899.

1<sup>o</sup>. Ut venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum, natum ex muliere... ut adoptionem filiorum Dei recipieremus<sup>1)</sup>. Verbum caro factum est, ut homines e peccato redimeret, caelum aperiret, conderet Ecclesiam, quae rebus omnibus ad

<sup>1)</sup> Ad Gal., IV, 4—5.

sanctificationem conferentibus, instructa est. **Jesus Christus** finem posuit Veteri Testamento, Novumque instituit Testamen-  
tum caritatis. Mirabiliter natus (probabiliter intra annos 747  
et 750 U. c.) e S. Maria Virgine, post 30 circiter annos Jesus  
prodiit magister, elegit duodecim suos apostolos, tradidit doc-  
trinam suam in Palestina eamque illustribus miraculis confir-  
mavit. In propria venit, sed sui eum non receperunt<sup>1)</sup>. Scribae,  
Pharisaei et Sadducaeui Messiam suum agnoscere nolentes  
infeste ei adversabantur. Quod tamen odium caritatem Jesu,  
qui pertransibat benefaciendo, extinguere non valuit. Et cum  
venisset hora ejus, ipse se sua voluntate tradidit in potestatem  
inimicorum.

Clamante et plaudente populo ut **Messias** triumphans  
intravit civitatem regum patrum suorum. In finem diligens  
suos instituit convivium dilectionis, SS. Sacramentum Eucharis-  
tiae, atque ad montem Olivarum egressus coepit dolorosam  
passionem suam in redemptionem hominum. A populo suo  
gentilibus traditus, virgis caesus, spinis coronatus ad mortem  
turpissimam crucis damnatus est. Dum moreretur in cruce,  
velum templi scissum est in duas partes: Sancta Sanctorum  
propatula; Foedus, a Deo initum cum Judaeis finitum; Novum  
Foedus factum, ad quod tota hominum universitas vocatur.  
Tertio post die Christus in vitam gloriosam e sepulcro  
surrexit, et posteaquam suis saepius per quadraginta dies ap-  
paruerat ac de regno Dei, sua Ecclesia, locutus fuerat, ad Patrem,  
qui eum miserat, rediit. Apud quem in perpetuum manebit Ipse  
gaudium ineffabile triumphantis Ecclesiae suaæ.

**Annus, quo Christus natus est** haud scio an unquam  
certo definiri possit. En quaedam paulo certiora data, unde  
computatio fieri potest:

a. Testante Luca<sup>2)</sup> Jesus, cum baptizaretur imperante  
Tiberio anno quintodecimo, erat quasi triginta annos natus.  
Huic effato innixus Dionysius Exiguus saeculo VI aeram  
christianam supputavit. Posuit annum 15 imperantis Tiberii  
esse annum 782 vel 783 U. c. Quem numerum si diminueris  
30, habebis Christum natum a<sup>o</sup> 753 vel 754 U. c. Quam sit

<sup>1)</sup> Joan., I. 11.

<sup>2)</sup> III, 23. Dr. K. A. Kellner, Jesus von Nazareth und seine Apostel im  
Rahmen der Zeitgeschichte, Regensburg 1908.

autem haec supputatio incerta, patet primum eo quod Lucas scribit: „Jesus erat incipiens *quasi* annorum 30”; deinde ex eo quod Tiberius, anno U. c. 765 Augusto consors imperii factus, demum post Augusti mortem a<sup>o</sup> 767 U. c. solus imperavit. Non autem constat utrum Evangelista annos 15 Tiberii computaverit ab anno 765 an ab anno 767.

*b.* Accurior videtur esse supputatio sequens. Quo tempore Joannes Baptista conceptus est<sup>1)</sup> ordo sacerdotalis Abiae, ad quem Zacharias pertinebat, vice sua sacerdotio fungebatur in templo. Ex his ordinibus autem 24, qui singulis hebdomadis in vicem hoc munus obibant, Abiae ordo octavus erat. Constat dein pridie dirutae Hierosolymae ordinem Jojarib vicem suam inchoasse. Unde consequens est, Zachariam mense Aprili aut Octobri anni 748 U. c. in templo ministrasse atque angelum annuntiantem audivisse. Aliquot post menses facta est Annuntiatio Mariae, atque adeo Christus anno 749 U. c. esset natus. Factum esse nuntium Zachariae mense Octobri 748, Mariae mense Martio 749, ut Christus nasci potuerit mense Decembri, id optime cum vetusta christiana traditione consonat. Innititur tamen haec tota supputatio ei conditioni, ut ordines sacerdotales inde a Iuda Machabaeo ad dirutam Hierosolymam constanter vici bus suis in templo ministraverint, quod quidem nescio an possit certo argumento probari.

*c.* Repetendo auctoritatem a Flavio Josepho<sup>2)</sup> computatur, Herodem Magnum vita functum a<sup>o</sup> 750 U. c. Testibus autem Mattheo<sup>3)</sup>, Luca<sup>4)</sup> et Macrobio<sup>5)</sup>, auctore gentili, Herodes mortuus est non multo tempore post macratos infantes Bethlehem. Adeoque Christus natus esset a<sup>o</sup> 748 aut 749 U. c.

*d.* Apud Lucam<sup>6)</sup> legitur, primam recensionem populi, quae causa fuerit cur Maria et Joseph profecti sint Bethlehem, factam fuisse jussu Augusti, et Quirinium, Syriae praefectum, eam exsecutum esse in terra sancta. Historia autem

<sup>1)</sup> Luc., I, 5.

<sup>2)</sup> Antiquit. Jud., 17, cap. 8; De bello Jud., lib. I, cap. 21.

<sup>3)</sup> II, 19.

<sup>4)</sup> I, 5.

<sup>5)</sup> Sat., II, 4.

<sup>6)</sup> II, 1–2.

populi Romani nihil narrat de ejusmodi edicto, quod ditionem quoque Herodis regis comprehendenterit. Auctore Flavio Josepho<sup>1)</sup> Quirinius non nisi diu post, a<sup>o</sup> 759 U. c., factus est Syriae praefectus. Cujus difficultatis solvendae viae variae tentatae sunt. Zahn<sup>2)</sup> aestimat Josephum numero labi. Recentissimam et fortasse optimam solutionem proponit Ramsay. Hic putat primam universalem recensionem revera factam esse 7 aut 8 annis ante Christum natum, sed propter bellum Homonadense pro Palaestina ad annum 748 aut 749 fuisse dilatam, eoque tempore Quintilium Varum praefectum civilem, Quirinium vero praefectum militarem Syriae fuisse<sup>3)</sup>.

e. Neque computationes astronomicae rem ad certum exitum adduxerunt. Attamen si argumenta conjunctim sumuntur verisimillimum videtur, annum Nativitatis Christi intra annos 747 et 750 U. c. esse ponendum.

3<sup>o</sup>. Nonnulli Patres, Isaiae<sup>4)</sup> et synopticis inhaerentes, **spatium vitae publicae** Jesu ad unum annum contraxerunt. Sunt hodie quoque aliquot viri docti (van Bebber, Belser aliique), qui idem defendant. Manet tamen verisimilis ea sententia, quae tenet Christum<sup>2 1/2</sup> aut 3 annos praedicasse. Quum anno aetatis 30 vitam publicam inchoaverit<sup>5)</sup>, probabili conjectura mortuus est intra annos 780 et 783 U. c. Nonnulli Patres (Tertullianus, Lactantius et Augustinus) censem eum vita functum die 25 Martio. Recentiores diem mortis ponunt intra 20 Martium et 7 Aprilem, die 14 vel 15 mense Nisan<sup>6)</sup>.

4<sup>o</sup>. Quae **non-christiani** de Christo tradiderunt non solum pauca sunt, verum etiam partim adulterina<sup>7)</sup>.

a. Epistola, quam Mara Syrus ad suum filium Serapionem scripsit, juxta Socratem et Pythagoram Christum ponit, eumque „regem sapientem” vocat, quo imperfecto Judaei perniciem suam ipsi maturarunt; qui tamen mortuus

<sup>1)</sup> Antiq. Jud., XVIII, 1, 1.

<sup>2)</sup> Neue kirchl. Zeitschrift, 1893, pag. 633 sq.

<sup>3)</sup> Cf. quoque The Expositor, 1897 et 1901, pag. 321.

<sup>4)</sup> Cap. LXI, 1.

<sup>5)</sup> Luc., III, 23.

<sup>6)</sup> Realencycl. f. prot. Theol., IX, 1–43. Van Kasteren, Studiën, Deel 68 (1907), pag. 40 sq. Ladeuze, Revue d'hist. eccl., 1904, p. 894 sq.

<sup>7)</sup> A. Harnack, Gesch. der altchrist. Lit., I, 2, pag. 845–880. A. Seitz, Christuszeugnisse aus dem klassischen Altertum von ungläubiger Seite, Köln 1906.

vivit, nova ab ipso promulgata lege. Epistola vero haec, quam confectam putant intra annos 73 et 160 post Christum natum, an sit genuina multo plures viri docti dubitando vix non negant<sup>1)</sup>.

*b.* Nec minus dubium est, an sint genuinae litterae inter Christum et Abgar Uomo, Edessenum toparcham datae. Abgar petit ut morbo Christus medeatur, cui hic respondet a se post redditum ad Patrem discipulum missum iri<sup>2)</sup>.

Certe spuria sunt Acta Pilati<sup>3)</sup>, narratio apocrypha de Christi condemnatione, passione et resurrectione; spuria quoque est epistola Lentuli<sup>4)</sup>, qua externa Christi species describitur.

*c.* Apud nonnullos scriptores Romanos mentio fit de Christo deque ejus instituto: Plinius<sup>5)</sup>, Tacitus<sup>6)</sup>, Suetonius quoque, quemadmodum nonnulli volunt<sup>7)</sup>, dein Lampridius<sup>8)</sup>. Neque tamen hujus neque Luciani, Celsi aliorumque Christianismi adversariorum effata de Christo ulla historica auctoritate valent.

*d.* Non potest idem dici de celeberrimo testimonio Flavii Josephi<sup>9)</sup>. Omnes codices, uno Hebraeo excepto, eum locum habent. Josephus tacere de Christo *non potuit* eo quod cum laude Joannem Baptistam commemorat et de Jacobo narrans iterum Christum nominare debuit<sup>10)</sup>. E nostratis Van Manen<sup>11)</sup> etiam hunc ultimum locum

<sup>1)</sup> Ed. Cureton, Spicilegium Syriacum, London 1855 sq. Harnack, Gesch. der altchrist. Litteratur, I, 763.

<sup>2)</sup> Vide epist. apud Euseb., Hist. Eccl., I, 13. R. A. Lipsius, Acta Apostolorum apocrypha, Lipsiae 1891, pag. 279 sq. Genuinas eas esse, nuper prime defensum est in Der Katholik, Sept. et Oct. 1896; confer, pro Mara et Abgar, R. Duval, la Littérature Syriaque, 3 éd., Paris 1907, pag. 95 sq. Deeleman, Acta Pauli, Theol. studien, 1908, Afl. I, pag. 1—44.

<sup>3)</sup> Evangelia apocrypha, ed. Tischendorf, Lipsiae 1876, p. 210 sq.

<sup>4)</sup> Fabricius, Codex Apocryphorum, I, p. 301 sq.

<sup>5)</sup> Ep. X, 97.

<sup>6)</sup> Annal., XV, 44.

<sup>7)</sup> Claud., 25, Nero, 16.

<sup>8)</sup> Vit. Alex. Sev., 29, 43.

<sup>9)</sup> Antiq. Jud., XIII, 3, 3. Euseb., Hist. Eccles., I, 11. Dem. Ev., III, 5. A. Berendts, Die Zeugnisse vom Christentum im slavischen „de bello Judaico“ des Josephus. Texte und Unters. N. F. XIV, 4, Leipzig 1906. Conf. Anal. Boll. XXV (1906), p. 181 sq. Theol. Litter.-Zeit. 1906, No. 9, p. 262 sq.

<sup>10)</sup> Antiq. Jud., XX, 9, 1.

<sup>11)</sup> Het Evangelie sedet 1859, bl. 105.

spurium declaravit, cui se opposuerunt Loman, Scholten et Volkmar<sup>1)</sup>. Loci stilus consonat omnino cum Josephi scribendi ratione. Dein opus nullo modo est admittere, hominem illum *eclecticum*, cuius nihil earum rerum intererat, cum laude narrantem, suam ipsius mentem aperuisse; potius videtur loqui ad sententiam christianorum. Nonnulli locum ut adulterinum rejiciunt<sup>2)</sup>, alii interpolatum censem<sup>3)</sup>, non pauci ut genuinum defendunt<sup>4)</sup>.

e. Praecipua Evangelia apocrypha, quae tanquam concitatae phantasiae commenta, vera falsaque commiscent, numerantur: *Evangelium S. Thoma e*, *Nicodemi*, protoevangelium *Jacobi*, *Joannis de morte Mariae*, *historia Josephi*, *pueruli Jesu*, utraque *historia de nativitate Mariae*<sup>5)</sup>.

## § 2. Institutio Ecclesiae ejusque prima incrementa.

Quatuor Evangelia. Actus Apostolorum. Epistolae. *J. Döllinger*, Christenthum und Kirche zur Zeit ihrer Grundlegung, 2 Aufl., Regensb. 1868. *P. Batiffol*, L'Eglise naissante et le catholicisme, Paris 1909. *T. J. Foakes*, The history of the christian church from the earliest times to the death of S. Leo the Great, 4 ed., London 1906. *H. Lesêtre*, La sainte Eglise au siècle des Apôtres, Paris 1896. *G. Semeria*, Venticinque anni di storia del christianesimo nascente, Roma 1900. *L. Duchesne*, Histoire ancienne de l'église, Tom. I, deuxième éd., Paris 1906. *P. Rose*, Actes des Apôtres, Paris 1904. *Le Camus*, L'oeuvre des apôtres, 3 vols, Paris 1905.

**Auctor Ecclesiae** est Jesus Christus. Quamquam ipse se legi Mosaicae subjicit et soli populo Judaico praedicavit, *Evangelium* tamen ejus omnium hominum universitati annuntiandum erat. Ecclesia ejus ad hoc ab eo condita est, ut omnes totius orbis terrarum gentes comprehendenderet. Tenuis ille grex, quem secum collegerat Jesus in terra sancta, debebat, unus indivisusque manens, in universam terram dilatari.

<sup>1)</sup> Theol. Tijdsch., Jaarg. 1882.

<sup>2)</sup> *Asmussen*, Josephus und das Christentum, in Beyschlag, D. Ev. Bl. 1896, Heft 3.

<sup>3)</sup> *G. A. Müller*, Christus bei Fl. Jos., 2 Aufl., Innsbruck 1896.

<sup>4)</sup> *F. Bohle*, Flav. Jos. über Christus und die Christen u. s. w., Brixen 1896. Stimm. a. Mar.-L., 1897 etc. etc.

<sup>5)</sup> Haec et alia edid. *Fabricius*, *Thilo*, *Tischendorf* in Codice Apocryph. et *Evangelia Apocrypha*.

Propterea voluit naturam Ecclesiae hinc esse in potestate docendi, regendi, sanctificandi, illinc vero in obligatione sese subjiciendi hujus potestatis imperio eique obtemperandi. Sicut officium obtemperandi imposuit fidelibus, ita triplicem illam potestatem dedit Petro et sub Petro reliquis quoque apostolis iisque, quibus hi ipsi eam traderent. Potestatem docendi contulit Jesus Apostolis post resurrectionem suam cum diceret: „Ite et docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S<sup>i</sup>”<sup>1</sup>). Potestatem vero regendae Ecclesiae, quam daturum se Petro vivus promiserat<sup>2</sup>), dedit ei post resurrectionem, cum apparebat ad lacum Tiberiadem<sup>3</sup>). Potestatem aggregandi nova membra in Ecclesiam eaque ulterius sanctificandi contulit Dominus instituendo septem Novae Legis Sacra menta. Quod partim ante, partim post mortem Christi factum est.

Ex hisce consequens est Ecclesiam non esse conditam cum S. Spiritus descenderet; primumque festum Pentecostes non nisi latiore sensu diem natalem Ecclesiae dici posse; eo nimis quod recens condita Ecclesia S. Spiritum illo die accepit atque hac „virtute ex alto” primum suum majore numero incrementum habuit.

**2º. Coetus Hierosolymitanus.** Cum Christus in caelum ascenderet, fideles fere 600 numerabantur. Circiter 120 congregabantur cum Maria, matre Iesu, Hierosolymis, ut praeparent se ad adventum Spiritus Sancti. Tum apostoli duce Petro constituerunt, ut in locum Judae proditoris alias sufficeretur. De duobus viris justis Joseph Barsaba et Matthia, invocato Spiritu S<sup>o</sup>, „sortes dederunt, et cecidit sors super Matthiam et annumeratus est cum undecim apostolis.”

Mirabilia, quae descendenter Spiritum Sanctum comitata fuerant, atque apostolorum praedicatio in lucem protulerunt Ecclesiam<sup>4</sup>). Tria millia ex Judaeis, qui undique Hierosolymam confluxerant, baptizati doctrinam salutis secum deportaverunt in patriam<sup>5</sup>).

<sup>1</sup>) Matth., XXVIII, 19.

<sup>2</sup>) Matth., XVI, 16—19.

<sup>3</sup>) Joan., XV, 15—17.

<sup>4</sup>) Act. Apost., I, 19.

<sup>5</sup>) Act. Apost., II, 41.

Hierosolymis apostolorum sermones quaeque ab iis mirabiliter efficiebantur, nominatim sanatio hominis claudi ad portam templi<sup>1)</sup>, magnum in animis motum excitarunt, ita ut numerus fidelium ad 5000 creverit<sup>2)</sup>). Erant perseverantes fideles in doctrina apostolorum, in fractione panis et orationibus, vivebantque in sancta bonorum suorum communitate<sup>3)</sup>). Quam animorum affectionem Spiritus Sanctus comprobavit. Etenim cum *Ananias et Saphira*, vendito agro suo *S. Petrum* mendacio decipere conati essent, Apostolico verbo repentina morte puniti sunt<sup>4)</sup>.

Perpetuo coetus augebatur. Quum autem nonnulli quererentur viduas Hellenistarum postponi ceteris, elegerunt Apostoli septem viros Spiritu S° plenos, quibus ministerium pauperum et agaparum commendarent. Ea fuit **institutio diaconorum**. Tum apostoli omni opera praedicando Evangelio et sacro cultui exercendo incumbere poterant<sup>5)</sup>.

3º. Initio Judaeorum proceres sinebant Christifideles haec omnia agere. Diu tamen id permitti non pouitt. Christus enim praedixerat „si me persecuti sunt et vos consequentur”<sup>6)</sup>. Quum ergo Petrus, homine claudio ad portam templi sanato, praedicans appellaret Christum Sanctum, Justum, Auctorem vitae et Judaeis grave crimen exprobraret quod Jesus crucifixissent, cum Joanne ad consilium supremum ductus est iisque interdictum ne ultra talia praedicarent<sup>7)</sup>). Paulo tempore post Apostoli omnes in carcerem conjecti, ac noctu per angelum liberati, postero die denuo in templo docentes reperti sunt. Coram concilio Petrus omnium nomine se Deo potius respondit, quam hominibus obedituros. A mortis poena Gamaliel eos liberavit. Virgarum castigationem cum gudio subierunt, „quod digni habiti essent pro nomine Jesus contumeliam pati”<sup>8)</sup>. Praedicabat quoque eo tempore Stephanus diaconus, studio et fervore ardens, ac verisimile est eum verbo suo et miraculis

<sup>1)</sup> Act. Apost., II, 43; III, 1 sq.

<sup>2)</sup> Act. Apost., IV, 4.

<sup>3)</sup> Act. Apost., II, 42 sq.

<sup>4)</sup> Act. Apost., V, 1 sq.

<sup>5)</sup> Act. Apost., VI, 1 sq. Nonnulli censem pro Hebraeis jam creatos fuisse diaconos. Confer *A. Mertens*, *De hiérarchie in de eerste eeuw des christendoms*, Amsterdam 1908, pag. 67 sq.

<sup>6)</sup> Jo., XV, 20.

<sup>7)</sup> Act. Ap., III, 1 sq.

<sup>8)</sup> Act. Ap., V, 17 sq.

„magnum numerum Sacerdotum” ad fidem adduxisse. Lapidibus obrutus interiit primus martyr. Quod factum est initium vehementis persecutionis<sup>1)</sup>. Christiani fugientes disseminabantur in Iudea et Samaria, quin etiam in Phoeniciam, Cyprum et Syriam. Apostoli suis locis remanserunt. Philippus multos e Samaritanis baptizavit, qui brevi post, impositis manibus Petri et Joannis, Spiritum Sanctum adepti sunt. Eam potentiam Apostolorum Simon Magus aere venalem putabat. Ab eo deinde vocantur *Simonistae*.

Anno 42 nova exorta est persecutio. Herodes Agrippa, quem Claudius imperator regem Iudeae et Samariae constituerat, christianos tradidit odio sacerdotum Iudeorum. S. Jacobus Major martyrio absumptus est. Petrus, ipsis ante Pascha diebus in vincula conjectus, sed orantibus fidelibus ab angelo ereptus, abiit „in alium locum”.

Jacobus Minor regebat ecclesiam Hierosolymitanam. Propter eximiam sanctitatem in veneratione erat apud Iudeos, sed postea intra annos 60 et 70 in odium fidei interfactus est<sup>2)</sup>. Exorto bello Judaico (66) christiani Hierosolymis egressi regionem trans Jordanum incoluerunt<sup>3)</sup>.

**4º. Separatio Ecclesiae a Synagoga.**<sup>4)</sup> Extendenda erat Ecclesia per universum terrarum orbem. Quare non poterat constare solis christianis e Judaismo. Discrimen inter Iudeos et gentiles Christus everterat. Alteri juxta alteros cum pace intrabunt in ecclesiam, nam solo Iesu nomine salus comparanda<sup>5)</sup>. Licet inde ab initio ipsa natura sua Ecclesia a synagoga discriminaretur, externe tamen ad tempus fideles remanebant cum synagoga conjuncti. Ut ut enim fide in Christum, doctrina ejus et fractione panis in separatum coetum coibant, servabant tamen legem Judaicam et intererant sacris

<sup>1)</sup> Act. Ap., VII, 1 sq. De loco ubi sit lapidatus, cf. Lagrange: Saint Etienne et son sanctuaire à Jérusalem, Paris 1894.

<sup>2)</sup> De martyrio vide Euseb., Hist. Eccl., II, 1. Josephus (Antiq., XX, 9, 1.) dicit anno 62—63, Euseb. (III, 11) censet brevi ante dirutam Hierosolymam.

<sup>3)</sup> Cf. E. Beurlier, Le monde juif au temps de Jésus-Christ, Paris 1900. C. Fouard, Les origines de l'église. Saint Pierre et les premières années du christianisme, 3 éd., Paris 1893. Ermoni, Les églises de Palestine aux deux premiers siècles. Revue d'hist ecclés. 1901, p. 15—32.

<sup>4)</sup> J. Thomas, La question juive dans l'église à l'âge apostolique (Revue des quest. hist., Oct. 1889; Avril 1890).

<sup>5)</sup> Act. Ap., IV, 12.

publicis in templo. Etiam christianis e gentilitate licitum erat ad adorandum verum Deum in templum introire.

Jam adesse horam, ut gentiles baptizarentur, primum significatum est Petro anno 40 Joppae<sup>1)</sup>. Mirabilis visio eum docuit legem Judaicam, quae vetabat manducare cibos immundos, abrogatam esse, gentilesque, quos Judaei immundos censebant, a Deo sanctificari.

Tum Cornelius, centurio cum tota familia sua a Petro suscepit baptismum. Permulti paulatim gentiles admittebantur. Anno 42 erat Antiochiae numerosa ecclesia, quae maximam partem e conversis gentilibus coaluerat. Paulus et Barnabas unius anni tempore adeo prospere operati sunt ut ea fieret Ecclesia mater christianorum qui erant e gentilitate, quique ibidem primum intra annos 40 et 45 **christiani**<sup>2)</sup> vocati sunt<sup>3)</sup>.

Dum autem numero augebantur christiani e gentilitate, ratione eadem increscebat fremitus christianorum, qui erant e Judaismo. Cornelium centurionem susceptum fuisse, id quasi factum extra ordinem, ex manifesto interventu Spiritus S', cum pace admiserant.

Quum vero multi numero gentiles converterentur, animi christianorum, qui erant e Judaismo, commoti sunt. E Judaea aliquot Antiochiam venerunt dicentes: „nisi circumcidamini salvi fieri non poteritis”. Cui errori, quem fortiter oppugnabant Paulus et Barnabas, in Ecclesia vehementer adversatum est. Constitutum ut Paulus cum Barnaba irent Hierosolymam ad hoc negotium tractandum. Quod factum est. At Hierosolymis quoque qui erant conversi e Pharisaismo dixerunt: „debent circumcidere et legem Mosaicam servare”.

Tum in **concilium primum** coierunt Ecclesiae principes, „apostoli et seniores”. Nominatim Petrus, Joannes<sup>4)</sup>, Jacobus minor, Paulus et Barnabas referuntur. Omni modo de hoc negotio investigatum est. Posteaquam Petrus, Paulus, Barnabas et Jacobus sententiam suam aperue-

<sup>1)</sup> Act. Ap., X, 1 sq.

<sup>2)</sup> Graece loquentes pagani primi hoc nomen usurpasse videntur. Cf. *Döllinger*, Christenthum und Kirche, I, 51; *Lipsius*, Über Ursprung und Gebrauch des Christennamens, Jena 1873; *J. Daniels* S. J., Studien, Deel 67 (1907), pag. 568 sq. *Harnack*, Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten, 2 Aufl., Leipzig 1906, I Bd., p. 334 sq.

<sup>3)</sup> Act. Ap., XI, 26.

<sup>4)</sup> Ad Gal., II, 9.

rant communi consilio statutum est: „visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato et fornicatione”. Judas et Silas missi a concilio cum Paulo et Barnaba profecti sunt Antiochiam ut quae statuta fuerant communicarent. Magno gaudio christiani audierunt se liberatos esse a jugo legis Mosaicae.

Hoc primum concilium habitum est circiter a<sup>o</sup> 50<sup>1)</sup>.

Sic error evictus et libertas christianis e gentilitate servata. De christianis qui erant e Judaismo nihil omnino a concilio constitutum. An ipsis manebat obligatio servandi Mosaicam legem? Videbatur quidem; eo magis quod ea lex simul imperii lex erat. At quantopere noceret unitati recentis Ecclesiae, si baptizatus Israëlite despiceret baptizatum gentilem, seipsum mundum, alterum Romanum vel Graecum immundum existimans! Oportebat igitur, ut mox manifestaretur christianum quoque, qui e Judaismo venerat, liberum esse a lege Mosaica. Cujus rei manifestandae ansa fuit iter Petri Antiochiam.

Initio commeabat cum christianis e gentilitate nec legem Mosaicam observabat. Advenientibus autem Hierosolymis quibusdam christianis e Judaismo, his se associabat simulque abstinuit a cibis lege vetitis, atque id quidem metu ductus ne sua apud eos auctoritas minueretur. Quam tamen agendi rationem altera pars facile ita interpretari poterat, ut putaret eum censere se etiamnum lege Mosaica teneri. Aegre id tulit Paulus, praesertim quod quae faciebat Summum Caput Ecclesiac etiam christianos e gentilitate commoveret. Palam objurgavit Petrum, qui vituperationem non repudiavit. Unde in aperto positum est nec Petrum nec Paulum nec christianos e gentilitate lege Mosaica teneri<sup>2)</sup>). Interim christiani, qui erant e Judaismo, pergebant vivere sicut antea consueverant; brevi autem post Urbis eversio in causa fuit cur servare legem Mosaicam in desuetudinem abierit.

<sup>1)</sup> Act. Ap., XV, 1 sq. Bibl. Zeitschr. 1903, 256 sq. 372 sq. Cf. H. Wilbers S. J., Studiën, Deel 67 (1907), p. 193 sq. H. Coppieters, Revue Bibl. 1907, pag. 34 sq.; 218 s. Resch, Forsch. u. Unters. N. F. XIII, 3. A. Seeberg, Die beiden Wege und das Aposteldecreet, Leipzig 1906. Ermoni, Art. Abstinence du sang et des viandes suffoquées, in Dict. de théol. cath.

<sup>2)</sup> Ad Gal., II sq. Cf. Döllinger, Christenthum u. Kirche, pag. 62 sq. F. Prat, La théologie de Saint Paul, Paris 1908, p. 69 sq.

Anno 66 commota est seditio in Romanos, quam obsidio et eversio urbis consecuta est. Qua clade christiani non sunt afflicti. Etenim jam a Christo<sup>1)</sup> moniti relicta civitate migrarunt Pellam, in regionem trans Jordanum.

Quod quidem exemplum fortasse christiani quoque e Judaea et Galilaea secuti sunt. Fuit Pella colonia a Graecis collocata, ita ut videantur hic primum christiani, qui e Judaismo erant, in sua vivendi ratione, quam antea adeo separati instituebant, influxum a christianis, qui erant e gentilitate, subiisse. Gravissimi quoque momenti fuit templi ruina. In Judaismo enim ritus sacrorum ac universa religiosae vitae ratio templum adesse postulabat, idque ex praescripto legis unicum tantum in uno definito loco. Quod ut flammis est absumptum, id quod caput erat in lege rituali verba inania facta sunt; cessabant sacra atque adeo princeps officium sacerdotii. Vanam multorum Judaeorum expectationem, Deum miraculo templum de repente reaedificaturum, christiani non sequebantur. Quinimmo in templi ruina agnoscebant divinam dispositionem significatumque videbant, finem adesse legis Judaicae, adeoque seipso omnino liberatos esse a Judaismo. Quaecumque antea Judaeis facta privilegia jam absumpta; neque ulla quidem vitae publicae ratio, dirutis civitate et templo, supererat. Supererat sane lex, at inutilis, eo quod observari amplius non poterat. Agnoscebant christiani omnes et certe etiam plures Judaei hanc populi prius electi reprobationem<sup>2)</sup>.

### § 3. S. Pauli labores apostolici.

*C. Fouard*, St. Paul, ses missions, 5 éd., Paris 1898; St. Paul, ses dernières années, 2 éd., Paris 1899. *De chronologia laborum Pauli*: *Jacquier*, Hist. des Livres du N. T., p. 15. *Harnack*, Geschichte der altchristlichen Litteratur, II, 1, pag. 233 sq., Leipzig 1897. *J. Belser*, Tüb. Quartalschr. 1899, pag. 353—379. *Belser*, Einleitung in das neue Testament, Leipzig 1897. *C. Clemen*, Paulus. Sein Leben und Wirken, Giessen 1904. *F. Prat*, La théologie de St Paul, Paris 1907. *Lemonnyer*, Epîtres de St. Paul, 2 éd., Paris 1905. *W. H. Ramsay*, S. Paul the traveller and the Roman citizen, 3 ed., London 1897.

<sup>1)</sup> Matth., XXVI, 15; Cf. *Euseb.*, Hist. Eccles., III, 5.

<sup>2)</sup> *Döllinger*. Christenthum u. Kirche, pag. 110 sq. De eversione civitatis vide *Dr. Emil Schürer*, Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi, Leipzig 1890, I, pag. 502 sq; praesertim *Flav. Joseph*. De bello Judaico, II, 17 sq. V, VI, VII, ed. *Haverkamp*. Dicit tamen Schürer, Josephum saepenumero labi.

Antiochiae primus coetus christianorum, qui erant ex ethnicis, coaluit. Sicut S. Paulus ibi prae ceteris laboraverat, ita in posterum quoque praecipuus gentium apostolus erat futurus. Natus Tarsi in Cilicia, prius Graece eruditus, scientiam Judicam didicit ad pedes Gamalielis. Sed alienus remansit a moderatione magistri. Ardens legis studium in vehemens odium christianorum abivit. Jam fuerat particeps martyrii S. Stephan et persecutionis christianorum Hierosolymis factae<sup>1)</sup>, cum se Paulus offerebat Judaeorum Sanhedrin, ut in aliis quoque locis invisos Jesu sectatores extingueret.

Probabiliter a<sup>o</sup> 33 dum ibat Damascum, in via, divina gratia adactus, a persecutore in apostolum conversus est. Post triduum ab Anania baptizatus, nihil moratus prodiit in Synagoga praedicans Iesum esse filium Dei<sup>2)</sup>. Recessit dein in Arabiam sese praeparatus ad praestanda praecolla munera, quae ipsum manebant. Inde redux atque iterum aliquo tempore praedicando Damasci insumpto, tertio a conversione anno venit Hierosolymam ut Petrum, caput Ecclesiae, veneraretur. Quindecimo post die visendi causa adivit urbem suam natalem Tarsum, ac peragrata Cilicia et Syria ad annuntiandum Evangelium, anno 42 vel 43 a Barnaba vocatus est Antiochiam. Ibi initio Paulus inferiorem locum tenens priores partes Barnabae aliisque concedebat. At praecollaris ingenii facultibus, doctrina ac sanctitate, brevi prae aliis eminuit. Anno 46 missus Hierosolymam ut reditus collectae, quae Antiochiae facta fuerat, pauperibus erogaret, cum Joanne Marco et Barnaba inde rediens itinera sua inchoavit.

**2º. Primum iter Pauli.** Id iter anno 46 ingressus est Paulus peculiarem revelationem secutus. Comitantibus Barnaba et Joanne Marco primum adiit Cyprum, patriam Barnabae ibique Sergium Paulum<sup>3)</sup>, proconsulem, ad fidem adduxit. Inde profecti sunt Pergen in Pamphilia. Postquam Marcus redierat Hierosolymam, Paulus et Barnabas, fere continuo hostium insectationibus et persecutionibus obnoxii, laborare perrexerunt in partibus meridionalibus Galatiae, Antiochiae, in Asia minori, Iconii et Lystris, ubi Paulus lapidibus obrutus

<sup>1)</sup> In chronologia hic sequimur prae aliis *Belser*, Einleitung.

<sup>2)</sup> Act. Ap., IX, 19; XXII, 3 sq.

<sup>3)</sup> Arbitrantur nonnulli apostolum ex hujus viri nomine Saulum in Paulum vertisse, alii putant Hellenistico modo Saulum dici Paulum.

est, vitam tamen incolumem servavit, dein Derbae. Unde redierunt Lystras, Iconium et Antiochiam, ut fidelium coetus confirmarent, et annuntiato Evangelio Pergae, post triennii iter anno 49 reduces, Antiochiam in Syria venerunt. Inde videtur Paulus hoc anno scripsisse suam **ad Galatas** epistolam. Alii vero censem primam a Paulo scriptam epistolam fuisse priorem ad Thessalonicenses<sup>1)</sup>.

**3º Alterum iter Pauli.** Postquam aº 49—50 hiemali tempore Hierosolymam tertio adierat<sup>2)</sup>, ibique concilio Ecclesiae interfuerat, aestate ejusdem anni 50 cum Sila<sup>3)</sup> Antiochia profectus prius Lycaoniam et Pisidiam peragravit, ut ecclesias Derbae et Lystris inviseret. Assumpto in hac urbe novo comite Timotheo, adivit Iconium et Antiochiam. Susceptum deinde consilium praedicandi Evangelii in Asia et Bithynia a Spiritu Sº impeditum est. Propterea, Sila et Timotheo comitibus, vertit se in Phrygiam, Galatiam et Mysiam, usque ad Troadem, ubi futurus Evangelista Lucas se iis socium adjunxit. Quaedam quae per somnum viderat, coegerunt eum ire in Europam, in Macedoniam primum. Philippis Paulus condidit ecclesiam et cum Sila est flagellatus et in carcerem trusus. Conversa familia Lydiae et carceris custode, cum sociis profectus est Thessalonicanam et Beroeam ibique ecclesias instituit. Persequentibus eum Judaeis, relictis sociis solus adivit Athenas. Ad Areopagum habita oratio acriter animos commovit, ac Dionysius Areopagita cum aliis aliquot fidem amplexi sunt, sed irridebant Areopagitae doctrinam resurrectionis. Meliores successus habuerunt labores Corinthi. Adveniens ibi exeunte aestate anni 51 reperit tres suos comites, cum quibus condito coetu mansit laborans ad annum 53. Habitavit Paulus in domo conjugum Aquilae et Priscillae Romanorum, qui propter decretum Claudi imperatoris Roma aufugerant. Persequentibus vehementer Judaeis, opem et tutelam invenit apud Gallionem proconsulem Senecae fratrem. Corinthi scripsit anno 51 vel 52 **utramque epistolam ad Thessalonicenses**.

<sup>1)</sup> Act. Apost., XIII, 1—14, 28. Ad Gal., IV sq. Non possumus hic discutere varias opiniones de tempore quo Pauli et aliorum epistolae sunt scriptae. Sequimur fere *Belser*, Einleitung, ed. recentissima 1905.

<sup>2)</sup> Act. Apost., XV, 1 sq.

<sup>3)</sup> Is idem est qui in epistolis Pauli vocatur Silvanus. *Belser*, Einleitung, 428 sq. Zahn, Einleitung, I, 22—23.

Verno tempore anni verisimiliter 53 cum Aquila et Priscilla Kenchreis navi profectus est Ephesum et, brevi mora facta, Hierosolymam, voti solvendi causa. Mox redux Antiochiae aliquot menses stetit<sup>1)</sup>.

**4º. Tertium iter Pauli.** Eodem anno 53 revisit prius jam conditos coetus Syriae, Ciliciae, meridionalium partium Galatiae, et Phrygiae, dein Ephesum, ubi verno tempore anni 54 adveniens mansit usque ad autumnum 56<sup>2)</sup>). Hic scripsit, fortasse mense Aprili praedicti anni, **primam epistolam ad Corinthios**; mox Troadem petiit ibique hiemavit. Inde mense Martio anni sequentis navigavit in Macedoniam, ubi brevi post tempore scripsit **secundam epistolam ad Corinthios**. Dein aliquot post menses ipse navi Corinthum profectus est. Quo advectus mense Novembris 57 mansit in domo Gaji cuiusdam, et verisimiliter mense Februario 58 scriptam **epistolam ad Romanos** dedit Phoebeae diaconissae, quae eam secum portaret Romam. Terrestri itinere, tribus mensibus post, redux in Macedoniam, post Pascha 58 profectus est Troadem et Mileten, ubi valedixit presbyteris Ephesini, dolentibus valde quod faciem ejus non amplius essent visuri. Tum quinta vice Paulus venit Hierosolymam ut collectas a christianis Hellenistis eleemosynas distribueret. Sic festo fere Pentecostes 58 tertium iter conclusum est<sup>3)</sup>.

**5º. Custodia Pauli Hierosolymis et Caesareae.** Hierosolymis christiani qui e Judaismo erant, fremebant in Paulum, quod docebat eos non obligari ad servandam legem. Propterea, a Jacobo consilio accepto, venit in templum solvitque sumptus sacrificii lustralis pro quatuor hominibus pauperibus. Quod dum faciebat, aliquot Judaei zelantes ex Asia minore eum agnoverunt, statimque extra templum necassent, nisi in statione templi collocati Romani milites intercessissent. Qui Paulus, abducto in castellum, facultatem dederunt oratione se coram concitata multitudine defendendi. Attamen cum plebis animi vehementius inde essent commoti, Claudius Lysias tribunus jussit eum virgis adigi, ut confiteretur cuius criminis esset reus. Quod quidem Paulus impedivit provocando ad jus civitatis. Postero die ad sanhedrin adductus mentionem intulit de mortuorum resurrectione, quo facto orta est altercatio Phariseorum et Saddu-

<sup>1)</sup> Act. Apost., XV, 35—XVIII, 18. Cf. Belsler, in Tüb. Quart., 1898, 369 sq.

<sup>2)</sup> Act. Apost., XIX, 1 sq. E. Jacquier, op. cit., Tom. I, p. 104.

<sup>3)</sup> Act. Apost., XX, 3—XXI, 17.

eorum, ita ut decerni nihil potuerit et Paulus in castellum sit reductus. Sed ut salvum eum a Judaeis servaret, Lysias misit Paulum Caesaream ad Felicem proconsulem. Qui licet ipse quoque nullam ejus culpam inveniret, tamen spe ut pecunia redimeretur, tenuit Paulum duos annos (58—60) in custodia. Quum autem Porcius Festus ei successisset, Paulus provocavit ad Caesarem et Romam deductus est<sup>1)</sup>.

**6º. Prima custodia Pauli Romae.** Peracta difficillima navigatione, actisque hibernis in insula Melito, ubi Paulus multa patravit miracula, verno tempore anni 61 ventum est Romam. Usque ad „tres Tabernas” obviam Paulo ex urbe venerunt christiani. Duos annos in domo sua custodiebatur multamque interea contulit operam ad disseminandum Evangelium. Erant cum ipso Lucas, Timotheus, Tychicus, Marcus, Demas, ac duo viri cum ipso comprehensi, Aristarchus et Epaphras e Macedonia. Hoc ipso tempore scripsit **epistolas ad Philemonem, ad Colossenses et ad Ephesios**. Anno 63 in vincula conjectus, sed iterum liberatus est, postquam paulo ante miserat **epistolam ad Philippenses**<sup>2)</sup>.

**7º. Reliqui labores Pauli et mors.** Fere mense Aprili anni 63 Paulus, feliciter obtenta causa, vinculis solutus est. Videtur tum denuo longum iter instituisse et Hispaniam, Graeciam et Asiam invisisse. Quo durante itinere, aº 63 vel 64, verisimillimum est, **epistolam ad Hebraeos** esse confectam, cuius nonnulli sententias quidem Paulo, sermonem vero Apollini ascribenda, alii et sententias et verba Paulo neganda putaverunt. Ante exeuntem annum 66 iterum Paulus Romae in vincula conjectus est, commovente Neronе primam christianorum persecutionem. His vinculis demum solutus est martyrio, quod subiit aestivo tempore anni 67, civis Romanus ense necatus<sup>3)</sup>.

**8º. Pauli indoles.** Prae aliis omnibus, qui in N. T. nominantur, Paulum recte novimus, quod non solum in *Actibus Apostolorum* Lucas sui magistri imaginem accurate descripsit, sed in *Epistolis* quoque Paulus ipse suam. Videtur fuisse tenui externa specie. „Quoniam quidem epistolae,” adversarii inquietabant Corinthi, „graves sunt et fortes; praesentia autem corporis infirma

<sup>1)</sup> Act. Apost., XXI, 26—XXV, 12.

<sup>2)</sup> Act. Apost., XXV, 12—XXVIII, 31.

<sup>3)</sup> Belser, Einleitung, p. 575 sq., 593 sq.

et sermo contemptibilis”<sup>1)</sup>. Lycaonii Barnabam Jovem putabant, Paulum Hermem, quod statura exiguus erat<sup>2)</sup>. Videtur ipse Paulus novisse non multum se eloquenter dicendo valere. Scribit enim ad Corinthios, se apud eos fuisse „in infirmitate et timore et tremore multo”<sup>3)</sup>.

Sed in corpore imbecillo vigebat animus magnus, ardens, nullo labore, nulla unquam adversitate fractus, nulla impugnatione victus. Ut ut aegro corpore et debili portansque concretum thesaurum „in vasis fictilibus”<sup>4)</sup>, gloriabatur de infirmitate sua, quod fortem se Dei ope sciebat. Etenim se Dei spiritu agi, Christum in eo loqui vel ipsum in Christo, Dei virtutem in ipso habitare, hoc firmissima certitudine cognoverat. Hanc persuasionem a Christo acceperat. Quaternis vicibus ei Christus apparuerat<sup>5)</sup>, semel eum usque in tertium caelum assumpserat<sup>6)</sup>. Perpetuo vigebat in eo virtus Christi, qui „in infirmitatibus... in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis” robur ei et animum addebat<sup>7)</sup>. Quippe egebat sane hac singulari ope, hoc interno solatio. Anno 57, qui erat decimus ante mortem, jam fuerat quinques a Judaeis flagellatus, ter a Romanis caesus virgis, Lystris semel lapidibus obrutus, quasi mortuus relictus, septies in vincula conjectus. Ter naufragium fecerat, reliquiis navis inhaerens semel diem unum et noctem fluctibus fuerat jactatus<sup>8)</sup>. Interea dum ejusmodi patiebatur et laborabat, indefessa semperque infervescente dilectione in Christum ferebatur. Mundo crucifixus, totus a Christo agebatur; ubere opulentoque ingenio, praestantibus animi facultatibus veluti transfiguratis in ferventissimum amorem Jesu. Hoc erat magnifici apostolatus momentum, quo omnia omnibus factus est, „ut omnes faceret salvos”<sup>9)</sup>.

9º. **De secunda Pauli custodia Romae deque itinere in Hispaniam**<sup>10)</sup> antea viri docti catholici generatim dissentiebant

<sup>1)</sup> II Cor., X, 10.

<sup>2)</sup> Act. Ap., XIV, 11.

<sup>3)</sup> I Cor., II, 3.

<sup>4)</sup> II Cor., IV, 7.

<sup>5)</sup> Act. Ap., XVIII, 10; XXIII, 11; XXVII, 23.

<sup>6)</sup> II Cor., XII, 1—4.

<sup>7)</sup> II Cor., XII, 10.

<sup>8)</sup> II Cor., XI, 24—25.

<sup>9)</sup> I Cor., IX, 22. Cf. *Döllinger*, Christentum und Kirche, p. 86 sq.

<sup>10)</sup> *Harnack*, Chronologie, pag. 239; *Belser*, Einleitung, pag. 556 sq.

a protestantibus. Hodie dum vero hi, ultero facta inquisitione, sententiam mutarunt. Spitta<sup>1)</sup>, Steinmetz<sup>2)</sup> et Harnack<sup>3)</sup> jam defendant Paulum iterum in custodia fuisse. Quod videtur recte. Nam

*a.* Prior custodia finem habuit verno tempore a<sup>o</sup> 63; Neronis autem persecutio initium cepit post urbis incendium, 19 Julio 64. Quare etiamsi ponis Paulum necatum a<sup>o</sup> 64 (quod nos non facimus), tamen illius custodiae causa non potuit esse Neronis persecutio.

*b.* Epistolae durante hac prima custodia conscriptae, ad Philemonem, Colossenses, Ephesios et Philippenses, non sunt ejusmodi, ut videatur Paulus in vitae discrimine fuisse; contrarium potius inde erui potest<sup>4)</sup>. Epistolae vero ad Timotheum et Titum, in secundis vinculis confectae, ostendunt Paulum de imminente nece cogitasse<sup>5)</sup>.

*c.* Clemens Romanus<sup>6)</sup> scribit, Paulum „ad occidentis terminos” venisse, dein esse necatum. Romae sribens, nequivit Romam vocare „occidentis terminos”. Veteres vero auctores<sup>7)</sup> frequenter Hispaniam „ultimum occidentem”, „occidentis terminum” appellaverunt. Nequit autem hoc iter in Hispaniam, quod communi consensu traditio commemorat, alio tempore esse factum quam post primam custodiam. *Fragm. Muratorianum* insuper rem confirmat, loquens de *profectio(ne) Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis.*”

*d.* Eusebius<sup>8)</sup> narrat, Paulum cum se Romae liberasset culpa, novum iter instituisse, dein Romae imperfectum esse.

*e.* Acta Petri et Pauli<sup>9)</sup> apocrypha, quae saeculo secundo confecta sunt, sua ipsorum auctoritate confirmant tum altera vincula tum iter in Hispaniam.

*f.* Universa vetus traditio memoriae prodidit, Paulum primis

<sup>1)</sup> Zur Gesch. und Literatur des Urchristentums, Göttingen 1893, pag. 3—108.

<sup>2)</sup> Die Römische Gefangenschaft des Apostels Paulus, Leipzig 1894.

<sup>3)</sup> Chronologie, l. c.

<sup>4)</sup> Cf. Philem., V, 22; Coloss., IV, 8; Ephes., VI, 23; Phil., I, 19—26; II, 20—24.

<sup>5)</sup> II Tim., IV, 16—18; 20; Tit., I, 5; III, 12.

<sup>6)</sup> Ad Cor., V.

<sup>7)</sup> Strabo, II, 1; Philostratus, Vita Apoll., V, 4; Appianus, Bell. Civ., V, 64; Vell. Patric., I, 2.

<sup>8)</sup> Hist. Eccl., II, 24.

<sup>9)</sup> Actus Petri cum Simone, ed. Lipsius, Lipsiae 1891, p. 45. Passio S. Pauli, ibid., p. 23; Cf. p. 105.

vinculis liberatum post altera vincula subiisse martyrium. Id autem ita commemoratur etiam nulla ratione habita epistolae secundae ad Timotheum.

Quae si attente consideraveris, iter in Hispaniam, quod certe Paulus in animo habuit, probabile et duplum custodiam fere certam habebis<sup>1)</sup>.

#### § 4. S. Petrus. Ejus labores et mors.

*C. Fouard*, Les origines de l'église. St. Pierre et les premières années du christianisme, 3 éd., Paris 1893. *W. M. Taylor*, Peter, the Apostle. New ed. by Burnet and Isbister, London 1900. *W. Esser*, Des H. Petrus Aufenthalt, Episcopat und Tod in Rom, Breslau 1899. *Harnack*, Geschichte der altchristlichen Lit., II, 1, Chronologie p. 240 sq. *Döllinger*, Christentum und Kirche etc. *De Smedt S. J.*, Dissertationes sel. in prim. aet. hist. eccl., Gandavi 1876, p. 1—48. *A. Brun*, Essai sur l'apôtre Pierre. Sa vie, son oeuvre, son enseignement. Thèse, Montauban 1905. *Fillion*, Saint Pierre, 2 éd., Paris 1906. *Le Camus*, l'oeuvre des apôtres, Paris 1905.

**Petrus** Galilea ortus inde a prima vocatione destinatus est, ut fieret princeps apostolorum. Nomen Simon mutavit Jesus in Petrum (Cepham). Ubique invenitur adfuisse Magistro proximus, gratia ac fiducia ejus utens. Ubi enumerantur duodecim apostoli, Petrus semper nominatur primus, saepe eorum nomine verba facit.

Ternum egregium privilegium accepit a Jesu: factus est petra, in qua Ecclesia aedificata est quaque adeo firmiter est fundata, ut portae inferi adversus eam non praevaleant; accepit regni coelorum claves i.e. potestatem regendae Ecclesiae; constitutus est pastor universi gregis. Quid laboraverit in coetu Hierosolymitano, supra notatum est. Mirabiliter e vinculis solutus abiit Petrus „in alium locum”<sup>2)</sup>. Ulterior de eo mentio non fit nisi semel Hierosolymis tempore primi concilii.

Traditur Petrum tunc Romam adiisse ibique mansisse usque dum Judaei decreto Claudi Romam pellerentur. Haud dubium quin fuerit princeps Antiocheni coetus, qui e Judaeo-

<sup>1)</sup> Ad Rom., XV, 24, 28. 2 Tim., IV, 16—20. De itinere in Hispaniam vide *Gams*, Kirchengesch. von Spanien, Regensb. 1862, I, 1 sq. Bibl. Zeitschr. 1905, p. 371 sq. *Th. Zahn*, Expositor 1907, p. 456 sq. *F. X. Pölzl*, der Weltapostel Paulus, Regensburg 1905. *Dom Leclercq*, l'Espagne chrétienne, Paris 1906, p. 26—29.

<sup>2)</sup> Act. Apost., XII, 17; XV, 7 sq.

christianis coaluerat; in qua etiam civitate dedit habito primo concilio Hierosolymis. Patet deinde e prima ejus epistola, peragrasse eum Pontum quoque et alias Asiae minoris terras, verisimiliter etiam aliquod tempus Corinthi stetisse. Attamen est Romana Ecclesia Petri gloria. Quod si Claudio imperatore, ut narrat Eusebius<sup>1)</sup>, fatus auctoritate Clementis Alexandrini et Papiae, in Romani imperii capite Evangelium praedicaverit, Clemens Romanus<sup>2)</sup> et Ignatius Antiochenus<sup>3)</sup> indicant, Irenaeus<sup>4)</sup> disertis verbis affirmat, Romanam Ecclesiam a Petro esse conditam. Anno 64 vel exeunte 63 videtur Petrus Roma<sup>5)</sup> scripsisse priorem suam **epistolam** ad coetus in Asia minore, ineunte anno 67 **alteram**. Eodem fortasse anno Romae pro Christo est crucifixus, teste Origine<sup>6)</sup> capite inverso. Verum haud ita certa est chronologia vitae Petri; sunt multi qui censeant eum necatum a<sup>0</sup> 64.

**2º. Persona Petri.** Si quis praeter Petri vocationem, ut esset caput Apostolorum et Ecclesiae, plura requirit quae ostendant praezellentem ejus animum indolemque, poterit in S. Litteris plurima documenta invenire. Fuit Petrus animo ardens, acer, fortis, haud haesitans consilii, generosus<sup>7)</sup>. Quae propria naturae bona sua sponte commoverunt apostolos, ut eum prae reliquis praestantem et quasi principem agnoscerent, cui in gravioribus rerum adjunctis libenter assentirentur<sup>8)</sup>. Praeterea Petrus se in rebus gerendis valde peritum et industria praeditum monstrabat, ut ostendunt ejus epistolae verbaque in *Act. Apost.* memoriae tradita. Sermo in his fortis, perspicuus, actuosus, alacer; sagaciter contraria contrariis opponens peculiarem vim solet addere argumentis. Quae naturae dotes tanquam incredibili ornatu distinguebantur fervida ejus caritate in Jesum<sup>9)</sup>, summa humilitate<sup>10)</sup>, et ardentи zelo

<sup>1)</sup> Hist. Eccl., II, 14—15.

<sup>2)</sup> Cor., V, 44, 47.

<sup>3)</sup> Ad Rom., 4.

<sup>4)</sup> Adv. Haer., III, 1; III, 3.

<sup>5)</sup> I Petr., V, 13.

<sup>6)</sup> Euseb., Hist. Eccl., III, 1.

<sup>7)</sup> Marc., XIV, 31, 47; Cf. Matth., XXVI, 33, 51.

<sup>8)</sup> Luc., XXIV, 34; Jo., XXI, 3; VI, 69—70; Matth., XXVI, 35.

<sup>9)</sup> Joan., VI, 69; XXI, 7; Luc., XXII, 50.

<sup>10)</sup> Luc., V, 8.

dilatandae Ecclesiae nuper conditae, cuius primariam sedem Romae firmavit et effuso sanguine glorificavit.

3º. Effictum a schola Tubingana<sup>1)</sup> discrimen inter doctrinam Petri et Pauli (**Petrinismus** et **Paulinismus**) inane demonstratur a) e mutuo ab apostolis altero ad alterum observata reverentia<sup>2)</sup>, quae prae utriusque severitate in custodienda doctrina<sup>3)</sup> explicari nequit, nisi in fide plenissime consenserint. Sicut Paulus magni faciebat Petrum et alios apostolos<sup>4)</sup>, ita Petrus Paulum appellat „carissimum fratrem nostrum”<sup>5)</sup>. b) E consensu, qui est in utriusque doctrina, quam invenimus in orationibus *Actuum Apostolorum* et in epistolis. c) Quemadmodum Apostoli ipsi nullo modo duas Ecclesias constitutas commemorant (*circumcisorum* unam *incircumcisorum* alteram), sed unam tantum Ecclesiam, unum populum Dei, unam olivam<sup>6)</sup>, ita traditio quoque nihil de ejusmodi discriminis testatur. Anno circiter 150 Hegesippus plures invisit episcopos; apud omnes unam eandemque doctrinam invenit<sup>7)</sup>. Irenaeus aliquique patres ipsam hanc antiquitus vigentem doctrinae ecclesiasticae unitatem laudibus efferunt<sup>8)</sup>. d) Hoc solum fuit discrimen inter christianos, qui e Judaeis et eos qui ex ethnicis orti erant, quod illi dum stabant Hierosolyma, legem Mosaicam observabant, hi vero non observabant. Separatio deinde utriusque apostolatus, ad Judaeos et ad gentes, neque universa nec perfecta fuit. Petrus primum hominem ex ethnicis, Cornelium, in Ecclesiam suscepit et postea quoque tum scriptis tum praesens gentiles convertit. Ita etiam Paulus, licet plurimum gentibus praedicaret, tamen etiam convertendis Judaeis laboravit, quin etiam Judaeus inter Judaeos omnia omnibus factus est<sup>9)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. *Pierson*, Geschiedenis van het Roomsche-Katholicisme, Haarlem 1868, I pag. 49 sq.

<sup>2)</sup> Ad Gal., II, 9.

<sup>3)</sup> Ad Gal., I, 8.

<sup>4)</sup> I Cor., XV, 7—9; 2 Cor., VIII, 23; XI, 22 sq.

<sup>5)</sup> II Petr., III, 15 sq.

<sup>6)</sup> Rom., XI, 24.

<sup>7)</sup> Euseb., Hist. Eccles., IV, 30.

<sup>8)</sup> Euseb., l. c. V, 8.

<sup>9)</sup> I Cor., IX, 20; cf. *Hergenröther-Kirsch*, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte, I, 87, N. 1.

**4º. Petrus Romae.** S. Petrum Romae stetisse atque ibi martyrium subiisse nemo unquam ante saeculum XIV in dubium vocavit. Demum Marsilius Patavinus, qui in controversia Ludovici Bavariensis cum Joanne Papa XXII partes illius sequebatur et ad ejus defensionem scripsit librum cui titulus „*Defensor Pacis*”<sup>1)</sup>; primum dubium movit. Postea Lutherani et Calvinistae sententiam Marsilii resumentes, quod dubium is dixerat, ipsi omnino negarunt. E vehementissimis adversariis fuit F. Spanheim<sup>2)</sup>. Baur, Lipsius, Winer, Zeller aliique rationalistae fabulam vocarunt. Apud nostrates quoque diu negatum aut in dubium vocatum<sup>3)</sup>.

Numerosi tamen semper fuerunt traditionis defensores. Inter quos etiam celeberrimi protestantes Cave, Pearson, Hugo Grotius, Usser, Blondel, Basnage aliique. Hodie fere omnes fatentur adversarios in oppugnanda vetusta traditione partium studio fuisse commotos. Sic testatur Gieseler<sup>4)</sup>, nec minus fortiter A. Harnack<sup>5)</sup>. Alii protestantes, e. c. Hilgenfeld, Hase, Hundhausen, Guerike et Neander in idem consentiunt. Petrum autem Romae stetisse probamus his argumentis:

Dicta scriptorum ecclesiasticorum e 3º, 2º et 1º saeculo plane profitentur Petrum episcopum Romae fuisse ibique esse mortuum et sepultum.

**a. Testimonia tertii saeculi:** S. Cyprianus Carthaginensis episcopus († 258) frequenter loquitur de sede Petri

<sup>1)</sup> Dictione II, cap. 16, cf. *Goldast*, Tom. II, Frankf. 1654, p. 245.

<sup>2)</sup> De facta profectione Petri in urbem Romam etc. Op. Tom. II, Lugd. Batav. 1703, p. 331 sq.

<sup>3)</sup> Cf. priores tomos periodici „Theol. Tijdschr.” Tomo VII Rauwenhoff commendat Volkmar Papstmythe; it. tom. XI, p. 333 sq. etc.

<sup>4)</sup> Es war parteiische Polemik, wenn einige Protestanten nach dem Vorgange einiger Papstfeinde des Mittelalters leugnen wollten, dass Petrus je in Rom gewesen sei. Gieseler (protestans), Lehrb. der Kirchengesch., 2 Aufl. I, 89.

<sup>5)</sup> Der Märtyrertod des Petrus in Rom ist einst aus tendenziös-protestantischen, dann aus tendenz-kritischen Vorurtheilen bestritten worden. In beiden Fällen hat der Irrthum der Erkenntnis wichtiger geschichtlichen Wahrheiten Vorschub geleistet, also seine Dienste gethan. Dass es aber ein Irrthum war, liegt heute für jeden Forscher, der sich nicht verblendet, am Tage. Der ganze kritische Apparat, mit dem Baur die alte Tradition bestritten hat, gilt heute mit Recht für werthlos. A. Harnack, Gesch. der altchr. Lit., Chronologie, II, 1, p. 244, N. 2.

Romana; e. c. „*Factus est autem Cornelius episcopus... cum Fabiani locus id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret*”<sup>1)</sup>. *Philosophumena*, quae attribuuntur Hippolyto († circiter 235) narrant Simonem Magum, quem venisset Romam et multos arte sua magica deciperet, ibi potentem adversarium Petrum invenisse<sup>2)</sup>. Eodem fere tempore auctor „*librorum adversus Artemonis haeresin Petrum Romanum episcopum*” vocat: „(Victor) post Petrum, inquit, tertius decimus est episcopis Romanus”<sup>3)</sup>. Cajus, qui Zephyrino (198—217) papa Romam adierat, gloriatur adversus Proclum Montanistam se Romae sepulchra apostolorum vidisse: „*Ego vero, inquit, apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam illam fundaverunt*”<sup>4)</sup>. Circa annum 200 Tertullianus iterato nominat martyrium Petri, quod passus est Romae: „*Orientem fidem Romae, inquit, primus Nero cruentavit. Tum Petrus ab altero cingitur cum cruci adstrigatur*”<sup>5)</sup>. „*Habes Romam... ubi Petrus passioni dominicae adaequatur*”<sup>6)</sup>. Ab Origene notatum invenimus Petrum petuisse et obtinuisse ut capite deorsum cruci affigeretur: „*Qui ad extremum, inquit, Romam veniens, cruci suffixus est capite deorsum dimisso; sic enim ut in cruce collocaretur oraverat*”<sup>7)</sup>.

**b. Testimonia secundi saeculi.** Clemens Alexandrinus (150—215) narrat Marcum petentibus christianis evangelium conscripsisse, quod Petrus Romae praedicaverat<sup>8)</sup>. Prae ceteris praeclarum est Irenaei (circa 190) testimonium. Qui post quam iterato affirmavit Ecclesiam Romanam a Petro et Paulo esse conditam, addit ideo Romam praesertim habere apostolicam traditionem, ideo Romanam Ecclesiam omnes alias antecellere, ac propter hanc egregiam praestantiam debere universam Ecclesiam i. e. omnes fideles universi orbis cum Ecclesia Romana consentire, per quam universi fideles traditionem apostolicam

<sup>1)</sup> Epist. 52 (al. 55) ad Antonianum, N. 8. Patr. Lat., Tom. XIII, p. 417.

<sup>2)</sup> Phil., VI, 20: „cui multum Petrus aversatus est.”

<sup>3)</sup> Euseb., Hist. Eccl., V, 32.

<sup>4)</sup> Euseb., l. c. II, 28.

<sup>5)</sup> Scorpiae, cap. 15.

<sup>6)</sup> De Praescript., cap. 36.

<sup>7)</sup> Euseb., Hist. Eccles., III, 1.

<sup>8)</sup> Euseb., l. c. VI, 14.

servaverunt<sup>1)</sup>. Dionysius Corinthiorum episcopus anno circiter 170 Soteri papae in memoriam revocat utramque Ecclesiam Romanam et Corinthiacam, ab apostolis Petro et Paulo fidem recepisse<sup>2)</sup>). Nequit horum esse mens Paulum eas Ecclesias primum fundasse. Etenim in epistola sua ad Romanos memorat florentem tum jam fuisse Romae Ecclesiam, cum certo ipse nondum Romam adierat.

c. Duo qui sequuntur testes vocari possunt **eiusdem aetatis** homines. Ignatius primo saeculo episcopus Antiochenus, ad Romanos scribens, „*non vobis praecipio*, inquit, *sicut Petrus et Paulus*”<sup>3)</sup>). In epistola sua ad Corinthios describit Clemens Romanus luctuosa mala quae profluunt ex invidia et odio, dicitque Petrum et Paulum perverso odio multa esse passos. Quamquam locum et urbem non nominat, ubi sunt necati, tamen Romae degens et scribens: „*ut vetera exempla*, inquit, *relinquamus..., saeculi nostri generosa exempla proponamus... Petrum... Paulum... viris istis... magna electorum multitudo aggregata est, qui... exemplar optimum inter nos extiterunt*”<sup>4)</sup>).

d. Ipsa S. Scriptura nos docet Petrum Romae fuisse et inde suam primam epistolam misisse: „*salutat vos ecclesia, quae est in Babylone colecta et Marcus filius meus*”<sup>5)</sup>). Antea negabant protestantes in gratiam sententiae suaे, Babylone hic Romam significari. Hodierno tempore plures ab hoc falso judicio redundunt. Zahn<sup>6)</sup>, Harnack<sup>7)</sup> Romam vocatam Babylon agnoscent. Recte. Tempore enim quo haec scribebantur, de Babylone ad Euphratem non nisi desertum supererat, testibus Plinio et Strabone. Babylon vero in Ægypto arx erat. Restat ut Petrus metaphorice propter ingentem ibi corruptionem Romam vocaverit Babylonem, quod etiam Joannes facit in Apocalypsi<sup>8)</sup>.

e. Vetusta quoque **monumenta** significant Petrum Romae degisse. Notentur hic praesertim sepulcra pontificum in *coemeterio*

<sup>1)</sup> Adv. Haer., III, 1; III, 3. Patr. Gr., Tom. VII, p. 844 et 848.

<sup>2)</sup> Euseb., Hist. Eccl., II, 28.

<sup>3)</sup> Ad Rom., cap. 4.

<sup>4)</sup> I ad Cor., V—VI.

<sup>5)</sup> I Petr., V, 13.

<sup>6)</sup> Einleitung in das N. T. II, 17.

<sup>7)</sup> Chronologie, II, 1, pag. 455.

<sup>8)</sup> Apoc., XVII, 5; XVIII, 2.

Vaticano<sup>1)</sup>; celebris illa bulla (medaljon) aenea, inventa in coemeterio Domitillae; cathedra Petri in coemeterio Priscillae; quae totidem monumenta sunt mansionis et episcopatus Petri Romae<sup>2)</sup>.

f. Quod si e superioribus constat Petrum Ecclesiam Romanam rexisse ac Romae crucis martyrium subiisse, non ita certum est **quamdiu** ibi manserit. Traditio computat annos 25 i. e. ab anno 42 ad 67<sup>3)</sup>). Non tamen potest id probari neque certe exponi de mansione continua. Quippe apostolus, si forte anno 42 petierit Romam, postea tamen Hierosolymam et Asiam minorem invisit. Traditio refert martyrium ad diem 29 Junium 67. Ab hominibus ejusdem aetatis nihil de hac re nobis traditum. Dionysius Corinthius tantum narrat Petrum et Paulum eodem tempore esse necatos; teste Origene mortui sunt Neron e imperante i. e. in prima persecutione, quae fuit a die 19 Junio 64—9 Junium 68. Solum Chronicon Eusebii nominat annum 67, dum Hieronymus<sup>4)</sup> annum 68 refert<sup>5)</sup>.

### § 5. S. Joannes et reliqui apostoli.

*Eusebius*, Historia Ecclesiastica, libri decem, ed. Laemmer. *Krenkel*, der Apostel Joannes, Berlin 1871. *Scholten*, der Apostel Joannes in Kleinasiens, Berlin 1872. Melius Döllinger, Christenthum und Kirche p. 113 sq. Th. Zahn, Forschungen zur Geschichte des neutest. Kanons und der altchrist. Literatur, VI, 1900. Fouard, S. Jean et la fin de l'âge apostolique, Paris 1904. Fillion, S. Jean l'évangéliste, sa vie et ses écrits. Paris 1907. De la Broise, La Sainte Vierge, 2 éd., Paris 1904. Neubert, Marie dans la Théologie anténicéenne, Paris 1908. L. Duchesne, Les anciens recueils de légendes apostoliques, 3<sup>e</sup> Congrès scient.-intern. des Catholiques, Bruxelles 1895.

<sup>1)</sup> Dr. A. de Waal, die Apostelgruft ad catacumbas, Röm. Quartalschr., Suppl. III (1894).

<sup>2)</sup> Vide F. X. Kraus, Roma sotterranea, p. 69, 336, 576. Geschichte der christ. Kunst, I, p. 193. Cf. Wilpert, Die Malereien der Katakombe Roms, p. 112—113; Tafelband, Taf. 93, 94. Marucchi, Di un antico battistero recentemente scoperto nel cimitero Apostolico di Priscilla e della sua importanza storica. Nuovo Bull. 1901—1902, 1908.

<sup>3)</sup> Catalogus Lib., anno 354; Hieronymus, chronic. et de vir. illustrib., cap. 1.

<sup>4)</sup> De vir. ill. c. 1.

<sup>5)</sup> Cf. econtra Harnack, Das Todesjahr des Petrus und Paulus, Chronologie, p. 240 sq., praesertim quoque annotat. 1 pag. 243.

1º. Traditionis effatum, apostolos post Domini mortem ex ejus jussu duodecim integros annos, fere ad annum 42, Hierosolymis mansisse, negligendum non est. Innititur testimonio *Kerygma(tis) Petri*<sup>1)</sup>, *Apollonii*<sup>2)</sup>, *Actorum Petri cum Simone*<sup>3)</sup>, etc. Quod tamen ita intelligendum est, ut putentur in Iudea quoque et alibi fidem annuntiasse, sed identidem Hierosolymas rediisse. Ad hoc etiam referendum quod Petrus, mirabili modo e vinculis ereptus, dicitur „abiisse in aliud locum”, quasi voluerit auctor *Actuum* significare, Petrum fere hoc anno 42 in perpetuum Hierosolymis exiisse.

2º. **S. Joannes**<sup>4)</sup> apostolus fuit discipulus ille quem diligebat Jesus et cui Matrem suam moriens commendavit. Quonam tempore Joannes Hierosolymis sit profectus, historiae monumenta non narrant. Certo ibi aderat anno 51 in primo concilio, nec minus certum est, eum **Mariam** non reliquisse. Duplex autem est de utriusque domicilio traditio. Altera refert Mariam Hierosolymis<sup>5)</sup> mansisse ad mortem usque; altera narrat eam quoque habitasse Ephesi cum Joanne ibique vita defunctam esse<sup>6)</sup>. „Antiquissima veraque traditio” est Mariam corpore et anima in caelum assumptam. Primum hujus rei nuntium fortasse inveniemus in nuper inventis fragmentis operis *Evangile des XII apôtres*, quod judicio ejus qui

<sup>1)</sup> *Clem. Alex. Strom.*, VI, 5, 43.

<sup>2)</sup> *Euseb.*, V, 18, 14

<sup>3)</sup> *Ed. Lipsius*, pag. 49.

<sup>4)</sup> Probabilissimum est alterum Joannem presbyterum (*Euseb.*, III, 26 et III, 40) numquam vixisse. Cf. *Zahn*, *Forschungen zur Gesch. des neutestamentischen Kanons*, Leipzig 1900, pag. 141 sq. *Van Breda*, *De Katholieke Dl.* 119—120. *Revue d'hist. eccl.*, Tom. I, 1900. *La Houssé* S. J. *La revue apologétique*, Juin et Août 1907. Cf. tamen *Harnack*, *Gesch. der alt-chr. Lit. Die Chronologie II*, 1, S. 660 sq.

<sup>5)</sup> *C. Mommert*, *Die Dormitio und das deutsche Grundstück*, u. s. w. D. Pal. Verein, B. XXI, p. 149. *Nirschl*, *das Grab der heiligen Jungfrau Maria*, Mainz 1896. *Das Haus und das Grab der h. Jungfrau*, Mainz 1900. *Th. Zahn*, *Die Dormitio Sanctae Virginis und das Haus des J. Markus*. N. Kirchl. Zeitschrift, Leipzig 1899 etc.

<sup>6)</sup> *Wegener*, *Wo ist das Grab der h. Jungfrau Maria?* Würzburg 1895. *Anonimus*, *Panaghia-Capouli*, ou maison de la Ste Vierge près d'Ephèse, Paris-Poitiers 1895. *L. Fonk*, S. J. *Stimm. a. Mar.* L. 1896—1897. *Z. f. Kath. Theol.* 1898. *M. Gabrielovisch*, *Ephèse ou Jérusalem, tombeau de la Ste Vierge*, Paris-Poitiers 1897.

primo vertit et edidit, ortum esset ineunte saeculo secundo<sup>1)</sup>; verisimilius tamen recentius est. Post Mariae mortem, quae probabiliter evenit anno' 48 vel 49<sup>2)</sup>, Joannes fuit in Asia, postea Ephesi. Quonam tempore eo advenerit in comperto non est<sup>3)</sup>. Tertullianus<sup>4)</sup> narrat eum' Domitianus imperante Romae in dolium fervente oleo plenum inmissum nec laesum esse. Ex Irenaeo<sup>5)</sup> novimus eum dein in exsilio ejectum in insulam Patmos, ibique **Apocalypsin** scripsisse. Regnante Nerva Joannes rediit Ephesum, regebat ibidem ecclesiam pauloque ante exiens saeculum primum scripsit suum **Evangelium quartum**<sup>6)</sup>. Testante Eusebio<sup>7)</sup> gestabat „laminam” sacerdotalem, fuit magister et martyr, ac mortuus est Ephesi, ibique sepultus<sup>8)</sup>.

3º. **Jacobus minor**, filius Alphaei et Mariae sororis Matris Domini, factus est episcopus Hierosolymitanus. Multa nobis narrat Hegesippus<sup>9)</sup> de vitae sanctitate viri hujus qui cognominabatur „justus”. Videtur scripsisse suam **epistolam ad „duodecim tribus”** intra annos 42 et 50<sup>10)</sup>. De morte ejus duplex adest mentio: Flavius Josephus<sup>11)</sup> narrat summum sacerdotem Ananum jussisse eum anno 62 lapidibus obrui. Hegesippus<sup>12)</sup> vero eum de pinna templi narrat dejectum, lapidibus obrutum atque fustibus necatum esse. Quae possunt inter se ita jungi, ut Josephus partem, Hegesippus integrum martyrium narraverit<sup>13)</sup>.

<sup>1)</sup> E. Revillout, Revue bibl., Avril, Juillet 1904. J. P. van Kasteren, Studien Deel 65 (1905) p. 193 sq. Renaudin, Assomption de la Ste Vierge. Exposé et histoire, Paris 1907.

<sup>2)</sup> Belser, Einleitung, 246. Locus in Euseb. Chronico, ubi Mariae dormitio ponitur 48, genuinus non est.

<sup>3)</sup> Euseb., III, 1; V, 22.

<sup>4)</sup> De praescript., c. 36.

<sup>5)</sup> Adv. Haer., V, 30, 3.

<sup>6)</sup> Cf. Euseb., VI, 14. Lepin, l'origine du quatrième Evangile, Paris 1907. Batifol, Six leçons sur les Evangiles, 8 éd., Paris 1907, leç. 5 et 6. Cf. P. Ladeuze, Revue bibl., Oct. 1907 p. 559 sq.

<sup>7)</sup> V, 32.

<sup>8)</sup> Vita Joannis apost. auctore Metaphraste apud Surium, 27 Dec. Cf. Z. f. K. Theol. 1878, 210 sq.

<sup>9)</sup> Euseb., II, 25.

<sup>10)</sup> Belser, Einleitung, p. 637—638.

<sup>11)</sup> Antiq., XX, 8.

<sup>12)</sup> Euseb., II, 25.

<sup>13)</sup> Act. SS. Boll., Tom. I Maji.

4<sup>o</sup>. **Matthaeus** ante vocationem publicanus fuit. Scripsit juxta sententiam nonnullorum intra annos 41 et 42, juxta alios fere anno 60 **primum Evangelium** Aramaice, et, ut **Eusebius**<sup>1)</sup> narrat, „interno impetu coactus.” Perfecto hoc opere profectus est **Matthaeus** ad alias gentes. Quum **Pantaenus** annis fere 202—212 Indis praedicabat, hoc evangelium tum jam apud eos in usu versabatur<sup>2)</sup>.

5<sup>o</sup>. **Philippus** natus Bethsaida, in Phrygia praedicato evangelio, Hierapoli vita functus est. **Philocrates** Ephesinus episcopus laudat ejus filias propter virginalem vitae integritatem et spiritum prophetiae. In quo consentit **Proclus**<sup>3)</sup>.

6<sup>o</sup>. **Thomas** Parthis praedicavit. **Eusebio** auctore misit **Thaddaeum** ad **Abgar** Edessae regem, qui scripsisset literas ad **Christum**. Etsi testibus **Nicephoro** **Callisto** et **Ephrem** in Indiis **Thomas** martyrium subiit, tamen saec. 4<sup>o</sup> sepulchrum ejus ostendebatur Edessae, quo ossa fuerant translata<sup>4)</sup>.

7<sup>o</sup>. **Andreas** profectus est ad Scythas, postea venit in Epirum et Graeciam, ac Patrae crucifixus est<sup>5)</sup>.

8<sup>o</sup>. **Bartholomaeus** praedicavit in Indiis ibique reliquit aramaicum **Matthaei** evangelium, quod ibi a **Pantaeno** inventum est<sup>6)</sup>. Narrant eum postea Armenia adiisse atque ibidem regis jussu mortem crucis subiisse<sup>7)</sup>.

9<sup>o</sup>. **Simon Zelotes** verisimiliter praedicavit in Persia et Babylonia ac tandem crucifixus est<sup>8)</sup>.

10<sup>o</sup>. **Matthias** agente Spiritu S<sup>o</sup> locum **Iudee** **Iscariothae** obtinuit. Auctore **Eusebio** erat unus e 72 discipulis. Ejus nomine inscribitur unum ex evangeliis apocryphis<sup>9)</sup>. Eum quoque ferunt crucis necem obiisse<sup>10)</sup>.

11<sup>o</sup>. **Jacobus major**, frater **Ioannis**, unus erat e tribus

<sup>1)</sup> Hist. Eccl., III, 25.

<sup>2)</sup> Ibid. et V, 10; Act. SS. Boll., Tom. VI Sept. 194—227.

<sup>3)</sup> **Euseb.**, III, 32, 38. Analecta Boll., IX, 1890, 205—248. Act. SS. Boll., Tom. I Maji, 7—18.

<sup>4)</sup> **Döllinger**, Christenthum und Kirche, p. 140. **Euseb.**, III, 1; I, 13.

<sup>5)</sup> **Euseb.**, III, 1. Acta ejus apud **Migne P. G.** II, 1541—1556 certo spuria sunt.

<sup>6)</sup> **Euseb.**, V, 13.

<sup>7)</sup> Act. SS. Boll., Tom. V Aug., 34—108.

<sup>8)</sup> Act. SS. Boll., Tom. XII Oct., 421—436.

<sup>9)</sup> Hist. eccl., I, 12; III, 26.

<sup>10)</sup> Act. SS. Boll., Tom. III Jan., 431—454.

praecipuis apostolis. Primus omnium jam anno 42 martyr occubuit<sup>1)</sup>.

12<sup>o</sup>. **Judas Thaddaeus** frater Jacobi minoris et e familia Domini, praedicando praesertim in Palaestina laboravit, ubi verisimiliter circa annum 65 scripsit **epistolam ad christianos qui erant e Judaismo**. Narrat Eusebius ejus nepotes, qui in Palaestina praedia colebant, a Domitiano Romam vocatos quod ab iis, Davidis posteris et Christi consanguineis, periculum timeret, remissos in Palaestinam esse statim ac imperator aspexisset eorum manus calle obductas<sup>2)</sup>.

13<sup>o</sup>. Discipuli apostolorum prae ceteris noti sunt:

**Marcus** cui etiam nomen Johannes Marcus, socius Petri et Pauli. Ad Petri praedicationem scripsit **secundum Evangelium** probabiliter circa annum 44, aliorum judicio paulo ante 70. Auctoritate Eusebii existimandus est fundator Ecclesiae Alexandrinae, cui Annianum praefecit episcopum<sup>3)</sup>. Saeculo 4<sup>o</sup> ibidem magno honore frequentabatur ejus sepulcrum<sup>4)</sup>.

**Lucas** fidus Pauli socius, vir eruditus, quippe medicus, pulcherrimos libros ecclesiae reliquit. De tempore tamen quo scripti sunt, consensio non est. Multi censem **tertium Evangelium** conscriptum anno 61—62, **Actus Apostolorum** anno 63; alii malunt **Lucam** anno demum 70 expleto scripsisse<sup>5)</sup>. Dicitur Lucas post obitum Pauli in Achaia praedicasse et Patarae martyrio esse ablatus.

**Titus** praedicavit evangelium prius Cretensibus. A Paulo dein in Dalmatiā missus, postea in Cretam insulam rediit. Quo tempore ibi sit mortuus, memoriae proditum non est.

**Timotheus** Ephesinus episcopus, ex iis, quae Paulus ad eum scribit, stabilem ibi habuisse sedem censendus est. Hiemali tempore anni 97 videtur in seditione populi interiisse<sup>6)</sup>.

<sup>1)</sup> Act. Apost., XII, 2. Act. SS. Boll., Tom. VI, p. 5 sq. Duchesne, S. Jacques en Galice, Toulouse 1900, ubi negat Jacobum in Galicia fuisse. Cf. Anal. Boll. 1900, p. 353.

<sup>2)</sup> Manus ostendere coeperunt, duritiem cutis impressumque alte manibus callum ex laboris assiduitate in testimonium operis sui proferentes. Hist. Eccl., III, 20. Belser, Einleitung, p. 662—663. Cf. tamen Zahn, Einleitung, II, 82 sq.

<sup>3)</sup> Hist. Eccl., II, 16; III, 40.

<sup>4)</sup> Hist. Laus. Palladii, c. 113.

<sup>5)</sup> Euseb., III, 4. Belser, Einleitung. 127. P. Batiffol, Six leçons, leç. 2 et 3.

<sup>6)</sup> De his discipulis vide Belser, Einleitung.

### § 6. Dilatatio ecclesiae ad finem saeculi 1i.

*Mamachi*, Origines et antiquitates Christianae, Romae 1749. *Duchesne*, Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule, I, Paris 1894. *Duchesne*, Les anciens évêchés de la Grèce, Mélanges d'archéologie et d'histoire, XV, 375–385. Praesertim tamen *A. Harnack*, Die Mission und Ausbreitung des Christenthums in den ersten drei Jahrhunderten, Leipzig 1902. *Batiffol*, l'Extension géographique de l'église. Revue Bibl. 1895, p. 137 sq. *Fouard*, Saint Jean. 4 éd., c. 12: l'Eglise après la mort de Saint Jean. *J. Rivière*, La propagation du christianisme dans les trois premiers siècles, Paris 1907.

Jussis Christi obtemperantes apostoli eorumque discipuli annuntiarunt Evangelium **in universa terra**<sup>1)</sup>. Ite et docete omnes gentes, praeceperat Dominus. Studiose paruerunt apostoli. Post breve tempus doctrina Christi cognita fuit in universo imperio Romano. In omni loco, scribit Paulus ad Thessalonicenses, *fides vestra... profecta est*<sup>2)</sup>. Romanorum fides annuntiabatur in universo mundo<sup>3)</sup>. Colossenses acceperant verbum veritatis Evangelii, quod erat in universo mundo et fructificabat et crescebat<sup>4)</sup>. Plura millia Judaeorum credebant in Jesum<sup>5)</sup>.

2<sup>o</sup>. Ad finem primi saeculi quum Joannes moreretur atque omnes apostoli et discipuli indefessi laboris praemium jam suscepissent, innumeri exsistebant ubique coetus vel Ecclesiae. Hierosolymitana imprimis matrix christianorum, qui erant e Judaismo; unde jam primis annis Evangelium disseminatum fuit usque Damascum et in aliis magno numero locis in provincia Samaria. Lydda, Joppe, Saron et Caesarea in Palaestina inde a primis annis fidem receperunt. Juxta viam, quae dicit Antiochiam Syriae, matricem christianorum, qui erant e gentilitate, adjacebant Tyrus, Sidon et Ptolemaïs, in quibus anno fere 40 christianorum erant coetus. Pella, trans Jordanem, habuit coetum valde auctum quum obsessis Hierosolymis christiani eo migras-

<sup>1)</sup> Matth., XXIV, 14: ibid., XXVIII, 19.

<sup>2)</sup> I Thess., I, 8.

<sup>3)</sup> Rom., I, 8.

<sup>4)</sup> Col., I, 6.

<sup>5)</sup> Act. Apost., XXI, 20.

sent. Tarsus, unde Paulus ortus, fere prima civitatum fuit ab eo Ecclesiae aggregata. Salamis et Paphos in insula Cypro, Perge in Phamphilia, Antiochia in Pisidia, Iconium, Lystra et Derbe in Lycaonia erant civitates, in quibus Paulus jam tempore primi itineris coetus coegerat. Haud multo post orti sunt coetus in Galatia et Cappadocia, quorum nomina sunt ignota. Ephesi quoque, Colossis, Laodiceae et Hierapoli in Phrygia florebant fidelium coetus. Smyrna, Pergamum, Sardes, Philadelphia et Theatyra nominantur in *Apocalypsi Joannis*. Paulus deinde fundavit Ecclesias Troade, Philippis, Beroeae in Macedonia, Athenis, in capite Graeciae, celeberrimam Ecclesiam Corinthi et Kenchreis in confiniis ejus. Creta insula habebat Titum episcopum. Romae et Puteolis intra annos 40 et 50 coetus coacti sunt. Vel in Hispania Evangelium a Paulo probabiliter praedicatum est. Ecclesiam Alexandrinam postea celeberrimam Marcus fundaverat. In Ponto quoque et praesertim in Bithynia plurimi degebant christiani. Plinius dicit „*multos, cujusque aetatis conditionis et sexus*”, qui habitabant non solum in civitatibus verum etiam in pagis et viculis<sup>1)</sup>). Suos quoque videntur habuisse coetus Amisus, Magnesia et Tralles. In Gallia<sup>2)</sup> Crescens, in Dalmatia Titus dicuntur praedicasse. S. Paulus loquitur<sup>3)</sup> de fidelibus in Italia. Non tamen constat, an aliae praeter Romam et Puteolos civitates coetus habuerint. At vero Lucca, Pisa, Mediolanum, Ravenna, Aquilea defendunt se habuisse martyres, Neronē imperante, necatos. Praeterea Evangelii sectatores fuisse in aliis civitatibus praeter supra nominatas, ex iis qua *Actus* habent non satis compertum est. Quod idem dicendum de Pompejis, quia quae effossa sunt non clara praebent argumenta. In Gallia quoque Ecclesias apostolicas exstitisse ad fabellas referendum<sup>4)</sup>).

3º. Attamen vere mirabilis dici potest haec Evangelii disseminatio<sup>5)</sup>). Saeculo primo nondum exeunte perlatum jam fuit usque in Asiam minorem, Graeciam, Italiam, Hispaniam et

<sup>1)</sup> Ep. X, 97.

<sup>2)</sup> II Tim., IV, 10. Cf. L. Duchesne, Histoire ancienne de l'Eglise I, 254.

<sup>3)</sup> Ad Hebr., XIII, 24.

<sup>4)</sup> Duchesne, Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule, Tom. I—II, Paris 1894—1900; Histoire ancienne de l'église, Tom. I, Paris 1906, p. 253 sq.

<sup>5)</sup> J. Rivière, Propagation etc.

ad littora Galliae. In Italia et Bithynia jam vexatum fuerat odio imperatorum. Imperantibus Neronе, Domitiano et Trajanо jam multi martyrio coronati, teste Tacito „*multitudo ingens*”. Gravioribus etiam verbis utitur Plinius. Jam diu atque inde a multis annis e principum aula numerabantur christiani et martyres; ex ipsa quoque familia Flaviorum.

## CAPUT SECUNDUM.

### CERTAMEN ECCLESIAE CUM ETHNICISMO.

§ 7 -- § 10.

#### § 7. Indoles persecutionis.

*Le-Blant*, Sur les bases juridiques des poursuites dirigées contre les martyrs (comptes-rendus de l'Acad. des Inscript.), Paris 1866, p. 358—373. *M. Conrat*, Die Christenverfolgungen im römischen Reiche vom Standpunkte der Juristen, Leipzig 1897. *Th. Mommsen*, Der Religionsfrevel nach röm. Recht. Historische Zeitschr. 1890. *Dr. J. E. Weis*, Christenverfolgungen. Geschichte ihrer Ursachen im Römerreiche. München 1899. *C. A. Kneller, S. J.*, Hat der römische Staat das Christentum verfolgt? Stimm. a. M. L. 1898. *P. Allard*, Histoire des persécutions etc. Tom. I—IV, 2e éd., Paris 1892 sq. *P. Allard*, Le christianisme et l'empire Romain, Paris 1897. *Idem*, La situation légale des chrétiens pendant les deux premiers siècles. Revue des quest. hist. 1896, Tom. 59, p. 5—43. *Idem*, dix leçons sur le martyre, Paris 1906. *Aubé*, Histoire des persécutions de l'Eglise, 3 vols, Paris 1875—1886. *A. Linsenmayer*, Die Bekämpfung des Christentums durch den röm. Staat, München 1905.

1º. Religio christiana vix ad lucem publicam prodierat, quum facta est persecutioni obnoxia. Primum a Judaeis; dein etiam ab ethnicis, qui eam initio esse sectam Judaicam arbitrabantur. Anno fere 50 *Claudius* imperator Judaeos et cum iis christianos Roma expulit<sup>1)</sup>. *Nerons* tamen tempore plebs Romana christianos jam nominat<sup>2)</sup>, qui brevi in suspicionem venerunt imperio pagano. Romani autem, venerabundi erga omnium nationum deos, omnes religiones quoque esse indulgenter patiebantur. *Augustus* ejusque familia dona miserant pro

<sup>1)</sup> Judaeos impulsore Chreste assidue tumultuantes. *Suet. Claudius*, 25. Negant nonnulli cum *Belsler* (Einleitung, 492 sq.) his verbis actum esse de dogmatico discrimine inter Judaeos et Christianos. Cf. Studiën, Deel 67, p. 575—579.

<sup>2)</sup> *Tacitus*, Annales, XV, 44.

templo Hierosolymitano. Etiam eversae Judaicae nationis religionem esse patiebantur; tantum vetabant facere proselytos.

2º. Hanc autem indulgentiam non adhibuerunt in christianismum. Non enim haec religio sicut Judaica ad unam nationem pertinebat. Christianae fidei et morum doctrina, christianorumque sacra spectabant universum genus humanum, nullo populo, natione nulla excepta. Qui ad christianam religionem convertebatur non cessabat Romanus esse; adeo sacra publica per christianismum periclitabantur ac timendum ne dilatato christianismo omnis imperii ethnica superstitione pessum daretur. Negabant autem omnes Romam ac Romanam rempublicam stare posse demptis diis. Hinc orta persecutio, instituta ab optimis quibusque ac maxime reipublicae Romanae deditis imperatoribus.

3º. **Causae persecutionis** antea assignabantur:

a. odium Judaeorum, de quo loquuntur *Justinus*<sup>1)</sup>, et *Tertullianus*<sup>2)</sup>, quin ipsi *Actus Apostolorum*. Diuturnus tamen non fuit hic Judaeorum influxus.

b. Calumniae in christianos. Accusabantur enim crimen incestus, superstitionis in epulis Thyesteis<sup>3)</sup> et atheismi. Haec ementita flagitia plebs esse causas clodium publicarum arbitrabatur, ut refert *Tertullianus*<sup>4)</sup>, „*Si Tiberis, inquiens, ascendit ad moenia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: Christianos ad leonem! acclamatur*”<sup>5)</sup>. Haud ita raro plebs ad caedes et incendia proripiebatur aut injuriis et lapidibus christianos cooperiebat, seditiose eorum supplicia postulans. Omnis enim christianus dicebatur esse *hostis publicus deorum, imperatorum, legum, morum, naturae totius inimicus*. Quoties autem lege actum est, non sunt propter ejusmodi crimina damnati<sup>6)</sup>.

c. Imperii leges poenas intentantes in eos omnes, qui laesae majestatis, sacrilegii, magicae artis aut vetiti cultus essent comperti. Christiani obnoxii erant *legi Juliae majestatis*, si interfuerant *coetibus nocturnis* aut conventibus ante auroram habitis, si fuerant

<sup>1)</sup> *Dial. c. Tryphone*, cap. 17.

<sup>2)</sup> *Scorp.*, cap. 10.

<sup>3)</sup> Cf. praesertim *Minutius Felix*, *Octavius*, cap. 9.

<sup>4)</sup> *Tertullianus*, *Apol.*, cap. 7; *Origenes*, *c. Cels.*, 4, 27.

<sup>5)</sup> *Apol.*, c. 40.

<sup>6)</sup> *Allard*, *Dix leçons etc.*, p. 85 sq.

consortes collegii illiciti aut *hataeria*, vel *coetus illiciti*; insuper *impietati in principes* si recusarant imperatori thus accendere aut vina libare aut deum eum vocare. Lege autem majestatis statutum: *humiliores bestiis objiciuntur vel vivi exuruntur; honestiores capite plectuntur*<sup>1)</sup>. Sacrilegii vero erant rei si christiani recusabant partem sacrorum capere aut si irreverenter deos vel idola tractabant. Inde vocabantur athei et sacrilegi. Proconsuli permissum erat in sacrilegii reos animadvertere<sup>2)</sup>. In ratione magicae artis computabantur ab ethnicis sanitas mirabiliter restituta, daemonum expulsio adjurato divino nomine. Statuerat autem lex: *Magicae artis consciens summo suppicio adfici placuit, id est bestiis objici aut cruci suffigi. Ipsi autem magi vivi exuruntur*<sup>3)</sup>. Demum christianismus erat vetitus quippe quod esset *religio nova illicita*. A Plinio vocatur *pertinacia, inflexibilis obstinatio, superstitione prava immodica*<sup>4)</sup>. Hujus autem flagitii poena erat: *honestiores deportantur, humiliores capite plectuntur*<sup>5)</sup>.

4º. Christianos his praecipue vetustis legibus esse necatos conatus est primus omnium demonstrare Edmond Le Blant<sup>6)</sup>. Alii plures ei adhaeserunt e. c.: Görres<sup>7)</sup>, Giron<sup>8)</sup>, et Dartigue-Peyrou<sup>9)</sup>. Hodie tamen fere discessum ab ista sententia, eo quod clarius manifestatum est christianos non esse damnatos propter artes magicas, sacrilegia aut laesae majestatis crimen. Novam rationem excogitavit Mommsen<sup>10)</sup>, quem recentiore tempore etiamnunc sequuntur A d. Harnack<sup>11)</sup> et Weis<sup>12)</sup>. Conantur hi probare duobus prioribus saeculis plerumque christianos esse morti traditos jure *coercitionis*, quo instructi

<sup>1)</sup> Paullus, Sentent., V, 29, 1.

<sup>2)</sup> Ulpianus, Dig., l. 48, t. 13, 6. »Sacrilegii poenam debet proconsul pro qualitate personae, proque rei conditione vel temporis et aetatis et sexus vel severius vel clementius statuere. Et scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse.

<sup>3)</sup> Paullus, Sentent., V, 23, 17.

<sup>4)</sup> Epist., X, 97.

<sup>5)</sup> Paullus, Sentent., V, 21, 2.

<sup>6)</sup> Persecuteurs et martyrs, Paris 1893.

<sup>7)</sup> Real- Encyclopaedie der christlichen Altertümer, I, p. 215.

<sup>8)</sup> Bulletin de l'académie royale de Belgique 1893.

<sup>9)</sup> Marc-Aurèle dans ses rapports avec le christianisme, Paris 1897.

<sup>10)</sup> Der Religionsfrevel nach römischem Recht, Hist. Zeitschr. 1890.

<sup>11)</sup> Real-Encyclopaedie Herzog-Hauck, art. Christenverfolgungen.

<sup>12)</sup> Christenverfolgungen. Geschichte ihrer Ursachen im Römerreiche, München 1899.

erant magistratus Romani. Paulatim enim, inquiunt, christiani factis, verbis et sententiis planius se homines infestos patet fecerunt, contra quos magistratui licuit non solum ad leges provocare, sed etiam disciplina publica i. e. coercitione uti, quae nullo modo aut conditione erat circumscripta. Contra tales homines nulla lege erat magistratus obstrictus, neque in coercitione actio instruenda, aut poena lege definita fuit. Hinc explicari censem cur in damnandis reis nullum aliud crimen deferretur nisi unum hoc esse christianos.

Opponi tamen potest Trajanum vel hoc ipsum vetuisse ne coercitione uterentur contra christianos, voluisse ut lege agerent. Scripsit enim: *si deferantur et arguantur*. Sane si praecipuum rei partem spectas, nullum discrimen fuit, utrum vi legis vexarentur, an coercitione. Fuit persecutio religionis causa. Luce clarius id patet ex judicium agendi ratione. Interrogabant an rei christiani essent. Si negabant statim absolvebantur. Sin vero fatebantur, dabantur in tormenta non ut ulterius confiterentur se esse reos, sed ut a fide deficerent. Reus ipse se damnabat aut absolvebat confitendo aut renuendo se esse christianum<sup>1)</sup>.

Quae hucusque expositae sunt sententiae non satis declarant, qua de causa persecutioes duobus prioribus saeculis sint institutae. Hinc plures, inter quos nonnulli doctissimi viri<sup>2)</sup>, traditionem veterem sustinent, fuisse jam inde a prima Neronis persecutio latam legem vetantem christianum esse. Inde enim a Neronis tempore usu vigebat „christianos esse non licet.” Quod vix intelligi potest nisi ex edicto ejusdem imperatoris. Pro hac sententia videntur stare Tertullianus<sup>3)</sup>, Melito Sardius et Sulpitius Severus<sup>4)</sup>. Difficillime in alia sententia illustrari potest agendi modus Plinii, neque ratio dari cur jam ante Trajani rescriptum magistratus chris-

<sup>1)</sup> Vide Guérin, Nouvelle Revue de droit français et étranger, Paris 1895; Callewaert, Revue d'histoire ecclésiastique, Louvain, Années 1902—1905; Cf. Revue des questions historiques 1907, Juillet. p. 1 sq. Linsenmayer, Die Bekämpfung des Christentums durch den Röm. Staat, München 1905, Kap. II; Duchesne, Histoire ancienne de l'église, 2 éd., Paris 1906, p. 109 sq.

<sup>2)</sup> De Rossi, Bulletino 1865, p. 93 sq. P. Allard, Histoire des persécutions, vol. I. p. 66 sq; *idem*, Le christianisme et l'empire Romain, Paris 1906. Kneller, Stimm. a. M. L. Bd. 32, 55; A. Linsenmayer, Die Bekämpf. etc.; Callewaert, Revue etc. vol. II (1901), p. 771—797; vol. III, p. 1—15; 324—348; 600—614.

<sup>3)</sup> Apol. praesertim cap. 2 et 4; Ad nationes, I, 3, 6.

<sup>4)</sup> Chron., II. 29.

tianos propter solam confessionem nominis sint persecuti et morti tradiderint, quod tamen factum esse luce clarius ex epistola Plini patet<sup>1)</sup>.

Sic illi. Probabilius tamen est, religionem christianam factam esse crimen capitale non e lege lata, sed usu juridico, qui post impetum persecutionis Neronianaे paulatim invaluit et usque ad Trajanum fundamentum juridicum fuit damnationis<sup>2)</sup>. Rescriptum Trajani pro lege valebat in universo imperio. Huic edicto quo is vetuerat: *conquirendi non sunt*<sup>3)</sup>, derogavit anno 202 Septimius Severus in eos qui ad christianismum converterentur. Jussu Decii anno 251 cogeabantur sacrificare; a Valeriano anno 257 coetibus christianis jus societatis, coemeteria et sacraria adempta sunt. Quo edicto a Gallieno revocato paulisper pace fruebantur usque ad annum 303 quum infensissimae persecutionis leges latae sunt a Diocletiano et Galerio. Quatuor ultimi imperatores persecutionem instruxerunt ut contra invadentes barbaras gentes integritatem imperii unitate religionis defenderent. Propterea conabantur christianismum ex imperio eruere. Id praecipue agebant ut christiani cogerentur desciscere, haud ita ut necarentur. Stulte vero nonnulli dicunt in christianos<sup>4)</sup> imperio fuisse *jus defensionis contra vim illatam*; quippe idem jus esset concedendum latronibus contra pacificos viatores.

### § 8. Persecutionis decursus.

P. Allard, Opera supra citata. Dom Leclercq, *Les martyrs*, 7 vols, 1902 sq. Tillemont, *Histoire des empereurs*, 6 vols, 1690 sq. U. Benigni, *Storia sociale della Chiesa*, Milano 1908. Le Blant, *Les persécuteurs et les Martyrs aux premiers siècles de notre ère*, Paris 1893. Dufourcq, *Etude sur les Gesta Martyrum Romains*, 6 vols, Paris 1900—1908. K. J. Neumann, der Römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diocletian, Band I, Leipzig 1890. E. G. Hardy, *Christianity and the roman government*, Londen 1894. Frans Görres, *Christenverfolgungen in Kraus*, Real-Encycl. der christl. Alterthümer, Freiburg 1882. Stimmen a. M. L, Bd. 32, p. 35, 306, 410. A. Linsenmayer, die Bekämpfung des Christentums durch den Röm. Staat, München 1905.

<sup>1)</sup> Epist. X, 97.

<sup>2)</sup> Dr. A. Pieper, *Christentum, römisches Kaisertum und heidnischer Staat*, Münster 1907. Cf. Tüb. Quartalschr., 1908, S. 631.

<sup>3)</sup> Plin., ibid.

<sup>4)</sup> Th. Mommsen, *Hist. Zeitschr.*, 1890, 389—429.

Coepta est persecutio **Nerone**<sup>1)</sup> imperante (54—68). Videtur jam anno 58 Pomponia Graecina, matrona Romana, *superstitionis externae* crimine fuisse accusata<sup>2)</sup>. Hoc nomine designabatur religio christiana ut cultus novus illicitus, cui ultimis imperii Neronis annis gravissima poena constituta est<sup>3)</sup>. Anno demum 64 persecutio facta est universalis. Die enim 19 Julio hoc anno ingens Romæ incendium excitatum est, quo tres vici conflagrарunt, in septem aliis aedium labantes tantum muri reliqui facti sunt, quatuor solum e quatuordecim partibus parsum est. Rei suspicionem sibi a populo intentatam Nero in christianos transtulit<sup>4)</sup>. Confestim aliquot eorum in vincula conjecti. Arguebantur non quod incendium excitassent sed quod invisi essent plebi. Instituebatur in Vaticano contra christianos venatio et cursus certamen. Pars christianorum feris objecti, pars ferarum pellibus induiti canum morsibus expositi. Alii cruci suffixi, alii *tunica molesta*, quae facilis erat ad exardescendum, induiti, tanquam vivae lampades collustrarunt curriculum. Adeo vehementia martyrum tormenta ut vel ipsa plebs, quae tamen christianos reos et ultimis suppliciis dignos existimabat, miseratione commoveretur. Tacitus: *abolendo rumor, inquit, Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus christianos appellabat. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed*

<sup>1)</sup> Healy, The literature of Neronian persecution, Cath. Univ. Bull., Washington 1904, vol. X, p. 357—370. L. de Combes, La condition des Juifs et des chrétiens à Rome et l'édit de Néron, Revue Cath. d. institutions et du droit, 1904, vol. XXXIII, p. 47 sq.

<sup>2)</sup> Tacitus, Annal., XIII, c. 32.

<sup>3)</sup> Kraus, Roma Sotteranea, 2 Aufl., p. 44 sq; p. 143 sq.

<sup>4)</sup> Tacitus, Annal., XV, 44. Cf. P. Allard, Les chrétiens ont-ils incendié Rome sous Néron? Paris 1903. A. Profumo, Le fonti ed i tempi dello incendio Neroniano, Roma 1905.

*in saevitiam unius absumerentur*<sup>1)</sup>. Clemens Romanus laudat praesertim invictam fortitudinem mulierum christianarum, quibus videntur poenae Danaidum et Dircae esse inflictæ, ut inferorum supplicia repraesentarentur<sup>2)</sup>. Christianos tum jam a Judaeis discriminatos fuisse, fere constat imprimis e verbis Taciti, dein ex eo quod Neronis conjux Poppaea Sabina, quae fuit Judaica proselyta, certo suos clientes a supplicio servaverit. Videtur persecutio durasse usque ad mortem Neronis (68).

Notissimi martyres Romani sunt: Petrus et Paulus, Processus, Martinianus, Basilissa et Anastasia. Etiam in provinciis videntur aliqui martyrio coronati: Aquileae Hermagoras, Fortunatus, Euphemia, Dorothea, Thecla et Erasma; Ravennae Ursicinus, Vitalis et Valeria; Mediolani Gervasius, Protasius, Nazarius et Celsus; Brixiae Alexander; Pisis Paulinus; in Etruria Felix et Constantia<sup>3)</sup>.

2º. Etsi Vespasianus (69—79) et Titus (79—81) christianos non persequebantur, hi tamen non in omnimoda quiete tranquilli fuerunt.

**Domitianus** (81—96) a Tertulliano dicitur *portio Neronis de crudelitate*<sup>4)</sup>, a Dione Cassio „Θεραποὺς καὶ δρυίλος, ἦν δὲ καὶ ἐπιβούλος καὶ κρυψίνους.”<sup>5)</sup> Licet christiani antea jam vexarentur causa exacti ab iis tributi pro templo Judaico<sup>6)</sup>, ipsam persecutionem inchoavit imperator anno 94. Non constat negatum hoc stipendum persecuendi ansam fuisse. Certum tamen christianis licitum non fuisse id stipendum solvere, eo quod solvendo saltem viderentur externe negare se christianos esse. Quantopere autem Domitianus a christianis et a familia

<sup>1)</sup> Annal., XV, 44. Cf. Suetonius, Nero, 16; Tertull., Apol., V; Seneca, Ep. 14 et 78; B. Grundl, Tüb. Quart., 1904, p. 1 sq.

<sup>2)</sup> Ep. ad Cor., VI, ed. Funk, sententia Prof. Aberle.

<sup>3)</sup> Ut scias quantum sint Acta Martyrum genuina confer solidum doctumque opus Hippolyte-Delehaye S. J. Bollandistae: Légendes hagiographiques, Bruxelles 1905; praesertim chap. IV, p. 121—142.

<sup>4)</sup> Apol., V.

<sup>5)</sup> Hist. Rom., 67, 1.

<sup>6)</sup> Suetonius, Domitianus, 12. Hoc quidem tributum non adeo certum est. Dicit tamen Suetonius etiam illos debuisse solvere „qui improfessi Judaicam viverent vitam.”

Domini timeret, testis est *Hegesippus*<sup>1)</sup>. Etiam e sua familia christianos persequebatur suspiciosus imperator. Consobrinus ejus, *Flavius Clemens*, qui fuerat consul anno 95 morti traditus, quia atheus et propter *contemptissimam inertiam*<sup>2)</sup>. Ob eandem causam uxor ejus *Flavia Domitilla* in insulam Pandatariam est relegata<sup>3)</sup>. *Flavia Domitilla* junior *S. Plautillae* filia, in exilium missa in insulam Pontiam. *Aci- lius Glabrio* quoque, qui anno 91 cum *Traiano*, postea imperatore consul fuit, martyr obiit. *S. Joannes* apostolus in ferventis olei dolium immissus incolumis exiit<sup>4)</sup>, dein in insulam Patmos relegatus<sup>5)</sup>.

Inscriptiones in catacumbis testantur jam primo saeculo ex honestioribus familiis fuisse christianos. Praeter eos qui supra relati sunt, leguntur *Cornelii*, *Caecilii*, *Emilii*, *Bassi*, *Anicii*, aliqui e propagine *Attici*, *Ciceronis* amici, et *Asinii Pollio*nis ad christianam religionem jam tunc temporis conversi<sup>6)</sup>.

Non pauci negant persecutionem a *Nerone* et *Domitiano* etiam in provinciis saevisse. Huic sententiae obstant: a. Prima epistola *Petri*, qui videtur significare christianos in Asia Minore *Nerone* imperatore propter *Christi* nomen persecutionem pati<sup>7)</sup>. b. Vehemens *Judaeorum* odium, qui christianos calumniis insectabantur<sup>8)</sup>. c. Liber *Apocalypsis*, in quo memoria fit martyrum christianorum in Asia Minore. d. Epistola *Plinii*, quae supponit universim contra christianos in *Bithynia* esse decretum. e. Testimonia *Tertulliani*<sup>9)</sup> et *Melitonis Sardi*<sup>10)</sup>. Quae tamen omnia persecutionem in aliquot pro-

<sup>1)</sup> *Euseb.*, Hist. Eccles., III, 20.

<sup>2)</sup> *Suetonius*, Domitianus, 15. *Dio Cassius*, 67, 14.

<sup>3)</sup> Hodie S. Maria e regione Gaëtae.

<sup>4)</sup> Hujus rei solus testis est *Tertullianus*, De praescr., c. 35.

<sup>5)</sup> De Flaviis vide *Linsenmayer*, Hist. Jahrb. d. Görresvereins, 1904 p. 447 sq.; de utraque *Flavia Domitilla* *Duchesne*, Hist. anc. d. l'église, Paris 1906, vol. I, p. 217.

<sup>6)</sup> *Kraus*, Roma sotterranea, 2 Aufl., p. 40 sq. *M. Armellini*. Lezioni di archeologia, Roma 1898, p. 12 sq. *J. B. de Rossi*, Compte rendu du congrès international des cath., Paris 1889, vol. II, p. 261—267.

<sup>7)</sup> *I Petr.*, cap. III et IV.

<sup>8)</sup> *Justinus*, c. Tryph., 17.

<sup>9)</sup> *Apol.*, V.

<sup>10)</sup> *Euseb.* IV, 33.

vinciis probabilem quidem, non tamen certam demonstrant.

Nerva exules revocandos omnemque injuriam reparandam voluit. S. Joannes apostolus Ephesi sedem fixit. Ocius hic imperator morte absumptus est. Qui successit

**3<sup>o</sup>. Trajanus** (98—117) initio rationem imperandi christianis non mutavit. Manebat adagium: *christianos esse non licet*. Perseverabat quoque injusta violentia populi. Jus christianis non fuit. Teste Eusebio<sup>1)</sup> flammabat quasi incendium persecutio. Insuper hetaeriis (societatibus) poena erat proposita. Magnus numerus morti traditus, multi alii in discrimine versabantur. Tum Plinius, Bithiniae proconsul circa annum 112 scripsit ad Trajanum consilium petens. Qui respondit, Plinium prudenter egisse ad supplicium damnando omnes qui constanter christianos se esse fassi essent. Vetus conquirendos aut admittendas accusationes sine nomine. Qui deferrentur et arguerentur suppicio afficiendos, qui negabant se christianos esse aut deos venerabantur liberandos jussit<sup>2)</sup>.

Hoc rescripto Eusebius a persequendo nonnihil esse temperatum dicit. Attamen in aliis locis plebs, in aliis magistratus christianis insidiari perrexerunt<sup>3)</sup>. Celeberrimi martyres fuerunt Ignatius, episcopus Antiochenus, qui in epistola sua ad Romanos se ardenter desiderare mortem pro Christo testatur<sup>4)</sup>. Simeon, episcopus Hierosolymitanus, probabili sententia Clemens Romanus<sup>5)</sup>, dein Domitilla cum Nereo et Achilleo.

**4<sup>o</sup>. Hadrianus** (117—138) non adeo vehementer fuit christianis infensus. Magistratus tamen sequebantur rescriptum anni 112. Dein intemperantius in dies plebs postulabat christianorum suppicia, praesertim postquam imperator anno 124 Graecis ritibus esset iniciatus. Justitiae tamen documentum dedit sua ad Minutium Fundanum proconsulem epistola, qua

<sup>1)</sup> III, 33 et 34.

<sup>2)</sup> Hae litterae certo genuinae sunt. Vide C. W. J. Wilde, S. J. De C. Plinii Caecilii Secundi et imperatoris Trajani Epistulis mutuis disputatio, Lugd.-Bat. 1889. Vide litteras p. 65—67. Quam sit rescriptum rectae rationi contrarium, vide Tertull., Apol., cap. 2, et Allard, op. cit. I, 151.

<sup>3)</sup> Euseb., Hist. Eccl., III, 34

<sup>4)</sup> Funk, Op. Patr. Apost., ed. V, p. 219 sq. Bardenhewer, Gesch. der Alt-Kirchl. Lit., I, 141 sq.

<sup>5)</sup> De fabulosa ejus morte vide Duchesne, Le Liber Pontificalis etc. I, X C. sq.

severe vetat ne postulationibus plebis indulgeatur<sup>1)</sup>. A dando hoc rescripto quod misit imperator ad Serenium Granianum consilium petentem, cui tamen Serenio interea Fundanus successerat, videntur non plane alienae fuisse apologiae Quadrati et Aristidis<sup>2)</sup>. Finito bello Judaico (132—135) excitato a rabbi Akibha et a Bar-Kochba, minus christianis favebat Trajanus. In loco ubi steterat templum, Jovis, quin ubi fuerat sepulchrum Domini, Veneris statuam erigendam curavit<sup>3)</sup>. Celeberrimi hac persecutione martyres fuerunt: Alexander I papa, Eustachius cum Theopista eorumque tribus filiis, Symphorosa ejusque septem filii.

5º. Etiam **Antonino Pio** (138—161) imperante vigebat rescriptum Trajani. Etsi animo crudeli non fuit et omnem tumultum popularem fieri in christianos vetuit<sup>4)</sup>, hi tamen multis angustiis premebantur. Id quidem patet e prima apologia Justiniani, cuius scopus fuit christianos contra furem plebis defendere et a crimine atheismi et impudicitiae purgare. Telesphorus, Hyginus, Pius I, summi pontifices, Marcus Hierosolymitanus et Polycarpus Smyrnensis episcopus martyrio coronati sunt.

6º. **Marcus Aurelius** (161—180)<sup>5)</sup>. Eusebius narrat vehementem persecutionem praesertim furore plebis fuisse excitatam<sup>6)</sup>. Melito Sardius memorat novo decreto christianos in Asia esse exagitatos<sup>7)</sup>. E Gallia interrogatus imperator respondit, qui perseverarent esse christianos omnes gladio puniendos, qui a christianis desciscerent liberandos<sup>8)</sup>. Universalis fuit persecutio eaque valde vehemens, sicut testantur ejus aetatis apologetae. Porrexerunt autem apologias: Melito Sardius<sup>9)</sup>, Apollinaris<sup>10)</sup>, Athenagoras<sup>11)</sup>, Justinus

<sup>1)</sup> *Euseb.*, IV, 13. Vide Callewaert, Revue d'histoire et de litter. religieuses, 1903, p. 152 sq.

<sup>2)</sup> *Bardenhewer*, I, 168 sq.

<sup>3)</sup> *Euseb.*, Vita Const., III, 26.

<sup>4)</sup> Rescriptum *Ad commune Asiae* spurium est. *Euseb.*, IV, 19. Cf. IV, 33; Harnack, Gesch. der Altchr. Lit., I, 868.

<sup>5)</sup> Dartigue-Peyrou, Marc-Aurèle dans ses rapports avec le christianisme, Paris 1897.

<sup>6)</sup> Hist. Eccl., III, 1.

<sup>7)</sup> Ibid., IV, 33.

<sup>8)</sup> Ibid., V, 2.

<sup>9)</sup> Ibid., IV, 33.

<sup>10)</sup> Ibid., IV, 34.

<sup>11)</sup> Migne, P. Gr., Tom. VI, 890.

(II<sup>am</sup>)<sup>1)</sup>, Hermias<sup>2)</sup>, Tatianus<sup>3)</sup> et Theophilus<sup>4)</sup>.

Celeberrimi hac persecutione coronati martyres sunt Pothinus, Sanctus, Attalus, Blandina et Ponticus Lugduni<sup>5)</sup>, Justinus multique alii Romae<sup>6)</sup>, S. Caecilia, Valerianus et Tiburtius<sup>7)</sup>.

Nonnulli narrant Marcum Aurelium, mirabiliter sanum factum oratione *legionis fulminatae*, a persecutis christianis abstinuisse. Quod verisimile non est vel ex eo quod imperator se a Jove Pluvio sanatum credidit. Quae affertur epistola certo non est a Marco Aurelio conscripta, sed a posterioris aetatis Graeco<sup>8)</sup> quodam, stili gratia. Dein salvo jam imperatore persecutio assidue vehementior facta est.

7<sup>o</sup>. **Commodus** (180—193) indignus **Marcii Aurelii** filius non adeo fuit christianis infestus. Magna indulgentia temperabat edictum Trajani. Non tamen omnino persequi omissum est, sicuti patet e Theophilo<sup>9)</sup>. Quum imperator anno 183 uxorem sibi duxisset Marciam, jam baptizatam aut certe catechumenam, etiam magis lenivit christianorum angustias. Quin ad metalla damnati reverterunt<sup>10)</sup>. Martyrium

<sup>1)</sup> Ibid., VI, 327.

<sup>2)</sup> Ibid., VI, 1170.

<sup>3)</sup> Ibid., VI, 803.

<sup>4)</sup> Ibid., VI, 1023.

<sup>5)</sup> Euseb., V, 2, ubi pulcherrima descriptio.

<sup>6)</sup> Ibid., IV, 24.

<sup>7)</sup> *De Rossi*, Roma sotterranea, II, 117 sq. *Duchesne*, Lib. Pontif. Introductio, 94. *Allard*, Persécut., I, 419 sq. *Kraus*, Roma sotterranea, 2 Aufl., p. 167 sq. *Dom Guéranger*, Sainte Cécile et la société Romaine, Paris 1878. Alii censent eam martyrio coronatam Alexandro Severo imperante. Cf. praesertim *M. P. Kirsch* in *Στρωματιον Ἀρχαιολογικόν*, Mittheilungen zum zweiten intern. Congrès f. christl. Archeologie zu Rom, Rom 1900, p. 42—77: Das Todesjahr der h. Caecilia. Cf. *Tüb. Quartalschr.*, 1902, 1905. *Röm. Quartalschr.*, 1901, p. 60 sq., ubi Wilpert cum Kirsch consentit. Cf. insuper egregium opus *Dom. H. Quentin*, Les martyrologes historiques du moyen-âge, étude sur la formation du martyrologue Romain, Paris 1908, pag. 496 sq., ubi patet S. Caeciliam probabiliter non esse martyrio interemptam Marco-Aurelio imperante, eo quod haec sententia praecipue Adonis testimonio fulciebatur.

<sup>8)</sup> *Tertull.*, Apol., C. 5; *Ad. scap.*, C. 4; *Dio Cassius*, Hist. Rom., I. 71, cap.

<sup>9)</sup> Euseb., V. 7. *Justinus*, Apol., I, N. 71 et ultimo.

<sup>10)</sup> *Tres libri ad Autholicum*, III, 30. *Migne*, P. Gr., VI.

<sup>10)</sup> *Philosophumena*, IX, 12 P. Gr., XVI. *Ceuleneck*, Marcia, la favorite de Commodo. Rev. des quest. hist., Juillet 1876. *Bassani*, Commodo e Marcia, Venezia 1905.

subierunt Apollonius senator<sup>1)</sup>, Eleutherius papa, multi in Asia Minore<sup>2)</sup> et martyres Scillitani Carthagine<sup>3)</sup>.

8º. **Septimius Severus** (193—211) in certamine de imperio caeso Commodο. victor decem pene annos christianis requiem permisit. Anno tamen 202<sup>4)</sup> edictum tulit, a rescripto Trajani et superioribus discrepans eo quod soli *conversioni* ad christianismum poena constituebatur<sup>5)</sup>. Attamen persecutio, quae nec Romae neque in Africa cessaverat, ita ut Tertullianus scriperit *Apologeticum* et *Ad nationes*, lato edicto haud parum ingravata est. Sane non a christiano prognati, sed soli conversi erant poena afficiendi, tamen magistratus nequaquam verbis edicti inhaeserunt. Teste Eusebio<sup>6)</sup> ubique saeviebat persecutio. In Africa internecati celeberrimi martyres Perpetua et Felicitas<sup>7)</sup>, in Egypto Leonidas, Alexandriae Potamienam cum matre Marcella<sup>8)</sup>, Lugduni Irenaeus cum ingenti multitudine<sup>9)</sup>, Romae Victor papa. Adeo vehemens flagrabat persecutio ut multi, teste Eusebio, Antichristum adventurum existimarent<sup>10)</sup>.

9º. Etsi mortuo Septimio Severo non quidem omnino a persequendo est cessatum, qui tamen ei successerunt quatuor imperatores non erant christianis infensi. Caracalla (211—217) videtur habuisse nutricem christianam<sup>11)</sup>. Elagabal (218—222) cogitabat de sociandis omnibus religionibus in unam Syriacam, cui ipse adhaerebat<sup>12)</sup>. Alexander Severus (222—235) clementia utendo videtur Juliae Mammeae

<sup>1)</sup> Anal. Boll., (1895), t. XIV, 286—294. *Prins Max von Sachsen*, Der H. Mart. Apollonius v. Rom, Mainz 1903. C. Callewaert, Questions de droit concernant le procès du martyr Apollonius, Revue des quest. hist., vol. 27, 1905.

<sup>2)</sup> *Tertull.*, *Ad Scap.*, c. 5.

<sup>3)</sup> Cf. Neuman, 72—76; 284—286. *Ruinart*, *Act. Mart.*, ed. Veron., p. 74 sq.

<sup>4)</sup> *Euseb.*, VI, 1, 2, 7. *Réville*, La religion à Rome sous les Sévères, Paris 1886.

<sup>5)</sup> *Spartianus*, Vita Severi, c. 17: Judaeos fieri sub gravi poena vetuit; idem de christianis sanxit.

<sup>6)</sup> *Hist. Eccl.*, VI, 1.

<sup>7)</sup> *Ruinart*, *Acta Mart.*, ed. Veron. p. 80. *P. Fr. dei Cavallieri*, *Passio S. Perpetuae et Felicitatis*, Röm. Quartalschr., 1896, suppl. V. *Adhémar d'Alés*; *Revue d'hist. ecclés.*, 1907, p. 5 sq. Censem librum Passionis etc. a Tertulliano conscriptum.

<sup>8)</sup> *Ruinart*, p. 100—101.

<sup>9)</sup> *Ibid.*, p. 61 sq.

<sup>10)</sup> *Hist. Eccl.*, VI, 7.

<sup>11)</sup> *Tertull.*, *Ad Scapulam.*, c. 4: lacte christiano educatus.

<sup>12)</sup> *Duchesne*, I, 362 sq.

matris suae animum secutus. In *Larario* suo juxta Abrahami et Orphei statuam Christi posuit, sententias biblicas ascripsit in palatio et in favorem christianorum decrevit contra *tabernarios*<sup>1)</sup>. Hinc inde tamen persecutio fuit.

10<sup>o</sup>. **Maximinus Thrax** (235—238), intersector Alexandri Severi, hujus amicos omnes ac simul christianos persecutus est. Contra clerum praesertim edictum ejus latum est. Episcopi omnes necandi<sup>2)</sup>. Pontianus papa et Hippolytus celeberrimus presbyter exilio in Sardiniam abierunt, Anterus papa martyr obiit. Praecipuo furore persequebatur christianos in Cappadocia et Ponto Serenianus proconsul<sup>3)</sup>.

11<sup>o</sup>. **Gordianus junior** (238—244) et **Philippus Arabs** (244—249) pacem reconciliarunt. Quin **Philippus** adeo fuit benevolus ut scriptores antiqui eum christianum dixerint<sup>4)</sup>. De qua fama quidquid est, publice tamen **Philippus** ethnici se praebebat. Ejus conjux **Severa** sicut ipse societatem litterarum habuit cum **Origine**. Aliquot annos perduravit satis quieta pax.

12<sup>o</sup>. **Decio** (249—251) imperante coepit persecutio ad delendum christianum nomen ordinata. Non enim solum christianismum eruendum censebat, quia haec ei videbatur esse causa corruptae vitae Romanae, verum etiam imperii administrandi consilio ita opinabatur, eo quod cedentibus christianismo diis ipsum quoque Romanum imperium eversumiri putabat. Modo ac ratione utens conabatur vi christianos ad paganismum retrudere<sup>5)</sup>. Verba edicti memoriae tradita non sunt. Sed imprimis episcopos impetebat. Vinculis et tormentis, inedia et siti fideles cogebantur diis sacrificare<sup>6)</sup>. **Eusebius** edictum vocat *vere horrificum*, **Cyprianus** *edicta feralia*<sup>7)</sup>. Plures dies continuos in equuleo torquebantur, non ut morerentur, sed ut

<sup>1)</sup> Maluit esse christianas aedes quam tabernas.

<sup>2)</sup> *Euseb.*, VI, 28: solos ecclesiarum antistites, utpote evangelicae predicationis auctores interfici jussit.

<sup>3)</sup> *Duchesne*, Lib. Pont., I, XCVI sq. 145, 147, praesertim annotationes.

<sup>4)</sup> *Euseb.*, VI, 34; VII, 10, 3. *Leont.* in *Chron. Pasch.*, ed. Bonn. 1832.

<sup>5)</sup> *J. A. F. Gregg*. The Decian persecution, Edinburg 1897. *Eusebius* dicit Decium persecui odio in Philippum *Chron.*, ad ann. 254. *Hist. Eccles.*, VI, 39. Quod tamen odium certe non fuit praecipua causa. *G. Schönaich*, Die Christenverfolgung des K. Decius, Jauer 1907.

<sup>6)</sup> *Cyprianus*, Epist. 22, 39.

<sup>7)</sup> *Hist. Eccl.*, VI, 47; Epist. 55.

a fide deficerent<sup>1)</sup>. Quin eo fine etiam ad libidinem sollicitabantur<sup>2)</sup>. Tempore aliquantae pacis, quod praecesserat, fervor fidelium haud parum intepuerat. Quid mirum tepidos et debiles in fide, tremefactos ac territos, magno numero fugisse ut vitam fidemque salvarent. Valde multi desciverunt, quorum alii *sacrificati*, qui thus obtulerant diis, alii *libellatici*, qui sibi compararant libellum quasi jam sacrificassent, alii demum *acta facientes*, qui nomina sua describenda curarant in tabulis eorum, qui voluntati imperatoris jam morem gesserant<sup>3)</sup>. Millia tamen restiterunt *stabiles columnae*, ut ait Eusebius<sup>4)</sup>.

Praecipui martyres referuntur: Fabianus Romae<sup>5)</sup>, Agatha in Sicilia<sup>6)</sup>, Babylas Antiochiae, Alexander Hierosolymis; celeberrimus Origenes carceri traditus paulo post ex acerbis, quae passus est, obiit<sup>7)</sup>. Numerosissimi fuerunt martyres in Africa<sup>8)</sup>. Smyrnae Pionius igne crematus est<sup>9)</sup>. Abdon et Sennen Romae necati. Felix Nolanus quoque et Christophorus hoc tempore interfici sunt. Quae narrantur de septem dormientibus etiam hujus persecutionis tempore Ephesi facta dicuntur.

13º. **Gallus** (251—253) imperator aliquam requiem, attulit non tamen diu duraturam. Vehementem exortam luem populus ubique diis litando avertere conabatur. Quorum piaculorum quum christiani participes esse recusarent denuo persecutio prorupit. Hac occubuerunt Cornelius et Lucius<sup>10)</sup>.

14º. **Valerianus** (253—260) teste Eusebio p[re]a superio-

<sup>1)</sup> *Cyprianus*, ep. 50. *Euseb.*, Hist. Eccles., VI, 39 sq.

<sup>2)</sup> *Cyprianus*, De lapsis, c. 2. *P. Allard*, III, 397. *V. de Buck*, S. J. De phialis rubricatis etc., Bruxellis 1855, c. XI, p. 83 sq. Cf. *Fr. Augar*, Die Frau im röm. Christenproces, Leipzig 1905.

<sup>3)</sup> *Cyprianus*, Ep. 55, 14. *Duchesne*, Hist. anc. de l'église, Paris 1906, I, p. 369. Atti del II Congresso di archeol. christ., Roma 1902, p. 338 *P. Franchi*, Miscellania di stud. e cultura eccl., 1904, p. 3. Quinque hujusmodi *libelli*, omnes ex persecutione Decii nobis noti sunt. Cf. *A. Bludau*, Der Katholik, Heft 9—10, 1908. *D. de Puniet*, Revue Benedictine, t. 26, p. 34—51 (1909).

<sup>4)</sup> Hist. Eccl., VI, 41.

<sup>5)</sup> *S. Cypr.*, ep. 9; *Euseb.*, Hist. Eccl., VI, 39.

<sup>6)</sup> *Ruinart*, Praef. XX et XLVIII.

<sup>7)</sup> *Euseb.*, Hist. Eccl., VI, 39; VII, 1.

<sup>8)</sup> *S. Cypr.*, ep. 10 et 48; De lapsis, c. 2.

<sup>9)</sup> *Ruinart*, p. 116 sq. Cf. *Euseb.*, Hist. Eccl., IV, 15.

<sup>10)</sup> *Euseb.*, ibid. VII, 1. *S. Cypr.*, Ad Demetr. c. 12.

ribus cunctis imperatoribus initio benevolus in christianos<sup>1)</sup>, a Macriano mago in contrariam sententiam adductus est. Primo edicto proposita poena capitis vetuit christianos congregari, adire coemeteria aut aedes sacras, sancivitque poenam exilii omnibus episcopis, presbyteris et diaconibus, qui diis sacra ferre renuisserent<sup>2)</sup>. Alterum edictum anno 258 in universum clerum animadvertere jussit. Nobiliores facultatibus privandi et si perseverarent capite plectendi; mulieres bonis spoliandae et in exilium ejiciendae<sup>3)</sup>. Ex quibus edictis factum est, ut innumerabiles omnis conditionis, aetatis et sexus martyres occumberent<sup>4)</sup>. Inter quos Stephanus et Sextus pontifices cum Laurentio<sup>5)</sup>. Item Cyprianus celeberrimus episcopus Carthaginiensis<sup>6)</sup>. Uticae mortem oppetierunt christiani 153, Massa candida vocati, eo quod viva calce obruti interierunt; Rufina et Secundina, Fructuosus episcopus Tarragonensis cum duobus diaconis Chrysanto et Daria<sup>7)</sup>.

15º. **Gallienus** (260—268) non secutus paternam crudelitatem bona confiscata reddenda praecepit christianorumque sancivit *collegia fratrum* et *collegia tenuiorum*<sup>8)</sup>. Non tamen christianismum tanquam *religionem licitam* probavit<sup>9)</sup>. Annis 260—300 universe cum bona pace vivebant christiani, licet hinc inde unus aut alter passus sit, sicut Claudio II (268—270) imperante.

16º. **Aurelianus** (270—275)<sup>10)</sup> ultimo regni sui anno persecutionem denuo movere conatus, edictum 275 morte correptus exequi non potuit. Sicut Gallienus lenioribus edictis primum episcopos *collegiorum* principes probaverat, ita Aurelianus primus fuit qui episcopum legitimum Antiochenum contra in-

<sup>1)</sup> Euseb., ibid. VII, 10—12. P. J. Healy, The Valerian persecution. A study of the relations between church and state in the 3rd century, London 1905.

<sup>2)</sup> Euseb., ibid., VII, 11, 13. Acta procons. S. Cypr. c. 1. Ruinart, p. 188.

<sup>3)</sup> S. Cypr., Ep. 80.

<sup>4)</sup> Dionys-Alex. apud Euseb., Hist. Eccl., VII, 11.

<sup>5)</sup> Ruinart, p. 162 sq.

<sup>6)</sup> Ibid., p. 188 sq. Cf. Freppel, S. Cyprien; D. Leclercq, l'Afrique chrétienne, t. I p. 225—229. P. Monceaux, Hist. litt. de l'Afrique chrétienne, t. II, p. 179—201.

<sup>7)</sup> Ruinart, p. 175—176, 347, 190 sq.

<sup>8)</sup> Euseb., VII. 13. D. Leclercq, l'Espagne chrétienne, p. 53—57.

<sup>9)</sup> Kraus, Real-encyclop. in voce Christenverfolgungen; Rom. Sott., p. 58 sq. Cf. Schiess, Die Röm. Coll. funeraticia, München 1888.

<sup>10)</sup> Euseb., VII, 30. De mortibus persecutorum. c. 6. Migne, P. L., Tom. VII, p. 203. Ruinart, Acta Symphorosae, p. 68.

juste factum Pauli Samosateni defendit<sup>1)</sup>. Successerunt 170. **Diocletianus** (284—305)<sup>2)</sup> ejusque imperii consortes, Diuturno pacis fere perfectae tempore christianismus citissime dilatatus fuerat. Facile autem e rerum natura consequi intelligitur, ut adeo multis ad christianum cultum conversis, interna christianorum praestantia non sit aequali modo aucta. Quies enim inertiam et languorem parit. Inter multos semper aliquot minus fervidi inveniuntur<sup>3)</sup>.

Diocletianus princeps ingenio validus et perspicax, mox intellexit imperium, barbarorum incursionibus vexatum, novis gubernandi adminiculis esse firmandum. Anno 286 Maximianum Herculeum imperatorem occidentis constituit. Hic minime favebat christianis. Mox martyres facti: Gesenius, Zoë et Tranquillinus Romae<sup>4)</sup>, e legione Thebana Agauni (St. Moritz) in Valesia (Helvetiae)<sup>5)</sup> nominantur Mauritius, Exsuperius et Candidus; dein Cantius, Cantianus et Cantianilla Venetiis<sup>6)</sup>.

Anno 291 Diocletianus ad colloquium congressus est cum Maximiano collega suo Mediolani. Uterque suum sibi cooptavit Caesarem atque kalendis Martiis 292 imperii administrandi ratio fuit hujusmodi: Diocletianus gubernabat Asiam, Thraciam et Egyptum sedemque gubernii habebat Nicomediae in Bithynia. Sub ditione Galerii, qui erat ei Caesar, constituta Illyricum, Macedonia, Graecia et Creta, ditonis capite Sirmio. Alter Augustus Maximianus gubernacula tenebat in Hispania, Italia et Africa, domicilium habens Mediolani. Hujus autem caesari Constantio Chloro demandan-

<sup>1)</sup> *Euseb.*, VII, 30. Quum ex aedibus episcopalibus demigrare nollet, »interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, iis tradidomum praecipiens, quibus Italici Christianae religionis antistites et Romanus episcopus scriberent.“

<sup>2)</sup> *Euseb.*, H. E., VIII, 1. *Belser*, Zur Diocletianischen Christenverfolgung, Tübingen 1891. *Violet*, Die Paläst. Martyres von Eusebius. Texte u. Unters. 1896, XIV, 4. *Grell*, Essai sur le règne de l'emp. Dioclétien, Paris 1903.

<sup>3)</sup> *Euseb.*, H. E., VIII, 1.

<sup>4)</sup> *Ruinart*, p. 236. *Acta SS.*, Tom. II. Jan., p. 265 sq.

<sup>5)</sup> Narrationis summa historiae fide comprobata. Vide testimonium Eucherii Lugdunensis apud *Ruinart*, p. 237 sq. *Allard*, V, 335 sq. Tüb. Quartalschr. 1891, p. 702; 1893, p. 176; 1895, p. 191. *P. G. Groenen*, Geschiedk. Bladen, 1905, afl. 2—3.

<sup>6)</sup> *Act. SS.*, Tom. VII Mai, p. 420.

data Gallia et Britannia et postea etiam Hispania, quarum partium sedes Augusta Trevirorum assignata. Imperium universum erat divisum in provincias, dioeceses et praefecturas. Romanae civitati, antiquae rei publica monumentis plenae, dignitas capitis imperii adempta. Potentia praetoriana fracta.

Initio Diocletianus non fuit infestus christianis, sed pluribus ut famulis vel ministris utebatur. Narrant quoque uxorem ejus Priscam et filiam Valeriam christianaë religioni nomen dedisse<sup>1)</sup>. Permittebat etiam ut qui voluissent essent christiani, quin hos ethnicis anteponebat<sup>2)</sup>. At urgentibus assidue Galerio aliisque mutata est imperatoris voluntas. Jam anno 295 coeperunt persecutione vexari milites. In cunctis imperii partibus, excepta<sup>3)</sup> Africa, legionarii magno numero erant christiani. Facta inquisitione optio data est, utrum a fide deficere vellent an militiam relinquere. Reliquerunt militiam fere omnes, quin etiam nonnulli martyrium subierunt<sup>4)</sup>. Tandem anno 303 id quod cupiebat Galerius consecutus est. Exorta jussu Diocletiani universalis persecutio<sup>5)</sup>; quam voluit sine sanguine, mox facta est cruentissima.

Initium procellæ factum est eversione Nicomediensis ecclesiae. Brevibus interjectis spatiis quatuor edicta lata sunt. Primo edicto templa jussit evertenda, sacras litteras tradendas et exurendas ademitque christianis omnia jura civilia et honores. Haec dum magistratus exsequuntur jam ventum est ad caedes<sup>6)</sup>. Haud diu post in palatio Nicomediensi incendium exortum et seditiones motae in provinciis. Christianis causa attributa. Secundum edictum mandavit clericos cunctos<sup>7)</sup> in vincula conjicere. Adeo replebantur carceres ut hominibus maleficis deficeret locus. Tum tertium edictum jussit solvere vinculis eos qui sacrificassent. Recusantibus vero omnimoda tormenta injuncta<sup>8)</sup>. Interea anno 304 celebrata *vicennalia* Diocletiani et Maxi-

<sup>1)</sup> Allard, V, 53 sq. Euseb., H. E., VIII, 1. De mortis. pers., c. 10 sq.

<sup>2)</sup> Euseb., l. c.

<sup>3)</sup> De malesano rigorismo in Africa vide Tertull., Apol., c. 37; De cor. mil., c. 11; Lactantius, Instit., VI, 20. Ruinart, p. 263.

<sup>4)</sup> Euseb., H. E., VIII, 4; Append. ad c. VIII

<sup>5)</sup> Galerium præcipuum auctorem fuisse vide: De mort. pers., c. 11.

<sup>6)</sup> Lact. De mort. persec., c. 12—13; Euseb., H. E., VIII, 2; De Martyr. Pal., I, 1.

<sup>7)</sup> Euseb., l. c., VII, 2, 6.

<sup>8)</sup> Ibid., VIII, 6.

miani, qua quidem occasione multi e custodia dimissi. At non diurna liberatio fuit. Eodem enim anno quartum edictum latum est, quo poena mortis proposita in fideles omnes qui sacrificare diis recusassent<sup>1)</sup>.

Tum ethnicis pro arbitrio omnia licita contra christianos. Nonnulli magistratus, saevitiam legis aggravantes, tristissime sagaces se praebuerunt in excogitandis atrocissimis tormentis<sup>2)</sup>. Saevissime actum in oriente. Mitius suos tractabat Constantius Chlorus in Gallia, Hispania et Britannia. Solum ut tempa diruerentur vel occluderentur permisit. Unus tamen aut alter jussu inferiorum magistratum necati sunt. Constantinus successor patris, anno 306 mortui, mansuetudinem imitatus est. Maxentius (306—312) autem noluit vexare christianos in Italia et Africa. At in oriente quamquam anno 305 Diocletianus imperio abierat, pax tamen redditum non est. Abeunti Diocletiano suffectus Galerius Augustus, homo crudelis, crudiorem se Maximinum Daza Caesarem assumpsit. Duravit persecutio ad annum 311, quum Galerius dementiam impotentiamque suam confessus, moriturus<sup>3)</sup> edictum tulit: *ut denuo sint christiani et conventicula sua componant ita ut ne quid contra disciplinam agant... Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra et rei publicae et sua*<sup>4)</sup>. Huic edicto Licinius, anno 307 Caesar creatus, et Constantinus subscripserunt; at in oriente Maximinus exsecutioni obstabat. Demum Constantinus signa tulit contra Maxentium, qui se partibus ethnicorum adjunxerat, eumque devicit celeberrimo proelio ad Pontum Milvium 28 Octobri 312, ita ut universum imperium tenerent Licinius et Constantinus, qui ineunte anno 313 ad colloquium congressi celeberrimum tulerunt **edictum Mediolanense** quo primum christianis de rebus divinis disponendi quae vellent omnimoda libertas est vindicata<sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> *Euseb.*, *De Mart. Pal.*, I, 3

<sup>2)</sup> Vide praesertim *Euseb.*, l. c. VIII et *de Mart. Pal. Lact.* *De mort. pers.*, c. 14—16.

<sup>3)</sup> *De horrendo morbo Galerii*, *Euseb.*, l. c. VIII, 16.

<sup>4)</sup> *Euseb.*, l. c. VIII, 7. Cf. *Lact.*, *De mort. pers.*, c. 34. Hoc anno 312 etiam a Constantino et Licinio mitiora esse mandata, patet ex edicto 313. Verba tamen illius edicti tradita non sunt.

<sup>5)</sup> Verba edicti apud *Lactant.*, *De mort. pers.*, c. 48 et *Euseb.*, *H. E.*, X, 5 nonnihil differunt.

18º. Narrat Eusebius<sup>1)</sup> Constantium juratum declarasse, se in proelium euntem contra Maxentium supra solem vidiisse lucidam crucis speciem, cui inscriptio: Τούτῳ νίκα, i. e. hoc vince, et Christum sibi proxima nocte injunxisse ut hac caelesti forma **labarum** conficiendum curaret, quo salutari signo in proelio uteretur. Idem fere Constantinus arcui Romano inscribendum jussit: *hoc salutari signo, verae fortitudinis imagine urbem vestram jugo tyrannorum liberavi*. In *historia sua ecclesiastica*<sup>2)</sup> Eusebius tantum dicit: *Coelestis Dei numine ejusque Filio ac Verbo omnium servatore Jesu Christo in auxilium suppliciter invocato cum universo exercitu progressus est*. Alius ejusdem aetatis scriptor Lactantius<sup>3)</sup> quoque haec solum habet: *commonitus est in quiete ut coeleste signum Dei notaret in scutis atque ita proelium committeret*. Tamen non possunt recte rejici quae supra narravit Eusebius eo quod referuntur ad testimonium juramento confirmatum ipsius Constantini<sup>4)</sup>. Ceterum quum ageretur de primo imperatore Romano convertendo, mirum nemini videbitur Deum mirabili modo intercessisse<sup>5)</sup>.

Hac ultima persecutione innumerabili multitudine martyres occubuerunt: Caesareae in Cappadocia Georgius et Dorothea; Nicomediae Prisca, Valeria, Dorotheus, Gorgonius, Petrus et Anthimus; Romae Sebastianus, Anastasia, Agnes<sup>6)</sup> et „quatuor coronati”; Syracusis Lucia; Augustae Vindelicorum Afra et multi alii<sup>7)</sup>. *Alii*

<sup>1)</sup> Vita Const., I. 28 - 33.

<sup>2)</sup> H. E., IX, 9.

<sup>3)</sup> De mort. pers., c. 44.

<sup>4)</sup> Cf. Socrates Hist. Eccl., I, 2. Sozom. H. E., I, 3. Ipsi rhetores pagani affirmarunt narrationem et caelestem imperatoris visionem. Cf. Knöpfler, Konstantins Kreuzesvision. Hist. Pol. Bl., 1908. fasc. I. p. 183 sq.

<sup>5)</sup> Funk, Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen, II, Paderborn 1899, p. 1—23, putat sine ratione sufficienti phantasiam Constantini multa addidisse. Cf. Studien, 1903, Deel 60, p. 82 sq. Desroches, Le Labarum, étude critique et archéologique, Paris 1894.

<sup>6)</sup> P. Franchi de Cavalieri, Agnese nella tradizione e nella legenda. Röm. Quartalschr. Suppl. X (1899). H. Grisar S. J. Das römische Sancta Sanctorum und sein Schatz, Freiburg 1908. De Kerval, Sainte Agnès, Paris 1902. F. Jubaru, Sainte Agnès, vierge et martyre de la voie Nomentane d'après de nouvelles recherches, Paris 1907.

<sup>7)</sup> In Gallia addunt Agenii Caprasium episcopum et Fideam (Ste Foy) virginem. Cf. Bouillet et Servières, Sainte Foy, vierge et martyre, Paris 1906. Insuper e superioribus persecutionibus Symphorianum Augustoduni et alios martyres non paucos.

*quoque non pauci p[re]ignavia fracti animis primo statim impetu p[re]timore conciderunt*<sup>1)</sup>), sacrificantes vel libros sacros tradentes.

Jam superiorum persecutionum tempore quaesitum fuit quid agendum de **lapsis** qui resipuerint. Rectissime S. Cyprianus respondit severius agendum cum iis qui *primo impetu* defecissent quam cum aliis, qui post diuturnum certamen et atrocia tormenta miserrime fracto animo cecidissent; severius cum *sacrificatis* quam cum *libellaticis*<sup>2)</sup>; episcopis et presbyteris interdicendum ne sacris officiis fungerentur<sup>3)</sup>. Tum concilium Illiberitanum (306) constituit de *lapsis*. Admittebantur ad poenitentiam sed difficilime ad S. Communionem<sup>4)</sup>. Synodus quoque Ancyranus (314) decreta edidit. Presbyteris et diaconibus poenae variae constituae. Officiis sacris fungi post lapsum numquam concessum est<sup>5)</sup>. De numero eorum qui ultima persecutione defecerant multi fuerunt **traditores**, qui dederant sacros libros, vasa sacra, aut nomina fratrum in fide. Fere omnes ad clerum pertinebant. Quin interdum nonnulli episcopi, ut Purpereus Limatensis, Donatus Maxulanus, Victor Rusicadenus, Fundanus Abitenensis. Erant etiam in Hispania et aliis regionibus<sup>6)</sup>. Contra *tradidores* synodus Arelatensis statuit ut, qui publicis litteris aut tabulis arguerentur esse tradidores, ex ordine clericorum ejicerentur. Quod si post lapsum consecrationes fecissent has synodus declaravit validas. Accusationi delatae tamen fides non habenda nisi publico documento esset probata<sup>7)</sup>.

20º. **Numerum persecutionum Romanarum** auctores veteres solent ad decem computare, non quidem accurate recensentes, sed potius ad normam decem plagarum Ægypti<sup>8)</sup> et cornuum decem bestiae apocalypticæ<sup>9)</sup>, quos dicebant decem persecu-

<sup>1)</sup> Euseb., H. E., VIII. 3. De mart. Pal., c. 1.

<sup>2)</sup> Vide supra § 8, No. 12.

<sup>3)</sup> Epist. 52 et 68. Cf. Hefele, Conciliengesch., II Aufl., I, 111 sq.

<sup>4)</sup> Cf. Can. 1 et 46 apud Hefele, I, 155, 176. Cf. Can. 32. Alii putant hic agi de reconciliatione et non de communione corporis Domini.

<sup>5)</sup> Can. 1—9, Hefele, I, p. 222 sq.

<sup>6)</sup> P. Allard, IV, p. 191 sq. Qua ratione conarentur clericos ad defectionem perducere, lege Gesta apud Zenophilum consularem, Migne, P. L. Tom. 43. p. 794 sq. et opera Optati Milevitani.

<sup>7)</sup> Cf. Can. 13. Hefele, I, 211—212.

<sup>8)</sup> Ex., VII sq.

<sup>9)</sup> Apoc., XVII, 1—14.

tores Ecclesiae. S. Augustinus<sup>1)</sup> et Sulpitius Severus<sup>2)</sup>, hujus traditionis auctores, in supputandis imperatoribus non conveniunt. S. Augustinus enumerat Neronem, Domitianum, Trajanum, Marcum Aurelium, Septimium Severum, Maximinum Thracem, Decium, Valerianum, Aurelianum et Diocletianum. Sulpitius vero omittit Maximinum Thracem et Aurelianum eorumque loco solum Hadrianum ponit. Lactantius tantum sex magnas persecutiones nominat<sup>3)</sup>.

21º. Numerum martyrum fuisse ingentem tum traditio tum historia docet. Primus hanc sententiam impugnavit H. Dodwell<sup>4)</sup> anno 1648, defendendo imperatores Romanos ascribendo, breviaria et martyrologia esse fabellas monachorum. Splendidissime haec commenta refutavit anno 1689 Th. Ruinart<sup>5)</sup>. Nullo tamen modo aliis multis consentit qui numerum 11000000 ponunt, aut cum Boldetti<sup>6)</sup> singulis anni diebus in sola Roma 700 martyres memorari volunt. Nimis paucos econtra numeravit Victor de Buck, Romanos martyres ad 4000 computans<sup>7)</sup>. Etenim pro sola urbe Roma martyrologium Romanum 13.828 recenset<sup>8)</sup>. Verum effici nequit ut vel probabili conjectura quis verum martyrum numerum assequatur. Licet argumentis comprobari nequeat quod nonnulli dicunt martyres numero fuisse pluries decies centena millia, tamen Tacitus Nerone imperante dicit *ingentem multidudinem*<sup>9)</sup>,

<sup>1)</sup> De Civ. Dei, XVIII, 52.

<sup>2)</sup> Chronic., II, 29—30.

<sup>3)</sup> De mort. pers. Confer tempore medii aevi *Godefridum Viterbiensem*, Pantheon apud Migne. P. L., Tom. 198. p. 1012 sq.

<sup>4)</sup> Dissert. Cyprian. IX. De paucitate martyrum, Oxon. 1684.

<sup>5)</sup> Acta Martyrum sincera. Saepius haec edita. Nos utimur ed. Veronae, 1731. Cf. praefatio generalis, § II—III. Cf. Mamachi, Origines et antiquitates christianae, Romae 1749—52. L. A. Zaccaria, Raccolta di dissertationi di storia ecclesiastica, Roma 1792, Tom. XI.

<sup>6)</sup> Osservazioni sopra i cimiteri dei ss. Martiri ed antichi christiani di Roma, Roma 1720, p. 266.

<sup>7)</sup> De phialis rubricatis, quibus Mart. Rom. sepulcra dignosci dicuntur observationes, Bruxellis 1855, p. 31 sq.

<sup>8)</sup> Kraus, Die Blutampullen der röm. Katakomben, Frankfurt 1868. p. 35.

<sup>9)</sup> Annal., XV, 43—45.

Dio Cassius Domitiano regnante *multos*<sup>1)</sup>. Dein Trajan i tempore *valde multi* furore populi necati sunt, dum assidue in tribunalibus causae martyrum agebantur<sup>2)</sup>; Marco Aurelio imperatore *innumerabiles in universo terrarum orbe* interfecti sunt<sup>3)</sup>, ita ut proconsules et praefecti numerosis agendis causis non suffecerint; Septimio Severo regnante profundebatur quasi fluvii sanguis martyrum, ut existimarent homines Antichristum adventurum<sup>4)</sup>; Decius, a Lactantio „execrabile animal” vocatus, neque aetati nec sexui aut conditioni pepercit; „fluebat sanguis”, S. Cyprianus inquit<sup>5)</sup>. Gallo gubernante *innumerus populus* martyrio coronatus<sup>6)</sup>. Valerianus brevi regni tempore multum sanguinem martyrum fudit<sup>7)</sup>. Diocletiani persecutio decem continuos annos populum Dei destruxit; nullo unquam bello usque adeo incolae deminuti sunt<sup>8)</sup>. Enses obtusi carnificesque prae lassitudine alternare coacti. In Aegypto haud raro uno loco 30 aut 60 nonnumquam 100 simul trucidati<sup>9)</sup>. In aliis quoque regionibus saepe multi simul christiani morti traditi ut *massa candida* Valeriano, *legio Thebana* Maximiano imperantibus. Huc etiam spectant Ursula et sociæ. Quod nonnulli putant gestum Maximino Thrace regnante, longe plures et rectius tamen tempore Hunnorum invadentium, qui, ut legenda fert, Coloniae Agrippinae 11000 virgines propter castimoniam trucidarunt. Coloniae virgines aliquot martyrio coronatas ex inscriptione Clematiana ibidem in ecclesia Sæ Ursulae certum est. Dicitur enim Clematium (saeculo 4° vel 5°) reparasse basilicam in loco ubi „SS. virgines pro Christi nomine sanguinem effuderunt.” Monumenta vetera de numero nihil tradiderunt. Saeculo IX° Wandelbertus Prumensis jam loquitur de „millibus”. Saeculo X multitudo ad

<sup>1)</sup> Hist. Rom., 67, 14.

<sup>2)</sup> Euseb. H. E., III, 34.

<sup>3)</sup> Ibid., V, 1.

<sup>4)</sup> Ibid., VI, 7; Clem. Alex., Strom., II.

<sup>5)</sup> Ep. X.

<sup>6)</sup> Cyprian., De mortalit. ad finem.

<sup>7)</sup> Lact., De mort. pers., 5.

<sup>8)</sup> Sulp. Sever., Hist. Sacr., II, 6, 32. Orosius, Adv. pagan., VII, 22.

<sup>9)</sup> Euseb. H. E., VIII, 9,

11000 aucta: monasterium... in honore S<sup>æ</sup> Dei genetricis semperque virginis Mariae et undecim millia virginum<sup>1)</sup>.

### § 9. Scriptis oppugnatur Ecclesia.

*Arneth*, Das klassische Heidentum und die christliche Religion, Wien 1895, 1—2. *H. Kellner*, Hellenismus und Christenthum, oder die geistige Reaction des antiken Heitenthums gegen das Christenthum, Köln 1866. *Aubé*, Histoire des persécutions de l'église, tom. II: la polémique païenne à la fin du deuxième siècle, Paris 1878.

Fieri aliter non potuit quam ut exculti ethnici praeter enses etiam calamis uterentur ad evertendum christianismum. Quod quum clam et oblique tum palam et directe fecerunt acriter impugnando Christum ejusque Ecclesiam. Etsi de posterioris generis libellis pauca supersunt, eo quod Theodosii II edictum anno 448 istos omnes exurendos mandavit, tamen satis superque patet ex iis quae memoria tradita sunt, quam fuerint ingenti odio in christianos conscripti.

Quid conatus sit **Fronto Cirtanus** († fortasse 166) rhetor et **Marci Aurelii** praeceptor, non satis est notum. In libro cui inscriptio *Octavius*, quae antiquissima est apologia latina, conscripta a **Minucio Felice**<sup>2)</sup>, narratur orationem edidisse, qua usuales calumniae relatae sunt de epulis Thyestae, de libidine Oedipodensi et aliae hujusmodi.

Servata nobis est satira **Luciani Samosateni**: *De morte Peregrini*. **Peregrinus** ibi describitur corruptus christianus presbyter, asceta Ægyptiacus, demum philosophus cynicus, qui ultro sibi ipse igne mortem affert. Satirae acumen intentat poeta ille quidem in cynicos ac praesertim in **Theogenem**, sed simul conatur deridere christianos, comico tamen scribendi arte non excellens<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> *Stein*, Die h. Ursula und ihre Gesellschaft, Köln 1879. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, I, 25 sq. *A. Müller*, Das Martyrium der Thebanischen Jungfrauen zu Köln, 1896. *Jaffé*, Reg. Rom. Pont., ed. II, N. 3594. *G. Morin*, L'inscription de Clémentius et la légende des onze mille vierges. Mélanges de Paul Fabre, Paris 1902, p. 51—64. *P. Allard*, Dix leçons, p. 134—149.

<sup>2)</sup> Cap. IX, 6; XXXI, 2.

<sup>3)</sup> *Funk*, Kirchengesch. Abhandl. und Untersuchungen, II, 152—151 putat opus illud conscriptum annis 170—185. Cf. *F. Vigouroux*, Les livres saints et la critique rationaliste, 3<sup>e</sup> éd., Paris, 1890, p. 133—151.

Circa annum 178<sup>1)</sup> **Celsus**, philosophus e schola Platonis contra christianos edidit librum satis amplum, cui inscriptio *Sermo verus*. Opus ipsum deperditum, sed dempta una decima parte totum relatum invenitur in libro, quem *Origenes* adhuc medio saeculo tertio (244—249) conscripsit ad illud refellendum cuique titulus *Contra Celsum*. Quatuor partibus constabat *Sermo verus*. In prima Judaeus quispiam probare conatur Christianos ideam Messiacam non intellexisse; in altera carpit ethnicus quispiam Judaeos de idea Messiaca atque ita oblique etiam in christianos invehit. Tertia pars impugnat doctrinas Christianorum religiosas et morales conaturque demonstrare eas esse aliunde mutuatas et corruptas. Quarta demum pars in defendendo ethnico imperii cultu versatur. *Celsus* hominem se eruditum et sagacem praebet. Acerbis omnimodisque facetiis irridet Christianismum ejusque auctori quasi vili deceptoris conviciatur. Quae fuerit ratio ac voluntas in hoc libello videri potest apud *Originem*, qui: *narrat ille (Celsus)*, inquit, *Jesu matrem, cum a fabro, qui sibi illam desponderat, temeratae pudicitiae rea, gravidaque e milite, cui Panthera nomen erat, deprehensa esset, expulsam fuisse*. Per ludibrium infert christianos juxta S. Paulum (I Cor., III, 18—19) dicentes: *mala res est in hac vita sapientia, bona autem stultitia*<sup>2)</sup>.

Non minus vehemente et acerbe scripsit **Porphyrius**, philosophus Neo-Platonicus, contra christianos libros quindecim, quorum fragmenta tantummodo pauca supersunt. Objurgat et ipse christianos de atheismo, de libidine, de infantium caede. Videtur autem plura quam alii insectatores novisse de christianismo. Quod quidem simul ac quaedam S. Augustini<sup>3)</sup> verba argumento est eum fuisse apostatam. Scribit enim ille: *Quam (virtutem et sapientiam) si vere et fideliter amasses, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam cognovisses, nec ab ejus saluberrima humilitate tumore afflatus vanae scientiae resiluisses*. Certe apostatarum consueto odio impugnat Messiam, resurrectionem

<sup>1)</sup> *Origen.*, Contra Celsum, *Migne*, P. Gr., Tom. XI, I; 13 et 32. *Th. Keim*, Celsus' Wahres Wort. Aelteste Streitschrift antiker Weltanschauung gegen das Christentum vom Jahre 178 n. Christus, Zurich 1873. *Muth*, Der Kampf der heidn. Philosophie gegen das Christentum, Mainz 1900. *Whittaker*, Apollonius of Thyana and other essays, London 1906. Celsus and Origenes.

<sup>2)</sup> De Civit. Dei, X, 28; *Socrates*, H. E., III, 23. *Niceph. Call.*, X, 36.

<sup>3)</sup> *F. Vigouroux*, l. c. p. 156—188.

ejus, atque aeternas inferni poenas, irridet Salvatorem, Sacram Scripturam, prophetias *vaticinia post factum* vocans. Ab altera parte conatus est ethnicismum purgare et redintegrare, atque id quidem irrito sane labore sicut et ceteri omnes, qui ante vel postea idem tentaverunt<sup>1)</sup>.

Atque ob hoc quidem conamen Porphyrius etiam ad eos adnumerandus est qui christianismum *oblique* oppugnarunt. Jam primo saeculo Apollonius Tyanaeus propagare conatus fuerat doctrinam Neo-Pythagoricorum cum exiguo tamen successu. Nihilominus homines ethnici et vel ipse Septimius Severus eum venerabantur<sup>2)</sup>. Prece autem Juliae Domnae, uxoris hujus imperatoris, Philostratus annis fere 220—230 scripsit Apollonii vitam, eumque laudibus extulit tanquam heroem, qui homines reformandi causa longinqua itinera confererat omniumque animos verbo et opere in se conciliaverat. Vel ipso Christo Apollonium Philostratus adaequavit, deditque ethnicismo miraculorum auctorem, qui occulta ratione ita disparuit, ut nemo potuerit unquam sepulcrum ejus invenire<sup>3)</sup>.

Omnium tamen acerrima conamina ad redintegrandum dilabentem paganismum adhibita sunt a **schola Neo-Platonica**. Ethnicus iste cultus, vita et sensu carens, affectis desiderio animis non faciebat satis. Veterum enim simplicitas in credendis mythologicis narratiunculis paulatim abscesserat. Desiderabant homines cognoscere vera, nec poterant. Quare philosophi Neo-Platonici his votis obsequi conati sunt. Consilium ceperunt mythologicas fabulas inverso sensu allegorice exponere atque aliqualem pantheisticam trinitatem excogitare. Novo vigore redivivus ethnicismus inde nasciturus sperabatur.

**Ammonius Sakkas**, christianus apostata existimatus († 243), hujus scholae institutor quidem fuit, non tamen systematis inventor. Ea laus Plotino († 261) tribuenda. Dici potest, antiquam philosophiam omni qua pollebat vi tunc incubuisse ut desidentem paganismum a ruina tueretur. Nec mirum id fieri non potuisse sine christianorum insectatione.

<sup>1)</sup> A. Kleffer, *Porphyrius der Neuplatoniker und Christenfeind*, Paderborn 1896.

<sup>2)</sup> Dio Cassius, Hist. Rom., 77, 18.

<sup>3)</sup> J. Götsching, *Apollonius von Tyana*, Leipzig 1889. F. Whittaker, *Apollonius of Tyana*, London 1906. F. Vigouroux, l. c. p. 194—199.

De **Porphyrio**, p[re]ce ceteris celeberrimo Neo-Platonista, supra jam mentio facta. Hujus magister **Plotinus** gnosticos simul et christianos impugnavit<sup>1)</sup>. Quae **Porphyrius**, **Philostratus** et **Celsus** contra christianos intulerant, ea omnia **Hierocles**, Bithyniae proconsul circiter anno 305 comprehen-dit suo opere, cui inscriptio *Λόγοι Φιλαλήθεις πρὸς τοὺς Χριστιανούς*. Acerbis ludibriis crudelis iste christianorum persecutor obruit Christum, quem, ut fecerat Philostratus, **Apollonio Tyanaeo** aequiparat. Ceterum repetit sententiam philosophorum de qua supra<sup>2)</sup>.

Etiam ludicris et **imaginibus** irridebantur christiani. Objurgabantur praecipue quod asinum adorarent, ut patet e **Tertulliano** et e cruce irrigoria Romana. Haec anno 1856 inventa est a P. C. Garrucci S. J. Romae in Palatino, in eaque effingitur **Alexamenos** adorans crucifixum, cui per ludibrium caput asini impositum. Addita inscriptio: „**Alexamenos** adorat deum suum.” Anno 1870 in alio cubiculo inventa inscriptio: „**Alexamenos fidelis**”<sup>3)</sup>.

## § 10. Propagatio Ecclesiae priore parte saeculi IVi.

*A. Harnack*, Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten, Leipzig 1902. *Ughelli*, Italia sacra. Ed. II. Venetiis 1717 sq. *Duchesne*, Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule, Paris 1894 sq. I—II. *P. Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, B. I, Regensburg 1862. *F. Hauck*, Kirchengeschichte von Deutschland B. I, 2 Aufl. Leipzig 1898. *C. Murray*, Christianity in England before Augustine, 1900. *H. Leclercq*, l'Afrique chrétienne, Paris 1904, I.—II. *Le Quien*, Oriens christianus, Paris 1740. I.—III. *P. Allard*, le christianisme et l'empire Romain, 3 éd., Paris 1898. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Tom. I—II, Paris 1906—1907. *A. Toulotte* Géographie de l'Afrique chrétienne, 4 vols, Rennes 1894. *J. Rivière*, La propagation du Christianisme dans les trois premiers siècles, Paris 1907.

<sup>1)</sup> *Harnack*, Gesch. der Altchr. Lit., I. 872—873.

<sup>2)</sup> *Euseb.*, Contra Hierocl., ed. *Gaisford*, Oxford 1852. *Lact.*, De mort. pers. c. 16. *Harnack*, I. c. p. 564.

<sup>3)</sup> *Tertul.*, Apol. c. 16. *Garrucci*, Il crocifisso graffito, Roma 1856. *F. X. Kraus*, Das Spottcrucifix vom Palatin, Freiburg 1872. Effigiem etiam invenies apud *Grisar*, Geschichte Roms, p. 608; *Kraus*, Geschichte der christlichen Kunst, I. p. 173. *Kauffmann*, Handbuch der christlichen Archeologie, Paderborn 1905, p. 256. Quae objecta fuerunt contra christianam hujus crucis interpretandae sententiam hucusque vim demonstrationis non habuerunt.

,,Semen est sanguis christianorum” Tertullianus inquit<sup>1)</sup>. Et S. Justinus: „Quanto magis ejusmodi quaedam in nos expediuntur tormenta, tanto alii plures fideles et verae religionis per nomen Jesu fiunt cultores”<sup>2)</sup>. Et re quidem vera mirabilis fuit christianismi **propagatio**. Videbatur natus ut esset oppidanorum religio. Aucto numero incolarum numerosiores etiam christiani in urbibus habitabant. Ad finem persecutionis in nonnullis civitatibus maior pars christiani erant. At vero etiam apud ruricolas in multis provinciis christiana fides altè penetrarat, ut praesertim in provinciis Asiae Minoris, in Armenia, Syria, Ægypto, Palaestina et septentrionali parte Africæ. „Gens... omnium nationum populosissima” ab Eusebio<sup>3)</sup> christiani nuncupabantur. Non tamè hoc intelligendum de cunctis regionibus et provinciis, quia varius valde erat in variis terræ partibus fidelium numerus.

1º. Regiones, ubi fere **media pars** incolarum fidei christiana nomen dederant, ubi christiana religio erat praecipua aut a pluribus observabatur, numerandae sunt imprimis Asia Minor. Ibi celeberrimae ecclesiae: Nazianze, Caesarea metropolis, e cuius civitatis confiniis occurrunt in concilio Nicaeno quinque nomina *chorepiscoporum*, unde patet ruricolas fuisse christianos<sup>4)</sup>; Nicomedia in Bithynia, ubi jam pridem christianismus eximie floruit; Galatia, Phrygia et Pisidia cum metropolis Ancyra, Laodicea et Iconio. Dein Ephesus, Smyrnae, Pergamum et reliquæ ecclesiae in *libro apocalypsis* enumeratae. Provinciae Syriae, Pamphiliae et Isauriae miserunt ad Nicaenum episcopos 25. Tum Thracia e regione Bithyniae sita, cum sedibus Byzantio<sup>5)</sup>, Heraclea metropoli, et Adrianopoli; præterea Armenia, ubi christiana religio publica erat familiaque regis eam colebat, ut Eusebius Maximini imperatoris bellum adversus Armeniam religionis causa gestum dixerit<sup>6)</sup>.

<sup>1)</sup> Apol., c. 50.

<sup>2)</sup> Dial. c. Tryph., c. 110.

<sup>3)</sup> H. E., I. 4.

<sup>4)</sup> Origen., c. Celsum, III. 9.

<sup>5)</sup> Duchesne, Les anciens évêchés de la Grèce (Mélanges d'archéologie et d'histoire) 1895, p. 375 sq.

<sup>6)</sup> H. E., IX, 8.

Demum Edessa jam inde a longo tempore tota erat Christo dedita<sup>1)</sup>.

2º. Ad regiones, quarum non quidem major sed tamen **valde magna pars** incolarum se christianos profitebantur, ut potestate et influxu aemularentur ethnicos, pertinent: Antiochia, prae ceteris omnibus ampla civitas orientis, ubi ineunte saeculo quarto jam episcopi 19 sederant, cum ecclesiis circumiacentibus, quae erant Seleucia, Apamea, Raphaneae, Hierapolis, Samosate, Neocaesarea et decem aliae. Ex insula Cypro episcopi tres interfuerunt Nicaeno. In Ægypto, cum ecclesia Alexandrina ejusque celeberrima schola, numerabantur fere centum sedes episcopales, ita ut universae regionis ecclesiastica administratio fere ordinata fuerit.

Nec minus florebat Africa proconsularis ubi Carthagini metropoli sedes episcopales fere 250 adjunctae erant<sup>2)</sup>. Florebat etiam Roma, Italia inferior et aliquae partes Italiae mediae. Uno fere saeculo ante Ecclesiae pacem in coetu Romano numerari poterant 50000 christiani, nec temere tempore Nicaeni concilii eorum numerus ad 150000 crevisse existimatur. Erant basilicae plus 40 atque ad Ecclesiam Romanam pertinebant fere centum Italiae episcopi. Florida erat Hispaniae quoque Ecclesia, quae anno 306 episcopos fere 40 ad synodum Illiberitanam misit<sup>3)</sup>. Praeterea numerosi valde erant Christo fideles in litoribus Achajae, Thessaliae, Macedoniae et in insulis circumiacentibus, ubi celeberrimae Ecclesiae Philippis, Thessalonicae, Athenis, Corinthi et Nicopoli. Eadem conditione florenti gaudebat Gallia meridionalis<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Chron. Edess., *Assemanni*, Bibl. Orient., I. 391. *Tixeront*, Les origines de l'église d'Edesse, Paris 1888; *J. Labourt*, Le christianisme dans l'église Perse, 2 éd., Paris 1904.

<sup>2)</sup> *De Rossi*, De christ. titulis carthag. apud *Dom Pitra*, spicileg. Sol., IV. 1858. *D. Leclercq*, l'Afrique chrétienne, T. I., Paris 1904.

<sup>3)</sup> *Hefele*, Conciliengesch., I (2 Aufl.), 148 sq.

<sup>4)</sup> In egregia sua hujus operis editione Gallica, e qua in hanc Latinam translata sunt quaedam, notat René *Hedde*, O. P., Manuel etc. I. p. 65; La Provence fut évangélisée la première comme sa situation l'y prédestinait. Arles est peut-être le premier siège épiscopal fondé dans les Gaules.... Mais il y en eut certainement d'autres avant le IVe siècle, car à cette époque la hiérarchie s'y trouve à un état avancé; autour d'Arles et de Marseille l'histoire trouve tout un groupe d'églises fortement organisées. Cf. *Le Blant*, Inscriptions chrétiennes de la Gaule, 2 vol., Paris 1856—1865.

3<sup>o</sup>. Regiones, ubi **non adeo late diffusa** religio numerandae imprimis: Palaestina. Ibi enim in nonnullis quidem civitatibus frequentes habitabant christiani, immo aliquot urbes vel pagi fere a solis fidelibus incolebantur, attamen universe fuit acriter christiana fidei restitum. Phoenicae quoque civitates Graecae maritimae suis coetibus non carebant, sed in terra interiore tenaciter adhaerebant paganismo incolae. Aliquot christiani habitabant in Graeco-Latinis civitatibus Arabiae, in nonnullis Mesopotamiae partibus et in terra interiore Achajae, Macedoniae et Thessaliae. Idem fere dicendum de Epiro, Dardania et Dalmatia<sup>1</sup>). In Moesia et Pannonia fides est saeculo 3<sup>o</sup> nuntiata et brevi tempore late diffusa. Mauritania et Tripolis non tam multos generavit fideles quam reliquae partes Africae. Eodem modo pauciores erant christiani in Italia septentrionali, ubi sedes episcopales erant Ravennae, Mediolani, Aquilejae, Brixiae, Veronae, Boloniae et Imolae.

4<sup>o</sup>. Regiones demum, ubi **pauci tantum** ad Christi fidem conversi, referendae: imprimis Persia<sup>2</sup>), excepta parte ad occidentem versa, tum India, Scythia, veterum Philistinorum civitates, Ponti Euxini ora, quae septentriones et inter septentriones et occasum solis spectabant, denique pars occidentalis superioris Italiae. Hodierna Piemontana terra ineunte saeculo IV<sup>e</sup> suos nondum habebat episcopos<sup>3</sup>). Item in interioribus et septentrionalibus Galliae partibus pauci numerabantur conversi, ut notat Sulpitius Severus<sup>4</sup>): *Serius trans Alpes religione suscepta*. In universa hac regione numerabantur tantum fere viginti episcoporum sedes. Tulit quidem medii aevi traditio in pluribus civitatibus fuisse episcopalem sedem. Sed Duchesne non potuit hujus rei invenire argumentum<sup>5</sup>). Deinde ex

<sup>1)</sup> J. Zeiller, *Les origines chrétiennes de la province romaine de Dalmatie*, Paris 1906.

<sup>2)</sup> J. Labourt, *Le christianisme dans l'empire Perse sous la dynastie sassanide (224 – 632)*, Paris 1904.

<sup>3)</sup> Fedele Savio, *Gli antichi vescovi d'Italia dalle origine al 1300 discritti per regioni*, I. Il Piemonte, Torino 1898.

<sup>4)</sup> Hist. Sacr., II, 32. *Gregorius Turonensis*, Hist. Franc., XI, 39 notat fidem jam pridem ibi praedicatam paucos sibi ascivisse sectatores.

<sup>5)</sup> Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule. Tom. I, 35. Réponse de Mgr. Bellet, *Les orgines des églises de France et les fastes épiscopaux*, Paris 1826. Notat René Hedde, I, 66: l'ancienneté des Eglises de la Gaule a suscité au siècle dernier de violentes controverses, aujourd'hui près de s'apaiser. Il est

scriptis *Theodori Mopsuesteni*<sup>1)</sup> novimus diu in usu fuisse ut integra provincia curae unius episcopi mandaretur. Sic scribit *Eusebius*<sup>2)</sup>, *S. Irenaeum Ecclesias Galliae gubernasse*. Quae administrandi ratio tum temporis servabatur in parte Italiae ad septentrionem versa et in Asiae Minoris partibus inter septentriones et occasum spectantibus, sicut hodie perdurat in vicariatibus apostolicis. In provincia Belgica quoque pauci tantum christiana fidei nomen dederant<sup>3)</sup>. Usque ad annum 336 Augustae Treverorum, quae Belgarum erat civitas princeps, exiguis tantum erat fidelium coetus. In Germania vero jam tempore *S. Irenaei*<sup>4)</sup> inveniebantur christiani et jam anno 185 Moguntia et Colonia Agrippina habebant suos episcopos<sup>5)</sup>, sicut Tungri<sup>6)</sup>, Augustodunum et Ratisbona jam ante Constantini aetatem. In Anglia erant quidem saeculo 2º nonnulli christiani; tamen ad fabellas referendum, *Lucium quempiam regem petiisse praedicatores ab Eleutherio (173—189) Pontifice*<sup>7)</sup>. Tamen in synodo Arelatensi anno 314 aderant tres epis-

---

manifeste que les prétentions de certaines églises à l'apostolalité ne sont pas fondées. Comme d'autre part le triage est aujourd'hui impossible en l'absence de documents de l'époque, la seule méthode scientifique est de signaler les *données certaines*, mais incomplètes, fournies par les écrivains postérieurs, tout en se gardant de *nier* ce que *l'histoire* est impuissante à prouver. Il faut d'ailleurs avouer qu'une chrétienté ne possède guères d'histoire avant d'être hiérarchiquement fondée, nous ne saurons donc jamais rien des nombreux chrétiens, qui existèrent à l'état sporadique pendant plusieurs siècles dans notre pays. Ils ne figurent pas dans les annales de l'histoire qui voit apparaître l'église de Lyon nettement constituée au milieu du deuxième siècle, les églises de Toulouse, Vienne, Trèves, Reims moins d'un siècle plus tard, puis celles de Rouen, Bordeaux, Bourges, Paris, Sens, Autun etc. A partir du commencement du IVe siècle, les sièges épiscopaux se multiplient avec une rapidité prodigieuse.

<sup>1)</sup> Comment. in Ep. 1. Pauli, ed. Sweete, London 1889, t. II, p. 124.

<sup>2)</sup> H. E., V, 93. *Duchesne*, l. c. I, 32. *Hedde*, Manuel l. c. notat : La lettre de *Faustin*, évêque de Lyon au pape Etienne *tam ab eo quam a ceteris coepiscopis nostris in eadem provincia constitutis*, mentionnée par S. Cyprien, donne lieu à des discussions sur le sens précis, qu'il faut attribuer au terme *provincia*.

<sup>3)</sup> *J. Waricher*, Les origines de l'église de Tournai, Paris 1902.

<sup>4)</sup> Adv. haer., II, 10, 2. *G. Kurth*, Clovis, Tours 1896, l. II, ch. 1. l'église des Gaules.

<sup>5)</sup> *W. Kleinen*, Die Einführung des Christentums in Köln und Umgegend, Köln 1888—1889.

<sup>6)</sup> *Habets*, Geschiedenis van het Bisdom Roermond enz. Dl. I, Roermond 1875.

<sup>7)</sup> *Harnack*, Der Brief des brit. Königs Lucius an den Papst Eleutherius, Berlin 1904.

copi Angli, ut suspicari liceat plures in illa regione jam tum fuisse<sup>1)</sup>.

Celerrime amplificata est christiana religio. *Septuagesimo* anno postquam primus coetus christianorum ex ethnicis conversorum conditus fuit Antiochiae, Plinius gravissimo sermone scribit vel in longe dissita Bithynia ethnicum deorum cultum periclitari. Post iterum *septuaginta* annos controversia de Paschate docet affuisse ordinationem firmam, amplectentem terras inter Lugdunum et Edessam, cuique centrum Roma fuit. Denuo *septuaginta* annis intermissis Decius imperator praefert Romae esse imperatorem sibi adversarium quam christianorum episcopum. Demum ante *septuaginta* denuo annos elapsos Constantinus vexilla Romana cruce Christi coronat<sup>2)</sup>.

---

<sup>1)</sup> *Ven. Beda*, Hist. Eccl. gent. Angl., I, 4, 6, 7.

<sup>2)</sup> *A. Harnack*, Die Mission und Ausbreitung etc. 413 sq.

## CAPUT TERTIUM.

### HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§ 11—§ 14.

#### § II. Summi Pontifices et Primatus.

---

*L. Duchesne*, Le Liber Pontificalis, Texte, Introduction et commentaire. Tom. I—II, Paris 1886—1892. *J. Chapman*, La chronologie des premières listes épiscopales de Rome in Revue Bénédictine, 1901, p. 399—417; 1902, p. 13—37; 145—179. *Flamion*, Les anciennes listes épiscopales des quatre grands sièges (Revue d'hist. Ecclés. 1900, 645—678). *Lipsius* Neue Studien zur Papstchronologie, Jahrb. f. prot. Theol., B. V (1879) et B. VI. *Jaffé*, Regesta Rom. Pont., ed. 2, Lipsiae 1885—1888. *J. B. de Rossi*, La Roma sotterranea, Tom. I—III, Roma 1864 sq. *A. Harnack*, Gesch. der Altchr. Lit., II. I., Leipzig 1897, p. 70 sq. (Die ältesten Bischofslisten). *Kenrik*, Der Primat des apostolischen Stuhles, übers. von Steinbacher, New-York 1843. *H. Grisar*, Geschichte Roms und der Päpste, Freiburg 1901, B. I, No. 194 sq. *Funk*, Abhandl. und Unters., I, 1—23.

1<sup>o</sup>. Quo loco futurus esset Petrus et qui ei succederent auctoratis ejus haeredes, expressum est verbis Christi: „*pasce agnos meos, pasce oves meas*”. His enim verbis instructus jurisdictione caelesti piscator Galileus prodiit Caput Ecclesiae, cuius unitas hac Petri principalitate perficitur. Ad quos deinde Romanum fidelium coetum regendum transtulerit, ii simul universam Ecclesiam administrandam ejusque unitatem servandam suscipient. Suprema spiritualis potestas penes eos est: in perpetuum episcopus Romanus est supremus Ecclesiae pastor. Pro his episcopis sicut pro Petro valebunt in perpetuum verba Christi: „*tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*”. Petrus apostolus sedem suam in capite orbis terrarum collo-

cavit ut, ex voluntate Christi, praecellentem auctoritatem, qua ipse fuit instructus, ad sedis suaे successores transferret.

2º. Post S. Petrum **S. Linus** gubernavit Ecclesiam teste Eusebio<sup>1)</sup> annos duodecim. Tam diu etiam probabiliter **S. Anacletus**<sup>2)</sup>. Uterque rexit Ecclesiam in aliquantae pacis intervallo quod fuit inter imperia Neronis et Domitian. Celeberrimus **S. Clemens** (91?—100?) cuius gravissima epistola ad Corinthios, quae multo post mortem ejus tempore, in multis Ecclesiis legebatur. Apocrypha non pauca nomine ejus inscribuntur<sup>3)</sup>. Dein **S. Evaristus** (100?—109?); **S. Alexander** (109—119), qui testante *Libro Pontificali* primus jussit benedici aquam sale mixtam pro lustrandis domibus<sup>4)</sup>. **S. Sixtus** (119—128?), **S. Telesphorus** (128—139) a S. Irenaeo gloriosus martyr laudatus, **S. Hyginus** (139—142), qui probabiliter ordines minores instituit<sup>5)</sup>. **S. Pius I** (142—157), **S. Anicetus** (157?—168)<sup>6)</sup>. **S. Soter** (168—176) scripsit epistolam ad Ecclesiam Corinthiorum et a Dionysio Corinthiaco propter magnam' beneficentiam laudatur<sup>7)</sup>. **S. Eleutherius** (176—190?) recepit Romae S. Irenaeum, quem fideles Lugdunenses studiose commendarant<sup>8)</sup>. **S. Victor** (190—198) notus est ex eo quod impugnavit temporis rationem qua in oriente celebrabatur Pascha, in qua re ejus severitas a S. Irenaeo moderata est<sup>9)</sup>. **S. Zephyrinus** (198—217), primus papa sepultus in coemeterio Callisti<sup>10)</sup>, laudatur propter studium defendendae fidei contra haereticos; **S. Calixtus** (217—222), vehementer impugnatus propter ejus facilitatem in rebus ad poenitentiam ecclesiasticam' pertinentibus<sup>11)</sup>, vidit schisma Hippolyti<sup>12)</sup>, quod perduravit sum-

<sup>1)</sup> H. E., III, 13.

<sup>2)</sup> De permutatione cum Cleto vide Duchesne, Le Lib. Pont., I, LXIX sq.

<sup>3)</sup> Quae narrantur de ejus martyrio referenda sunt ad fabellas sine valore historico. Funk, Opp. Patr. Apost., Tom. I. Ed. IV. Duchesne. I. c. LXXI 19.

<sup>4)</sup> A. Gastoué, L'eau bénite. Ses origines, son histoire, son usage, Paris 1907.

<sup>5)</sup> Duchesne, I, 131.

<sup>6)</sup> Cum hac consonat chronologia S. Polycarpi, qui hoc Pontifice Romam venit.

<sup>7)</sup> Euseb. H. E., IV, 31.

<sup>8)</sup> Ibid., V, 6.

<sup>9)</sup> Ibid., V, 25, 27.

<sup>10)</sup> Ibid., V, 32: Zephyrinus fundavit coemeterium Callisti.

<sup>11)</sup> Döllinger, Hippolytus und Callistus, Regensburg 1863. Adhémar d'Alès, La théologie de S. Hippolyte, Paris 1906.

<sup>12)</sup> Euseb., H. E., VI, 43 ubi epistola Cornelii de hac re ad Fabium Antiochenum.

mis Pontificibus **S. Urbano I** (222—230) et **S. Pontiano** (230—235), qui simul cum Hippolyto in Sardiniam est relegatus. **S. Antherus** (235—236) solas aliquot hebdomadas regnavit. Cui successit **S. Fabianus** (236—250), quo martyre defuncto, sedes Romana quatuordecim menses vacavit. **S. Cornelio** (251—253) electo excitatum est schisma a Novatiano, qui Romae aliquot sectatores collegit<sup>1)</sup>. **S. Lucius** (253—254) mox martyrio absumptus successorem habuit **S. Stephanum** (254—257), celeberrimum ob firmam defensionem validitatis baptismi ab haeretico collati. **S. Sixtus II** (257—258) moriturus ipse martyr in catacumbis praedixit **S. Laurentio** martyrium. **S. Dionysius** (259—268) praeclaro studio defendit integritatem doctrinae<sup>2)</sup>. **S. Felix** (269—274) certavit pro salvandis duabus in Christo naturis<sup>3)</sup>, et successores habuit **S. Eutychianum** (275—283) et **S. Cajum** (283—296). **S. Marcellinus** (269—304) mortuus est tempore persecutionis Diocletiani. Eum diis sacrificasse, calumnia est a Donatistis inventa. Pariter falsum est eum pontificatu cessisse Sinucessae<sup>4)</sup>. Post ejus mortem sedes pene quatuor annos vacavit. **S. Marcellus** (308—309) in exsiliu missus et ad stabula damnatus a Maxentio brevi post defunctus est<sup>5)</sup>. Novum schisma excitatum est ab iis qui resistebant doctrinae de poenitentiis ecclesiasticis. Legitimus Papa **S. Eusebius** (309?—310?) in fugam actus exsul mortuus est in Sicilia. **S. Melchiades** (311—314) tandem pacem adeo ardenter expeditam vidit, primusque habitavit in aedibus Lateranensisibus, quas dono dederat **Constantinus**. Bona ablata recuperavit. Die 13 Octobri 313 undecim episcopos in synodum solemnem coëgit<sup>6)</sup>.

3º. Nequivit **Summorum Pontificum primatus**, praesertim rebus temporibusque adeo angustis, statim ab initio plene per-

<sup>1)</sup> Ibid., VII, 27. *Athan.* De Synodo, c 43, 45.

<sup>2)</sup> *Mansi*, Coll. Concil., I, 1114.

<sup>3)</sup> *Döllinger*, Papstfabeln, Stuttgart 1890, p. 54—61. *Al. Galimberti*, Apologia pro Marcellino R. P., Romae 1876. Jam *S. Augustinus* (De unico bapt. contra Pel., c. 16) hanc fabellam oppugnat. Cf. *Duchesne*, Hist. anc. de l'église, Tom. II, Paris 1907. p. 92 sq.

<sup>4)</sup> De chronologia hac cf. *Duchesne*. Le Lib. Pont., p. CXXLIII sq.

<sup>5)</sup> *Euseb.*, H. E., X, 5, *Mansi*, Coll. Conc. II, 463.

fecteque adulterum sese oculis objicere. Veluti semen obtegebatur dignitate Romani episcopatus. Deearant regulae, quae facultates accuratius describerent. Nec valebat humana sapientia modum atque rationem meditando praeficere viribus explicandi se, quae ad immensum uberes inerant Ecclesiae. Pontifices ipsi ubi intervenierunt, ducti sunt rerum adjunctis et qua obstringebantur necessitate, ut Ecclesiae unitatem salvarent, traditamque doctrinam de fide et moribus integrum incorruptamque conservarent. Hinc facile perspicitur cur non, sicut postea, jurisdictione Pontificum in universam Ecclesiam adeo frequenter primis temporibus publice sit manifestata. Quod quidem eo minus mirum videri potest quod divinus Institutator Ecclesiae supernaturalem suam opem ductumque promiserat: „*ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*”<sup>1)</sup>). Naturam regni Dei Ipse constituerat, ac sponsio ejus fecerat certum, institutiones ecclesiasticas, ut sese futuris temporibus evolverent, numquam tamen in re aliqua praecipua deflexuras a summa regula ab Ipso tradita. Futura ergo erat evolutio, sed e semine, sicut quercus e glande exsurgit ut ventis et aetati resistat.

4º. Gravissime vero erraret qui vellet negare primatum tribus primis saeculis quicquam esse operatum. Luce enim clarius patet ex iis quae facta sunt, Summos Pontifices ipsos plane non dubitasse quin iis esset collata suprema spiritualis potestas, Ecclesiam autem ejusque principaliores episcopos hanc iis potestatem semper agnovisse. Obvia hujus rei exempla prostant.

Anno circiter 94 dissensio orta est in Ecclesia Corinthiaca. Quare S. Clemens papa misit ad eam Ecclesiam pulcherrimam suam epistolam<sup>2)</sup>), de qua S. Irenaeus, „*scripsit, inquit, quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum et annuntians quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem*<sup>3)</sup>).” S. Clemens scribit plenus persuasionis sibi esse jurisdictionem, non monendo tantum et docendo sed imperando quoque et minitando.

S. Ignatius Antiochenus, Apostolorum discipulus, ineunte saeculo secundo laudat Ecclesiam Romanam eo quod est

<sup>1)</sup> Matth., XXVIII, 20.

<sup>2)</sup> Funk, Opp. Patr. Apost., p. 60. Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Lit., I, 105—107.

<sup>3)</sup> Adv. Haer., III, c. 3.

,,universo caritatis coetui praesidens”, i. e. Ecclesiae universae<sup>1</sup>), cuius gubernium habet; quod *praesidet in loco regionis Romanorum*, quorum verborum sensus est: quae *praesidet universae ecclesiae idque Romae*, ubi *habitat*<sup>2</sup>.

Pulcherrimum testimonium S. Irenaei († circiter 202) est, qui declarat omnes fideles totius orbis terrarum consentire debere cum hac Ecclesia propter ejus potiorem principalitatem, eo quod per eam fideles traditionem apostolicam conservarunt. Illius enim praeculari doctoris sententia traditio hujus maxima et antiquissimae ab apostolis Petro et Paulo conditae Ecclesiae sufficit ad convellendas omnes errores. Scribit enim: *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt quale ab his deliratur...* Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maxima et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam, quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeterquam oportet, colligunt. *Ad hanc enim ecclesiam propter potentiores (potiorem al.) principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio*<sup>3</sup>).

Tertullianus, quamvis jam defecisset a fide ac infesto animo esset in Ecclesiam Romanam, Primatum tamen utut irridens confessus est. Scribit enim: *Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod*

<sup>1</sup>) *Funk*, l. c., p. 213. *Bardenhewer*, l. c., „Liebesbund oder Gesamtkirche.”

<sup>2</sup>) *Funk*, l. c., in nota. Cf. *Zahn*, *ibid.* *J. Chapman*, St. Ignace d'Antioche et l'Eglise Romaine, *Revue Bénédictine* 1896, p. 385—400. *J. Tixeront*, La théologie anténicéenne, 2e éd., Paris 1905, p. 142—143.

<sup>3</sup>) *Adv. Haer.*, III, 3. 1. *Textus Graecus deest, sed antiqua haec versio jam a Tertulliano adhibita (Adv. Valent.). Cf. Revue Bénédictine, 1895, p. 49—65; Duchesne, Eglises séparées, Paris 1905, p. 118—121; A. Pierson, *Gesch. v. h. R. K.*, I, 156. J. Tixeront, l. c., p. 251.* Ut textus intelligi possit, sunt (*Morin*) qui secundum: *qui sunt undique supponant esse mendum transribentis.*

*est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto* <sup>1)</sup>.

Probabiliter unus e Summis Pontificibus saeculi 3i, cuius tamen nomen ignoramus, in sua epistola „*de aleatoribus*” appellat ad suam facultatem hoc modo vetandi, scribitque sicut praeter Summum Pontificem vix alius scribere potuit: *in nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam sedem coelesti dignatione ordinavit et originem authentici apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, in superiore nostro portamus* <sup>2)</sup>.

Praeclarissima deinde sunt testimonia S. Cypriani. Ipsi enim Romana est *Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est* <sup>3)</sup>; *Radix et matrix Ecclesiae* <sup>4)</sup>; *A Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata* <sup>5)</sup>. Fabiani, inquit, *id est Petri locus* <sup>6)</sup>.

Cum celeberrimis hisce professionibus ea consonant, quae quum a Summis Pontificibus ipsis tum ab inferioribus gesta sunt. Quo modo S. Clemens primatum exercuerit supra notatum. S. Victor postulavit ut coetus in Asia-Minori Romanae Ecclesiae usum in celebrando Paschate sequerentur <sup>7)</sup>. S. Callixtus edictum generale tulit, mitigandi modum agendi cum poenitentibus <sup>8)</sup>.

Basilides et Martialis, depositi ab Hispaniae episcopis ob defectionem, appellarunt ad S. Stephanum papam ut defenserentur, quod quidem non pro suo merito sed per errorem obtinuerunt <sup>9)</sup>. Dionysius doctissimus episcopus Alexandrinus accusatus de haeresi apud Dionysium papam, purgavit se atque hoc ipso ejus jurisdictionem agnovit <sup>10)</sup>. Supradictum memoratum est, ipsum Aurelianum imperatorem agnoscuisse primatum, cum juberet reddere domum Antiochenam *iis*,

<sup>1)</sup> De pudic., c. 1. Hic liber scriptus est contra Callixtum papam ineunte saeculo 3o.

<sup>2)</sup> Harnack, Texte u. Unters., 1880, B. V, 1. Quoad alias sententias cf. Kihl, Patrologie, I, 270; Bardenhewer, II, 446.

<sup>3)</sup> Ep. 59, 4.

<sup>4)</sup> Ep. 48, 3.

<sup>5)</sup> Ep. 70, 3.

<sup>6)</sup> Ep. 55, 8. J. Tixeront l. c. 385 sq.

<sup>7)</sup> Euseb., H. E. V. 26–27.

<sup>8)</sup> Philosophumena, IX, 12; Cf. Jaffé, ed. II. 84.

<sup>9)</sup> S. Cyprian., Epist. 64, 5.

<sup>10)</sup> Athanasius, De sententia Dionysii, c. 13. Hefele, Conciliengeschichte, I, 135. 255.

*quibus Italici christianaे religionis antistites et Romanus episcopus scriberent*<sup>1)</sup>. Haeretici quoque probari semper suam doctrinam et confirmari a Romano Pontifice desiderarunt, atque reprobati identidem conati sunt denuo benevolam sibi sedem Petri reddere<sup>2)</sup>. Praeclarum exemplum, qua insuperabili ratione fidelium animi ecclesiastico primatu Romam allicerentur praebet epitaphium A b e r c i i Hierapolitani episcopi in Phrygia. Nominat se discipulum Pastoris sancti, qui pascit gregem suum in montibus vallibusque, et perspicacissimo oculo suo omnia lustrat. Is eum docuit veram scientiam jussitque Romam adire ut cognosceret regnum et reginam aurea ueste indutam, auro soleatam populumque ferentem splendens sigillum<sup>3)</sup>.

### § 12. Origo episcopatus. Regimen primorum coetuum christianorum.

*St. von Dunin-Borkowski*, S.J., Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episcopats, Freiburg i. Br. 1900. *Douais*, Origines de l'épiscopat. Mélanges de lit. et d'hist. relig. publ. à l'occasion du jub. épisc. de Mgr. de Cabrières, Paris 1899. *J. Réville*, Origines de l'épiscopat, Paris 1894. *A. Michiels*, L'origine de l'épiscopat. Etude sur la fondation etc., Louvain 1900. *P. Batiffol*, La hiérarchie primitive in Etudes d'histoire et de théologie positive, Tom. I, p. 122 sq. *H. Bruders*, S. J., Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten der apostolischen Wirksamkeit an bis 175 n. Chr., Mainz 1904. *A. Mertens*, C. S.S. R. De hierarchie in de eerste eeuw des christendoms, Amsterdam 1908. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Paris 1904, Tom. I, p. 84 sq. *J. H. Seidl*, Der Diakonat in der Apostelgeschichte und in den Paulinischen Briefen. Der Katholik, 1883, I, 586 sq. II, 40 sq. *Flamion*, Revue d'hist. eccl., Louvain 1900—1901: Les anciennes listes épiscopales des quatre grands sièges. *Ch. de Smedt*, L'organisation des églises chrétiennes jusqu'au milieu du 3ième siècle, Revue des quest. hist., Oct., 1888. *V. Ermoni*, Les origines historiques de l'épiscopat monarchique, Revue des quest. hist., Tom. LXVIII, 1900. *Prat*, la théologie de S. Paul, p. 488 sq.

<sup>1)</sup> *Euseb.*, H. E., VII, 30.

<sup>2)</sup> *Tertull.*, Adv. Prax., c. 1.

<sup>3)</sup> *Duchesne*, Revue des quest. hist. 1883, 2, 1 sq. Mélanges d'archéologie et d'histoire, 1895, p. 17 sq. *G. de Sanctis*, Die Grabschrift des Aberkios, (Zeitschr. für kath. Theol.) 1897, p. 673 sq. *Kaufmann*, Handbuch der christlichen Archäologie, Paderborn 1905, p. 228—239. Secundum hujus auctoris interpretationem Abercius cognovit ecclesiam, regnum Dei, praesertim Ecclesiam Romanam quae primatu gaudet, eaque omnia gratia ductaque S. Pastoris Jesu Christi. Cf. etiam *P. Batiffol* et *G. Bareille*, ad vocem *Abercius* in Dictionnaire de théologie catholique.



Petro ceterisque apostolis divinus Ecclesiae Institutior manifestavit velle se, ut eorum potestas tota vel partim ad alios transferretur. Christus ipse instituit aeternum sacerdotium. Discrimen ergo, quod intercedit inter fideles laicos et spirituales coetuum rectores fundatur voluntate Domini<sup>1)</sup>. Rectores autem vi officii erant episcopi et presbyteri; insuper diaconi qui apostolica institutione gaudent<sup>2)</sup>. Haec tria ecclesiastica officia perspicuo sermone nuncupantur in epistolis S. Ignatii Antiocheni; scribit enim ad Ephesios: „*Memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo ita coaptatum est episcopo ut chordae citharae*”<sup>3)</sup>. Etiam manifestius ad Trallianos „*qui sine episcopo et presbyterio et diacono aliquid agit non est mundus in conscientia*”<sup>4)</sup>. Jam S. Clementis aetate, qui scripserat viginti annis antea, anno circiter 96, adhortans fideles Corinthios ut humili obsequio superioribus ecclesiasticis subjicerentur, ea gubernandi distributio patuit fuisse tum Romae tum Corinthi antiqua notaque institutio. Eodem ipso tempore scripsit S. Joannes apostolus *librum Apocalypsis*, sermonem faciens ad angelos Ecclesiarum Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiceae.

Quod si Romae et Corinthi unus episcopus coetum fidelium tanquam caput rexerit, cur non eodem modo idem fuerit statutum in illis Asiae Minoris civitatibus? Quid est quod impedit quominus eorum episcopi sint angeli nuncupati? Quod licet non sit omni modo certum, probabilissimum sane est, eoque magis quod inter tempus quo *liber Apocalypsis* est conscriptus et S. Ignatium, qui singulos tantum episcopos in singulis civitatibus novit, fere viginti tantum annorum spatium intercessit. Institutum enim ita denominatum, ut ejus nomen unicuique notum sit, non nuperrime ortum esse potest. Non ergo temere concluditur aetate post mortem apostolorum proxima habuisse singulos coetus suum episcopum praesulem, quem, ubi opus esset, presbyteri et diaconi adjuvarent.

2º. Aliud tamen est disputare de officiis, aliud de nomini-

<sup>1)</sup> Act. Apost., I. 17 19. S. Clem. Rom., Ep, ad Corinth., c. 40; homo laicus praecepsis laicis constringitur.

<sup>2)</sup> Act. Ap., VI, 1 sq.

<sup>3)</sup> Ep. ad Ephes., c. 4. *De Genouillac*, l’Eglise chrétienne au temps de S. Ignace d’Antioche, Paris 1907.

<sup>4)</sup> Ad. Trall., c. 7. cf. ad Eph., c. 2, 20, ad Phil., c. 7. ad Smyrn. c. 8.

bus, quibus primis illis temporibus haec officia appellabantur. Ante annum 67, id est tempore Apostolico, plures certe Apostoli in coetibus ab ipsis conditis, praesulum officio fungi perrexerunt. Verum praesides coetuum invenimus qui *diaconi*, *pastores*, *presbyteri* et *episcopi* nominantur. Quarum prima nuncupatio perspicua, non adeo tres reliquae. Etenim significanturne soli presbyteri, aut soli episcopi aut unus episcopus cum presbyteris adjutoribus? Nomina *presbyterum* et *episcopum* tempore isto synonyma fuisse certum est. Patet enim e S. Scriptura<sup>1)</sup>. Quod confirmat officii aequalitas, quod iis tribuitur. *Presbyteri* enim et *episcopi* sunt pastores gregis; moderantur fideles, reguntque coetum; a S. Spiritu constituti Christi vicarii suprema funguntur in coetu dignitate moderantibus eos superiore auctoritate Apostolis. Vi officii fidei doctrinam docent Sacraque faciunt. Reverentiam, obedientiam, sustentationem alii iis debent. Licet certe fuerit in singulis Ecclesiis, qui posset aliis manus imponere, tamen qui in scriptis illius aetatis dicuntur *presbyteri* et *episcopi* in partem quidem impositionis manum, sed nullibi aut vocati dicuntur aut supponuntur potestatem habuisse creandi vel consecrandi ministros. Ipsi suum munus ab Apostolis acceperant, erant superiores, rectores, principes, auctoritate praediti, pastores. Hac significatione denominationes transierunt in sermonem Ecclesiae.

Nomen *presbyter* verisimiliter primum usurpatum in coetu Hierosolymitano, nomen *episcopus* in coetibus ethnico-christianis. Mox tamen utraque nuncupatio indiscriminatim Graece usurpabatur. Quod fuerit exiguum discriminem, ita ut *presbyteri* nomine magis eorum dignitas, *episcopi* vero potius officium exprimeretur, difficile argumento stabilitur. Collegium pastorum id est episcopi cum adjutoribus suis in aliquo coetu nuncupabatur *presbyterium*. Ne semel quidem in scriptis primi saeculi inveniuntur simul nominati *episcopi* et *presbyteri*, quater vero *episcopo* et *diaconi*. Estne id forte explicandum e primordiali significatione nominum? *Diacono* enim, quod est minister, sponte sua magis opponitur *episcopus*, quod est praesul, quam *presbyter*, quod est aetate major.

3º. Praeterea urgetur hic quaestio utrum illi vocati *presbyteri* et *episcopi* fuerint, praeter unum episcopum praesulem, tantum sacerdotes an veri episcopi? Recentiores nonnulli cum Petavio

<sup>1)</sup> Act. Apost., XX, 17, 28; I Tim., III. 2; V, 7, Tit., I, 5. 7; I Petr., V, 1—5.

censem plurimos eorum si non omnes fuisse episcopos consecratos. Postea tamen Petavius inclinabatur magis in sententiam veterum, Clementis Romani, Chrysostomi, Hieronymi<sup>1)</sup> et aliorum, qui tum *episcopos* tum *presbyteros* sacerdotes fuisse existimarent. Etsi hucusque certa de hac re sententia haberri nequit, posteriori tamen opinioni argumento esse potest, quod teste S. Clemente neque quos presbyteros neque quos episcopos vocabat potestate alios consecrandi erant instructi; dein quod difficile intelligitur quo modo *presbyteria* essent collegia episcoporum; tanquam enim proprium quid traditio commemorat singulos tantum in singulis locis fuisse episcopos. Neque huic sententiae obstat modus quo concilium Tridentinum<sup>2)</sup> textum ex Actibus Apostolorum usurpat<sup>3)</sup>.

4º. Ex instituto regimine ecclesiastico, episcopis, presbyteris et diaconibus sponte sua consequitur fuisse clericos a laicis discriminatos<sup>4)</sup>. Attamen primis temporibus discriminem hoc non semper adeo distinete oculis obversatur. Etenim non presbyteri soli, episcopi et diaconi Evangelium praedicabant, verum etiam illi, qui effuso in illos S. Spiritu *charismata* acceperant. Inter eos qui *prophetae*, *evangelistae*, *pastores* etc nuncupantur, fuerunt etiam qui ejusmodi gratiis donati erant, ipsique nonnumquam coetus moderabantur. Prout vero charismatibus ornati numero minuebantur, **clerus** magis cminuit non in administrandis Sacramentis, quod semper ad ejus unius proprium munus pertinuit, sed in praedicando et coetum regendo. Atque adeo primo saeculo exeunte in functionibus ecclesiasticis vix non occurunt nisi clerici. Charismata aut raro aut non amplius donabantur<sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> Sanders, Etudes sur St. Jérôme, Bruxelles 1903. Batiffol, Etudes d'hist. et de théol. positive, 3ième éd., p. 267 sq,

<sup>2)</sup> Sess. XXII, de ordine, c. 4.

<sup>3)</sup> Act. Apost., XX, 28. Cf. Michiels, Origines de l'épiscopat, Louvain 1900, p. 223 sq. ubi pro hac sententia cum plures e Patribus tum st. Thomas et de recentioribus post Conc. Trid. Stapleton, Cornelius a Lapide, Beelen et Bacuez afferuntur.

<sup>4)</sup> Act. Apost., XX, 28. Clemens Rom., Ep. ad Cor., c. 43—44. Ignatius, Ep. ad Smyrn., c. 8. Vocem *clerus* explicat Hieronymus, Ep. 52: vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, i. e. pars clericorum est. cf. Augustinus, In psalm. 77, 19.

<sup>5)</sup> I Cor., XII, 27; Eph., IV, 11; Phil., II, 25; Act. Apost., XXI, 8; Doctrina duodecim Apost., cap. 11, No. 3—7; cap. 15, No. 1—2.

5º. Haud ignotum quae fuerint episcoporum, presbyterorum et diaconorum munera. *Episcopus* coetui praeyerat, curam habebat animarum, rationem de iis redditurus. Ipse solus faciebat Sacrum administrabatque Sacra. *Presbyteri* erant sub episcopo, neque iis licitum quidquam muneris exsequi non concedente episcopo<sup>1)</sup>. Mortuo vel impedito episcopo vice ejus fungebantur. *Diaconi* initio ministrabant ad agapas<sup>2)</sup>. Postea auxilio erant episcopis et presbyteris: curam habebant pauperum et bonorum ecclesiae<sup>3)</sup>, ministrabant ad altare, distribuebant S. Communionem, baptizabant et non raro custodes apponabantur poenitentibus<sup>4)</sup>. Saepius valebant diaconi ampliore gratia quam presbyteri. A tempore apostolico usque ad saeculum sextum occurrunt etiam *diaconissae*. Pro muliebri sexu ad agapas et praesertim ad conferendum baptismum earum officia erant necessaria<sup>5)</sup>.

Quum autem praesertim in amplioribus coetibus exercitia religiosa gradatim augerentur et Sacra solemnius fierent, septem diaconi saepe ministerio non suppeterbant. Hinc jam in prima S. Justinii<sup>6)</sup> apologia fit mentio de *lectoribus*, quorum fuit munus ut praelegerent et custodirent S. Scripturas. Medio saeculo tertio Romae memoratos invenimus Cornelio papa *subdiaconos*<sup>7)</sup>, itemque *exorcistas, ostiarios et acolythos*<sup>8)</sup>. In oriente hi ultimi non occurrunt.

<sup>1)</sup> *Ignat.*, ad Smyrn., I, 2: „non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapan celebrare, sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo beneplacitum est.”

<sup>2)</sup> *Act. Apost.*, VI, 1 sq.

<sup>3)</sup> Cf. Die Syrische Didaskalia, Texte und Untersuchungen, Leipzig 1904, p. 273.

<sup>4)</sup> *O. Zöckler*, Diakonen und Evangelisten, Biblische und kirchliche Studien. 2 Heft, München 1893.

<sup>5)</sup> Rom., XVI, 1. cf. *Ilinius*, Ep. 97. *Zscharnack*, Der Dienst der Frau in den ersten Jahrhunderten der christlichen Kirche, Göttingen 1902,

<sup>6)</sup> *Apol.*, I, c 67; *Tertull.*, De praescr. c. 41.

<sup>7)</sup> *Reuter*, Der Subdiakonat, Augsburg 1850.

<sup>8)</sup> Cornelius scripsit ad Fabium Antiochenum episcopum: Ergo ille Evangelii vindex (Novatus) ignorabat unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica (Romana). In qua tamen sciebat presbyteros quidem esse sex et quadraginta, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos, acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos". Cf. *Euseb.*, VI, 43. *Jaffé*. Regest., ed. II, No. 106.

### § 13. Dioeceses, Provinciae, Patriarchatus, Synodi.

*Thomassinus*, Vetus et nova eccles. disciplina. Parte I. lib I—II. *K. Lübeck*, Reichseintheilung und kirchliche Hierarchie des Orients zum Ausgang des 4en Jahrhunderts, Münster 1902. *Idem*, Die kirchliche und weltliche Eparchialverfassung des Orients zur Zeit des Concils von Nicea. Diss. de Marburg 1902. Revue d'hist. ecclés., Louvain 1903, p. 461 sq. *L. Duchesne*, Autonomies ecclésiastiques. Eglises séparées, Paris 1905. *Idem*, Origines du culte chrétien, 3ième éd., Paris 1905. Chap. I. *Idem*, Histoire ancienne de l'Eglise, Paris 1906, Tom. I, p. 524 sq.

1<sup>o</sup>. In Ecclesiae primordiis in solis civitatibus fuerunt coetus, *parochiae* nuncupatae, quas episcopi moderabantur. Etsi postea in majoribus civitatibus plura mox tempa erecta, et rure quoque coetus fundati erant, tamen manebat episcopus templorum omnium in civitate praesul. Rure paulatim inveniuntur *diaconus regens populum* et *chorepiscopi*<sup>1)</sup>, qui docebant et coetum regebant<sup>2)</sup>. Qui tamen chorepiscopi non semper consecratione episcopali erant ornati. Hoc initium est ejus, qui postea ubique viguit usus, ut singulae parochiae non solum urbanae, sed etiam rusticae sacerdotibus administranda darentur. In oriente ejusmodi ecclesiae rusticae floruerunt jam medio saeculo tertio, in occidente multo serius.

2<sup>o</sup>. Jam S. Paulus aestimabat coetus Achaiae et Galatiae esse corpus<sup>3)</sup>. Nihil sane tum rerum naturae tum fini magis consentaneum quam ut secundum civilem provinciam aut parochiam fieret etiam ecclesiastica divisio. Provinciae ecclesiasticae praesul erat **metropolita**, qui solebat esse episcopus in urbe capite provinciae. Quod systema tamen in Oriente non est cooptatum ante descriptionem provinciarum civilium a Diocletiano factam; in Occidente etiam multo tardius. In sola vero Numidia et Mauritania antiquior episcopus metropolitae dignitate ornabatur. Jura autem metropolitarum haec erant: a. indicere annuas provinciae synodos eisque praeesse<sup>4)</sup>; b. mode-

<sup>1)</sup> Das Institut der Chorbischöfe im Orient. Hist.-kanonistische Studie von Dr. Franz Gillmann, München 1903. Cf. Synodus Ancyra (314) can. 13 et jam Syn. Illib. (306) can. 77.

<sup>2)</sup> Euseb., H. E., VII, 24, 30. Cf. Hefele, Concilien-gesch., I, 140, 231, 250, et praesertim J. Parisot, Les chorévêques, Revue de l'Orient chrétien, tom. VI (1901). Civiltà cattolica, 1904, 15 Ottobre, p. 203 sq.

<sup>3)</sup> II Cor., I, 1; Gal. I, 2.

<sup>4)</sup> Euseb., VII, 24.

rari electionem, consecrationem et confirmationem episcoporum in sua provincia<sup>1)</sup>; c. his episcopis veniam iter faciendi dare et concedere *litteras communicatorias*<sup>2)</sup>.

3º. Antiquitus summo honore fuerunt **Ecclesiae Apostolicae**, earumque episcopi sensim aliquo modo aliis ecclesiis, quin etiam ipsis metropolitis praeficiebantur. Quae jam a concilio Nicaeno „vetus consuetudo” vocatur<sup>3)</sup>. Idem concilium nominatim Romanam, Alexandrinam et Antiochenam nuncupat, aliasque Ephesinam, Caesareensem et Heracleensem indicat, quae tamen postea non sunt **sedes patriarchales** appellatae.

4º. Sicut presbyterorum Ecclesiae consiliis episcopus utebatur, ita convocare solebat metropolita provinciae suae episcopos. Quas **synodos** cogere jam inde ab altera dimidia parte saeculi secundi necesse fuit propter schismata et haereses, Montanistarum praesertim, et propter controversiam de paschate<sup>4)</sup>. Tertio autem saeculo adeo animos invaserat persuasio magnam has synodos inferre utilitatem, ut in nonnullis regionibus semel, in aliis etiam bis in anno cogerentur<sup>5)</sup>. Canon quintus Nicaenus hoc ultimum diserte praescribit. Jus suffragii decisivi soli habebant episcopi. Subscribebant autem soli praesules, qui erant amplioris dignitatis episcopi<sup>6)</sup>.

#### § 14. Electio, informatio, sustentatio cleri. Coelibatus.

*F. Probst*, Kirchliche Disciplin in den drei ersten christlichen Jahrhunderten, Tübingen 1873. *F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen, Bd. I, Paderborn 1897 p. 23—39; 121—155; Bd. II, Paderborn 1899, pag. 60—77. *Hefele*, Beiträge zur Kirchengeschichte, Archeologie und Liturgie, Bd. I, Tübingen 1864, p. 122—144. *H. J. Wurm*, Die Papstwahl. Ihre Geschichte und Gebräuche, Köln 1902. *Vacandard*, Etudes de critique et d'histoire positive, Paris 1905, p. 69 sq. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'église, Paris 1906, Tom. I, p. 524 sq

<sup>1)</sup> Conc. Nicaen., can. IV.

<sup>2)</sup> Conc. Illiberit., 25, 28; Arelat., can. 9.

<sup>3)</sup> Can. XI.

<sup>4)</sup> *Euseb.*, V, 26; VI, 20, 33.

<sup>5)</sup> *Tertull.*, De jejunio, c. 13; *S. Cypr.*, Ep. 75. *Hefele*, Conciliengesch. 2e Aufl., I, 8.

<sup>6)</sup> *Euseb.*, V, 27; cf. V, 26.

1º. De primis S. Petri successoribus Eusebius<sup>1)</sup> narrat apostolos commendasse Ecclesiam regendam Lino, hunc Anacletum, Anacletum Clementi, Clementem Evaristo. Non tamen est quod cogat haec verba ita interpretari, quasi hi Pontifices vivi sibi successorem designaverint. Quae confirmat Irenaeus<sup>2)</sup>. **Electio** fiebat a clero et coetu Romano advantibus propinquioribus episcopis. Consecrationem autem perficiebat inde ab antiquissimis temporibus Ostiensis episcopus, cui propterea postea *pallium* datum est<sup>3)</sup>. Primi episcopi creati sunt ab apostolis, tamen ita, ut etiam coetum voluntatis ratio haberetur<sup>4)</sup>. Quod narratur in *Clementinis*, Petrum solum inconsulto coetu pastores constituisse, historica fide caret<sup>5)</sup>. Vetera non canonica scripta testantur episcopos electos esse a coetibus<sup>6)</sup>. Origenes exigit praesentiam populi<sup>7)</sup>. Teste S. Cypriano coetui et propinquioribus episcopis jus inerat eligendi episcopum<sup>8)</sup>. Postea a Nicaeno concilio fuit mandatum, ut electioni interessent provinciae episcopi. Quorum si tres aderant, satis erat, dummodo reliqui scripto electionem factam probarent<sup>9)</sup>. Confirmandi autem officium ad metropolitam spectabat.

Reliqui omnes inferioris loci clerici ab episcopo instituebantur, qui saepe coetus sententiam petebat. Veri nominis electio non fiebat. Hoc ipso quod presbyteri et diaconi consecrando manus imponebant, se electioni consentire significabant<sup>10)</sup>. Bigami, neophyti, poenitentia ecclesiastica multati, quique aegroti baptismum susceperant (*clinici*) solebant **irregulares**

<sup>1)</sup> Hist. Eccl., III, 4, 13, 15, 35.

<sup>2)</sup> Adv. haer., III, 3. Cf. Sägmüller, Tüb. Quart., 1903, p. 91 sq.

<sup>3)</sup> Duchesne, Lib. Pont., I, p. 202—203.

<sup>4)</sup> Clem. Rom., Ep. ad Cor. No. 34 „consentiente universa ecclesia”, de quorum verborum sensu cf. Funk, Abhandl. u. Unters. I, 23—24.

<sup>5)</sup> Clement. Epist. ad Jacobum; Hom. III, 60—73; XI, 36; XIX, 23. Recogn., III, 74; VI, 15; X, 72.

<sup>6)</sup> Didache, XV. 1. Ed. Funk, p. 58. Apostolische Kerkregel, XVI, 1; Apostolische Didascalia, IV. Haec ultima duo in Texte und Untersuchungen, II, 1—2; et Neue Folge, X, 2 p. 13.

<sup>7)</sup> In Lev., hom. VI, 3.

<sup>8)</sup> Ep. 49, c 5; Ep. 67, c. 3. 4. 5.

<sup>9)</sup> Conc. Nic., can. IV.

<sup>10)</sup> Constit. Apostol., VIII, 16.

haberi et a consecratione excludi<sup>1)</sup>. Quinquaginta annorum aetas pro episcopo, triginta pro presbytero exigebatur<sup>2)</sup>.

2<sup>o</sup>. Primordiis Ecclesiae defectum **informationis** in clericis Spiritus Sanctus supplebat abundantia charismatum. Postea praecipue episcopi erat informare presbyteros et diaconos futuros, sicut Christus Dominus et Apostoli discipulos sibi adjunxerant quos theoretice ac praesertim practice instituerent. Occurrunt tamen etiam alii institutores, sicut Romae Justinus, cuius fuit cum aliis Tatianus discipulus, in Africa Tertullianus, Irenaeus quoque, qui Gajum et Hippolytum docuit. Primi illi viri docti multique episcopi notitiam philosophiae aliarumque scientiarum in ethnicismo percepérant; sed inde ab altera dimidia parte saeculi secundi inceperunt **scholae christianaæ** florere Alexandriae, Romae, Antiochiae, Sidae in Pamphilia, Edessae et Nisibi in Mesopotamia, Hierosolymis in Palaestina<sup>3)</sup>. Quae vero qualisque institutio pro variis ordinibus fuerit requisita definiri nequit. Haec certe regula vigebat, ut nemo ad altiorem ordinem promoveretur, qui in inferioribus aptum se esse non probasset.

3<sup>o</sup>. Haud dubium quin aliquantum temporis episcopi et presbyteri ipsi sibi vitae **sustentationem** comparaverint, in minoribus locis praesertim. At sponte sua fieri necesse fuit, ut sicut in Veteri Lege<sup>4)</sup> solebat, ita fideles aliqua adminicula subministrarent oblationibus, primitiis, decimis<sup>5)</sup>. Quod omnino consentaneum verbo Domini: „*dignus est operarius mercede sua*”<sup>6)</sup>. Ad finem saeculi secundi in multis Ecclesiis oblationes fidelium singulis mensibus clericis distribuebantur<sup>7)</sup>. Aliae jam satis ampla possidebant bona ecclesiastica ex oblationibus fide-

<sup>1)</sup> I Tim., III, 1—13; Tit., I, 5—9. Euseb., H, E., VI, 43: „Cui cum universus clerus multique ex populo refragarentur, eo quod non liceret quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille (Novatus) perfusi fuissent, in clerum assumi”. cf. Cyprian., Ep. 69, c. 13.

<sup>2)</sup> Didaskalia Syriaca, c. 4; Const. Ap., II. 1; cf. Synod. Neocaesar. can. 11, Hefele, Conciliengesch., I, 249.

<sup>3)</sup> De Alexandrina et Antiochena vide infra § 22, 3; § 54. 1.

<sup>4)</sup> Levit., XXVII, 30 sq. Num., XVIII, 22 sq. Deut., XIV, 22 sq.

<sup>5)</sup> Didache, c. 13; Didasc. Syr., c. 8.

<sup>6)</sup> Matth. X, 10; Luc., X, 7; Cf. I Cor., XI, 13. 14: I Tim., V, 17.

<sup>7)</sup> Irenaeus, Adv. Haer., IV, 1 b. 2; Orig., in Prov., 3. 9; Cyprian., Ep. I. 1; Ep. 39. 5.

lium coagmentata, quae a *collegiis funeralitiis* tutabantur. In his habebat episcopus unde clericis opitularetur. Has autem subministrations saepius non suffecisse patet ex eo quod clerici agros colerent aut mercaturaे se darent. Quod nimio ardore ac studio eos fecisse reprehenderunt S. Cyprianus et synodus Illiberitana<sup>1)</sup>. Tutelam infantium testamento accipere atque ita nimium se rebus saecularibus ingerere jam ante annum 250 synodus Carthaginensis vetuit<sup>2)</sup>.

4º. Etsi Apostolos mandatum aliquod de ecclesiastico **coelibatu** edidisse difficile demonstrabitur<sup>3)</sup>, tamen inde ab apostolica aetate Ecclesia id contendit, ut *integra continentia* viverent clerici<sup>4)</sup>. Cujus quidem rei ratio ac fundamentum erant non solum effata Evangelii et epistolarum Apostolicarum monita<sup>5)</sup>, verum etiam ipsa summa dignitas et officium christiani sacerdotii. Judaeorum sacerdotibus praescripta erat continentia tempore sui in templo ministerii; sacerdos vero N. L. sacrificat ipsum Agnum immaculatum. Non tamen facile ad integrum continentiam perventum est. In primordiis necesse fuit, ut eligerentur sacerdotes e viris nuptis. Apud Judaeos enim et ethnicos vita coelebs adeo contemtui erat, ut difficile coelibes apti ad sacerdotium inventirentur. In imperio Romano *lege Julia* et *Poppaea* impugnabatur coelibatus.

Primum tamen gradum ad coelibatum jam fecerat S. Paulus Apostolus amovendo bigamos a clericatu<sup>6)</sup>. Qui superiore ordine jam erat consecratus, ei matrimonium prohibitum poena suspensionis officii. Quod Paphnutius episcopus in concilio Nicaeno dixit esse „veterem ecclesiae traditionem”<sup>7)</sup>. Unam in hac re exceptionem constituit synodus Ancyra: si diaconus dum eligeretur declarasset se coelibem vivere non posse, inito postea matrimonio, ab officio non amovendus, eo quod episcopus eligendo et consecrando censendus esset facultatem fecisse. Quod si vero diaconus tacuisset in electione, et postea matrimonium

<sup>1)</sup> De laps., c. 4. can. 19.

<sup>2)</sup> Hefele, Conciliengesch., I, p. 105.

<sup>3)</sup> Funk, Abhand. u. Unters., I, p. 121 sq.

<sup>4)</sup> G. Bickell, Der Cölibat eine Apostolische Anordnung. Zeitschr. für kath. Theol. Anno 1878–1879.

<sup>5)</sup> Matth., XIX, 10 sq. Cor., VII, 32 sq.

<sup>6)</sup> I Tim., III, 2; Tit., I, 6: *Unius uxoris vir.*

<sup>7)</sup> Hefele, Conc., I, 431; cf. Const. Apost., VI, 17; Syn. Neocaes., can. 1.

contraxisset, dejiciendus de officio eo quod cum consecraretur tacite se ad servandam continentiam obstrinxisset<sup>1)</sup>. Illi autem qui solos minores ordines acceperant manebant liberi<sup>2)</sup>. Memoriae proditum non est aliquem post susceptos majores ordines iniisse matrimonium. Econtra plurimi, qui post matrimonium his ordinibus erant consecrati, deinceps integra continentia vivebant. Id autem in ecclesia occidentali ante synodum Illiberitanam (306) praescriptum non fuit. Haec autem synodus „placuit, inquit, *in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur*<sup>3)</sup>. In concilio Nicaeno idem praescribendum pro Ecclesia Orientali quidam censuerunt, quod tamen gravi sermone S. Paphnutii praecaustum est<sup>4)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Hefele, ibd., I, 280.

<sup>2)</sup> Can. Ap., 27 (25).

<sup>3)</sup> Hefele, I, 168.

<sup>4)</sup> Funk, Abh. u. Unters., I, 149—151. Hefele, I, 431.

## CAPUT QUARTUM.

SACRAMENTA, CULTUS, USUS RELIGIOSI ET PRAECEPTA.  
ERRORES CONTRARII.

§ 15—§ 20.

### § 15. Baptismus et confirmatio. Controversia de baptismo ab haereticis collato.

*Probst*, Sacramente und Sacramentalien in den drei ersten christlichen Jahrhunderten, Tübingen 1879. *Corblet*, Histoire du Sacrement du Baptême, 2 vol., Paris 1882. *Funk*, Katechumenatsklassen des christlichen Alterthums, Abhandl. u. Unters., I, p. 209—241; III, Paderborn, 1904, p. 57 sq. *H. Grisar* und *J. Ernst*, Ueber die Frage der Ketzertaufe, in Zeitschr. f. kathol. Theologie 1881, 193—221; 1893, 79—103; 1894, 473—499; 1895, 234—272; 1896, 364—367; 1900, 425—462. *Duchesne*, Les origines du culte chrétien, 3ième éd., Paris 1905. *Cabrol*, Les origines liturgiques, Paris 1906, Revue des quest. hist., Avril 1907, p. 555; Le Livre de la prière antique, Paris 1900. *Pourrat*, La théologie sacrementaire, Paris 1907. *J. Tixeront*, La théologie anténicéenne, 2e éd., Paris 1905. *G. Bareille*, art. Baptême d'après les Pères Grecs et Latins et catéchumenat; *R. S. Bour*, art. Baptême d'après les monuments de l'antiquité chrétienne dans le Dict. de Théol. cath. *D. de Pumet*, art. Baptême. Baptême de Jésus, Baptistère dans le Dict. d'archéol. et de lit. *V. Ermoni*, Le baptême dans l'Eglise primitive, Paris 1904.

Ingressus in Ecclesiam fiebat per baptismum, institutum a Christo jam tempore ante passionem<sup>1)</sup>. Dum formula baptismi dicebatur fiebat triplex immersio<sup>2)</sup>. Baptizabant ad maris littora,

<sup>1)</sup> *F. Schmidt*, Die Einführung der christ. Taufe, in Zeitschr. f. kath. Theol. 1905, 53 sq.

<sup>2)</sup> *Ernst*, Papst Stephan I und der Ketzertaufstreit, Mainz 1905, § 6. *Tertull.*, c. Prax., c. XVI: (Jezus Christus jussit) „ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter ad singula nomina

in piscinis, in fontibus, lacis et rivis<sup>1)</sup>). In exuendis vestibus modestiae leges semper observabantur<sup>2)</sup>.

Jam tum temporis non sola *immersione* sed etiam *aspersione*, *infusione* conferebatur baptismus<sup>3)</sup>, praesertim cum propter tenuem aquam aut morbum immersio fieri vel non, vel difficile poterat<sup>4)</sup>. Secundum traditionem Apostolicam jam a primordiis etiam infantes baptizabantur. De hac re jam Irenaeus et Origines testantur<sup>5)</sup>. Synodus anni 252 praesule S. Cypriano rejicit sententiam, baptismum infantium esse differendum<sup>6)</sup>. Saepe tamen id fiebat. Nam etiam pro infantibus non solum differebant usque ad dies solemnes, vigilias Paschatis et Pentecostes et (in Ecclesia Graeca) Epiphaniae, sed multo diutius<sup>7)</sup>. Quin ad V et VI saeculum is abusus perduravit.

Temporibus Apostolicis adulti, facta confessione fidei, illico baptizabantur<sup>8)</sup>, postea ulterius instruendi; posteriore vero aetate discendi et probandi spatium baptismum antecedebat. Quae probatio jejunando et orando, confitendo peccata et praecipue pie et probe vivendo perficiebatur. Ob collatam eo tempore doctrinam illud spatium vocatum est catechumenatus<sup>9)</sup>. Fuisse catechumenos tripartito divisos probabile non est, et certe non consequitur e can. V<sup>o</sup> Synodi Neocaesareensis, qui de poenitentia potius quam de catechumenatu tractat<sup>10)</sup>. Si quis nomen dabat ut baptizaretur, facta benedictione, alicui clero *doctori audientium*<sup>11)</sup> tradebatur instruendus. Manebat separatus a fidelibus quia immundus et „domus daemonum”<sup>12)</sup>. Probationis

---

in personas singulas tingimur.” Opinatum est, primis temporibus „in nomine Jesu” (Paulus, Lucas) baptizatum esse. Hodiecum universe censetur haec formula semper fuisse invalida et numquam ab apostolis usurpata. Jam Didache: baptizate, inquit, in nomine Patris et Filii et Spiritus Si.” c. VIII, quum tamen formula „in nomine Domini” fuerit ei nota (c. IX.)

<sup>1)</sup> *Tertull.*, De bapt., c. 4.

<sup>2)</sup> Clementin., hom. 14, N. 1. Const. Apost., III, 15.

<sup>3)</sup> Didache, c. 7: „si utraque (a qua) deest, infunde ter aquam in caput!..

<sup>4)</sup> De baptismo clinicorum cf. *Euseb.* H. E., VI, 48; *Cypr.*, Ep. 69, c. 12.

<sup>5)</sup> Adv. haer., II, 22: Orig., in Rom., I, 5; V, 6; in Luc. hom. IV.

<sup>6)</sup> *Hefele*, I, 115.

<sup>7)</sup> *Tertull.*, De baptismo, c. 19,

<sup>8)</sup> Act. Apost., II, 41; VIII, 12; X, 47 etc.

<sup>9)</sup> Didache, c. 7; *Just.*, Apol., I, 61. *Tertull.*, De bapt., c. 20.

<sup>10)</sup> Cf. etiam Tüb. Quart. 1899, 434—443.

<sup>11)</sup> *Cypr.*, Ep. 29.

<sup>12)</sup> Ep. Barnab., c. 16.

tempus incertum variumque pro moribus catechumenorum. Synodus Illiberitana (306) minimum duos annos postulavit nisi ob morbum baptismus esset maturandus<sup>1)</sup>. Toto hoc temporis spatio ad offertorium exibant ex ecclesia, intererant tantum doctrinae et quibusdam orationibus, quae *missa catechumenorum* nuncupabatur. Antecedebat baptismum exorcismus, ejuratio daemonis, solemnis confessio fidei<sup>2)</sup>, plerumque confessio peccatorum et oblatio Christo. Jam mature occurrit usus ungendi oleo. Post baptismum dabatur osculum pacis et in nonnullis ecclesiis lac et mel. Tertullianus jam scribit de patrino et matrina<sup>3)</sup>.

Festa baptismalia durabant octo dies, quo tempore neo-baptizati vestes albas gestabant (*Dominica in albis*). Martyrium catechumeni pro baptismo habebatur (*baptismus sanguinis*). Apud S. Paulum sermo est de baptismo mortuorum<sup>4)</sup>, ex quo non consequitur id apud orthodoxos in usu fuisse. Posteriore aetate idem apud nonnullos haereticos invenitur.

Baptismum conferre solebat episcopus vel ejus mandato presbyter aut diaconus. Urgente necessitate unicuique licebat baptizare, mulieri tamen tantum deficiente viro. Cum per temporis rationem licebat, collaturus baptismum debebat unius vel duorum dierum jejinium observare<sup>5)</sup>.

Neo-baptizatus solebat statim suscipere **confirmationem** (*manus impositio, unction, signaculum dominicum*)<sup>6)</sup>, quod ex S. Scriptura a solo conferebatur episcopo<sup>7)</sup>. In Ecclesia orientali postea etiam presbyteri confirmabant<sup>8)</sup>.

2º. Ineunte saeculo tertio jam crebescebant haereses. Quum

<sup>1)</sup> Hefele, I, 174.

<sup>2)</sup> Hoc modo orta est sensim formula fidei fixa, quae certo Romae exeunte saeculo secundo jam fuit absoluta, at sine dubio multo antiquior est et probabilissime jam a primo saeculo repetenda. *Vacandard*, Etudes de critique et d'histoire religieuse, Paris 1905, p. 1 sq. Cf. infra § 21.

<sup>3)</sup> De bapt., c. 16: sponsores, fidejussores, susceptores, patrini.

<sup>4)</sup> 1 Cor., XV, 29. Cf. *Dom Henry*, art. Baptême des morts, dans le Dict. d'arch. chrét. et de lit.

<sup>5)</sup> *Ignatius*, Ad Smyrn., c. VIII; *Tertull.*, De bapt., c 17; *Didache*, c. 7.

<sup>6)</sup> *Tertull.*, De bapt., 8; De resurr. carnis, c. 8; Const. Apost., II, 32; *Cypr.*, Ep. 73; *Duchesne*, Origines du culte chrétien, Paris 1903, p. 320—322; *Revue des quest. hist.*, Oct. 1902, p. 399 sq. *Tixeront*, l. c. p. 347 et 389.

<sup>7)</sup> Act. Apost., VIII, 14—17; XIX, 6.

<sup>8)</sup> *Kraus*, Realencycl. in vocem Confirmatio.

ergo saepius ex iis, qui ab haereticis baptizati erant, ad Ecclesiam redirent, orta quaestio est an **baptismus haereticorum** esset validus. Negavit Tertullianus, „*quem* (baptismum) inquiens, *cum rite non habeant, sine dubio non habent*” (haeretici)<sup>1)</sup>. Cujus liber *De baptismō* anno circiter 200 etiam Graece fuit editus. Ali quanto tempore post tres synodi in eandem sententiam decreverunt: una Carthagine circa 220, alterae duae in Asia Minore, Synnadae et Iconii circa 230. Quare mirum non est in istis regionibus eam doctrinam in usu fuisse. Communiter qui ex haeresi conversi erant rebaptizabantur. Quare Stephanus papa anno 254 Heleno Tarsensi et Firmiliano Caesareensi episcopis excommunicationem minitatus est, quam tamen intercedente Dionysio Alexandrino non pronuntiavit.

Quum vero duae synodi annis 255 et 256 Cypriano auctore decrevissent baptismum haereticorum non esse validum, actaque misissent Romam, Stephanus papa eam doctrinam reprobavit, minitatusque excommunicationem declaravit: „*si qui ergo a quacumque haeresi venient ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in poenitentiam*”<sup>2)</sup>. Cyprianus Rogatianum in Asiam Minorem misit. Quo facto Firmilianus Caesareensis confestim Cypriano nuntiavit ecclesias Cappadociae, Galatiae et Ciliciae cum ipso consentire. Qui nuntius opinantem erronee confirmavit Cyprianum, qui denuo coactae episcoporum 87 synodi acta Romam deferenda curavit. Stephanus autem papa noluit ad se admittere legatos iisque societatem respuit. Inde querelae satis graves commutatae inter Cyprianum et Firmilianum<sup>3)</sup>. Controversiae finem posuit persecutio Valeriani. Stephanus martyr occubuit 2 Augusto 257, Cyprianus, qui cum Stephanii successore, Sixto II, jam in pace erat<sup>4)</sup>, 14 Septembri 258. Quamquam etiamtum per aliquod tempus ii, qui ab haeresi convertebantur, in Asia minore et Africa sunt rebaptizati, tamen Dionysius

<sup>1)</sup> De bapt., c. 15.

<sup>2)</sup> Cypr., Ep. 74. *Tixeront*, l. c. p. 396.

<sup>3)</sup> Ep. inter Cyprian. 75.

<sup>4)</sup> Pontius, Vita Cypriani, c. 14: „jam de Xysto, bono et pacifico sacerdote ac propterea beatissimo martyre nuntios acceperat.”

Alexandrinus<sup>1)</sup>, auctor libri *De rebaptismate* et praesertim synodus Arelatensis<sup>2)</sup> usum consuetudinis doctrinaeque Romanae restituerunt. Plurimos autem episcopos id merae disciplinae negotium existimasse, patet e ratione scribendi litteras quae ex Africa et Asia minore tunc mittebantur.

Causa autem erroris in eo fuit quod a traditione discesserant. „Qui ratione vincuntur, Cyprianus inquit, consuetudinem nobis opponunt”; dein: „non quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est”<sup>3)</sup>. Neque a Cypriano neque a Firmiliano primatum oppugnatum fuisse, clarissime elucet ex eo, quod eum in ipsis suis contra Stephanum epistolis disertissime confitebantur<sup>4)</sup>.

## § 16. Agapae, Eucharistia, Disciplina arcani.

*P. Batiffol*, L'Agape in Etudes d'histoire et de théologie positive, Paris 1902, p. 277 sq. *Funk*, in Revue d'histoire ecclésiastique, 1903, p. 5—23; 1904, p. 5—15; 1906, p. 5—15. *Idem*, Abhandlungen und Untersuchungen, III, Paderborn 1907, p. 1—41. *M. Keating*, The Agapé and the Eucharist in the early church, London 1901. *Probst*, Die Liturgie der drei ersten Jahrhunderte, Tübingen 1871. *Bickell*, Messe und Pascha, Mainz 1872. *Wilpert*, Fractio panis, Freiburg 1895. *Funk*, Abendmahlselemente bei Justin in Abh. und Unters., I, p. 278—292. *P. Batiffol*, L'Arcane, in Etudes d'histoire et de théologie positive, p. 3—41. *Funk*, Abh. u. Unters., III, Paderborn 1907. *Dom Leclercq*, art. Agapes in Dict. d'archéol. chrét. et de lit. *Rauschen*, Eucharistie und Bussacrament, Freiburg i. Br. 1908.

I<sup>o</sup>. **Agapae** nuncupabantur piae epulae, caritatis mutuae et unitatis imago simul et adjumentum, quas in primordiis Ecclesiae ante usum S. Eucharistiae fideles iniebant, quibusque cum lectione S. Scripturae, psalmorum cantu et orationibus suas

<sup>1)</sup> *Euseb.*, H. E., VII, 3, 4, 5, 7—9.

<sup>2)</sup> *Can.* VIII, *Hefele*, I, 209.

<sup>3)</sup> Ep. 73.

<sup>4)</sup> Vide ex. c. Ep. 75. Cf. Ep. 52 et 55. Cf. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'église, Paris 1906, p. 419—432. *Zeitschr. f. Kath. Theol.*, 1906, p. 38—56: *Dionysius Alexandrinus etc.* *Saltet*, Les réordinations, Paris 1907, p. 11—28. *d'Alès*, La question baptismale au temps de St. Cyprien in la Revue des quest. hist., 1907, p. 353—400. *H. Koch*, Die Tauflehre des Liber de rebaptismate, *Braunsberg* 1907. *Ernst*, Die Tauflehre des Liber de rebaptismate, *Zeitschr. f. Kath. Theol.*, 1907.

conunctim oblationes comedebant. Reliquiae dabantur pauperibus et aegrotis<sup>1)</sup>. Sed jam S. Paulus debuit abusus notare<sup>2)</sup>. Initio saeculi secundi Agapae jam omnino separatim a Sacra Missa celebrabantur. Illae vespere fiebant, haec mane<sup>3)</sup>. Adhuc saeculo tertio episcopus praesens cernitur<sup>4)</sup>. At vero aucto sensim numero fidelium soli pauperes cum clericis utebantur Agapis, ita ut paulatim, fine suo frustratae, ab aedibus sacris arcerentur<sup>5)</sup>. Piae epulæ tum mox in desuetudinem abierunt, apud nonnullas sectas tamen in usu manserunt et etiamnum fortasse sunt<sup>6)</sup>.

2º. Universi cultus pars prima et praecipua primis temporibus fuit sicut est hodie **S. Missæ** sacrificium (Liturgia). Ejus celebranda ratio, quae probabili conjectura e sacrae Domini coenae solemnii derivanda est, ab antiquissimis scriptoribus memoratur<sup>7)</sup>. Ea liturgia jam circa annum 100 videtur mane fieri solita. Erant autem ejus duae partes, quae postea *Missa catechumenorum* et *Missa fidelium* nuncupabantur. Legebantur initio partes Veteris Testamenti et cantabantur *Psalmi*; dein fiebat lectio ex *Actibus Apostolorum*, *Epistolis Apostolicis* et *Evangelii*, qua absoluta episcopus vel ejus nomine presbyter sermonem (homiliam) faciebat. Is finis erat Missæ catechumenorum et poenitentium.

Missa fidelium inchoabatur *Offertorio*, quod cuncti orando una incipiebant<sup>8)</sup>. Diaconi afferebant oblationes: panem et vinum

<sup>1)</sup> Act. Apost., II, 42, 46.

<sup>2)</sup> I Cor., XI, 20 sq.

<sup>3)</sup> Plin., Epist. X, 97.

<sup>4)</sup> Didask. Syr., c. IX.

<sup>5)</sup> Hefele, I, 767; II, 58; S. August., Ep. 22. Conc. Trull. can. 74.

<sup>6)</sup> Batiffol (Dict. théol. de Vacant; Revue du clergé français, Août 1899; Bulletin de littér. ecclés., Avril-Mai 1904; Etudes d'hist. et de théol. positive, Paris 1902) impugnat non solum I Cor. XI, sed etiam Tertull. Apol. c 39. Nobis videtur Funk (Revue d'histoire eccl. 1903, 1904, 1906 et Abh. u. Unters., III) ejus argumenta refellisse. Idem nobiscum sentit Duchesne, Hist. anc. de l'église, Paris 1906, I, p. 529 sq. Cf. etiam Ermoni, l'Agape dans l'église primitive, Paris 1903; Ladeuze, Rev. Bibl., 1904 et Prat, Théologie de S. Paul, p. 165 sq.

<sup>7)</sup> Didache, IX—X et XIV. Sacramentarium Serapionis, apud Funk, Didascalia et Constit. Apostolorum, Paderbornae 1905, II, 158. Ignatius, Ep. ad Smyrn., c. 7, ad Ephes., c. 20; Justinus, Apol., I, c. 64—67. Clemens, Ad Cor., c. 59—61. Const. Apost., lib. II, VIII.

<sup>8)</sup> Clem., Ad Cor. c. 59—61. Ea oratio pro tempore et loco varia fuit.

aqua mixtum<sup>1)</sup>). Interea dabatur osculum pacis. Post haec fiebant preces pro ecclesia, pro universo orbe, pro superioribus et reliquis omnibus, quas consequebatur oratio praeparatoria et Consecratio, dein gratiarum actio et fractio panis. Diaconus S. Communionem bina specie erogabat presbyteris, diaconis, subdiaconis etc., deinde universo populo, dicens: „*Corpus Christi*”, „*Sanguis Christi, calix vitae*” cui respondebant „*Amen*”. Interea cantabantur *Psalmi*<sup>2)</sup>. Orationibus et solemni benedictione terminabatur S. Missa<sup>3)</sup>.

Saepe S. Communio suscipiebatur una tantum specie, praecipue quum fideles, solatii et firmitudinis gratia S. Eucharistiam domum asportabant, ut possent quotidie communicare. Neobaptizatis infantibus sola specie vini dabatur S. Sacramentum<sup>4)</sup>. Non lingua tum temporis sed manu accipiebant S. Eucharistiam. Jejunium requiri ante susceptionem S. Eucharistiae jam a Tertulliano memoratur videturque institutum simul cum celebratione Liturgiae matutina. Satis diutinus fuit usus, ut episcopi unus ad alterum mitterent S. Eucharistiam in signum societatis ecclesiasticae<sup>5)</sup>.

S. Missa re ipsa ubique eadem, tamen in minoribus ac fere adventitiis partibus mox varia facta est. Exorta occidentalis et orientalis forma, unde saeculo quarto numerosae liturgiae derivatae sunt.

Solebat sacrum facere episcopus, nonnumquam tamen presbyter vice ejus fungebatur. Diebus Dominicis convenisse fideles ad Missae sacrificium, in Africa etiam diebus stationum, veteres scriptores testantur<sup>6)</sup>. In *Actis Apostolorum* videtur esse sermo de fractione panis quotidiana<sup>7)</sup>.

Communem omnium fidelium fuisse fidem realis praesentiae

<sup>1)</sup> Frustra conatus est Harnack invenire apud Justinum panem et aquam tanquam elementa eucharistica (Texte u. Unters., VII. 2 Leipzig 1891). Cf. A. Scheiwiler, *Die drei Elemente der Eucharistie in den ersten drei Jahrhunderten*, Mainz 1903.

<sup>2)</sup> Cf. *Cyrillus Hier.*, Catech. myst., V, 21—22.

<sup>3)</sup> Funk, Abh. u. Unters., I, 293: Der Communionsritus.

<sup>4)</sup> Euseb., H. E., VI, 44; Tertull., Ad uxor., II, 5. De orat., c. 19. Cypr., De lapsis, 29.

<sup>5)</sup> Euseb., VI, 43; VII, 9; V, 24.

<sup>6)</sup> Didache, c. 14. Justin., Apol., I, 67, Plinius, X, ep. 97 (stato die).

<sup>7)</sup> Act. Apost., II, 46; VI, 1. Cf. Dom. Fern. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, Paris 1903, chap. VII. Villien, *Revue du clergé français*, 15 Sept. 1908.

et veri sacrificii, ab antiquissimis patribus memoratur. Esse S. Missam verum sacrificium jam docent *Didache*, Irenaeus, Justinus multique alii<sup>1)</sup>. Cyprianus dicit: „Si Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est Summus Sacerdos Dei Patris et sacrificium Patri seipsum primus obtulit et hoc fieri in suam commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur et sacrificium verum et plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse”<sup>2)</sup>. Pro fide S. Eucharistiae, quam probare opus non est, sufficient hic celeberrima epitaphia Abercii et Pectorii. Prior ille exeunte saeculo secundo sepulcro suo inscribendum curavit: „Fides vero ubique mihi dux fuit, praebuitque cibum ubique piscem (ἰχθύς) e fonte ingentem, purum, quem prehendit virgo casta; deditque amicis perpetuo edendum, vinum optimum habens, ministrans mixtum cum pane”. Alter saeculo fortasse tertio insculpsit in epitaphio suorum „Coelesti genus piscis (ἰχθύς) divini... Salvatoris Sanctorum suavem cibum sume, comedere esurienter piscem (ἰχθύν), quem manibus tenes”<sup>3)</sup>.

3º. *Nolite sanctum dare canibus*, Christus dixerat<sup>4)</sup>. Ideo christiani sacra mysteria quantum poterant occultabant. Nomen **disciplina arcani** saeculo quidem decimo septimo<sup>5)</sup> demum inventum est, res vero jam saeculo secundo existebant. Tertullianus, Irenaeus, Origenes aliique testes sunt<sup>6)</sup>. Nec minus signa vetera symbolica: piscis, anchora, navis, panarium, mulctra, agnus, columba etc. etc. Qui nondum initiati sunt dicuntur a patribus non intelligere quid dicatur, soli initiati pronuntiantur verborum sensum percipere. Persecutiones huic

<sup>1)</sup> *Didache*, XIV, 1; *Adv. haer.*, IV, c. 17, N. 4—5; c. 18, N. 1—2; *Justin.*, *Dial.* c. Tryph., 41, 40; Cf. *Batiffol*, l’Eucharistie, 3e éd., Paris 1906.

<sup>2)</sup> *Ep.* LXIII, N. 14; ed. *Hartel*, Vindeb. 1871, p. 713; Cf. 708, 711, 714.

<sup>3)</sup> *Dom Leclercq*, Dict. d’archéologie chrétienne et de liturgie, tom. I, Paris 1907. *Dom A. Rocchi*, L’epitafio di S. Abercio vescovo di Gerapoli in Frigia. Nuovi studi. (Estr. atti Pontif. acad. Rom. di archeol. vol. IX) Roma Tip. Vaticana 1907. *Dom Pitra*, Spicilegium solesmense, Tom. I, p. 554 ss.

<sup>4)</sup> *Matth.*, VII, 6.

<sup>5)</sup> *Gebh. Theod. Meyer*, Dissertatio de recondita vet. Eccl. theologia, Helmstadii 1647.

<sup>6)</sup> *De praescr.*, c. 41; *Apologet.*, 7; *Contra Valent.*, c. I; *Adv. Haer.*, I, 4, 3; XXIV, 6; XXV, 5; II, 14, 1. In *Lev. hom.* XIII; 3; *hom.* IX, 10.

occultationi causam novam praebebant. Occultabatur *symbolum* Apostolorum, Sacraenta et pae reliquis S. Eucharistia.

Solo sermone docebantur catechumeni, doctrinaque de Sacramentis non solebat nisi fidelibus tradi. Neque huic rei contrarium est, quod apologetae ut S. Justinus<sup>1)</sup> publice nonnulla mysteria tractaverunt<sup>2)</sup>.

### § 17. Poenitentiae Sacramentum, ecclesiastica poenitentia, Montanismus, Novatianismus.

*Rauschen*, Eucharistie und Buss sacrament, Freib. 1908. *Funk*, Zur altchristlichen Bussdisciplin, Abh. u. Unters., Paderborn 1897, I, 155 sq. *Schanz*, Die Absolutionsgewalt in der alten Kirche, in Tüb. Quart. 1897, p. 27–69. *Funk*, Die Bussstationen im christ. Altertum, in Abh. u. Unters., I, p. 182 sq. *Batiffol*, Etudes d'hist. et de théol. pos., I, 3<sup>e</sup> éd., Paris 1904. *H. Koch*, Die Bussentlassung in der alten abendl. Kirche, Tüb. Quart., 1900. p. 481 sq. *Boudhimon*, Revue d'histoire et de litt. rel. 1902, Tom VII, p. 1–20. Praesertim: *Adhémar d'Alès*, Revue d'hist. eccl., 1906, I. 16 sq. *Bonwetsch*, Die Geschichte des Montanismus, Erlangen 1881. *J. Tixeront*, La théologie anténicéenne, 2<sup>e</sup> éd., Paris 1905. *Seefelder*, Zur Chronologie der Päpste Cornelius und Lucius, Tüb. Quart., 1891, p. 68–94.

1<sup>o</sup>. Christus instituit Sacramentum poenitentiae<sup>3)</sup> deditque Ecclesiae potestatem remittendi omnia peccata. Quam facultatem esse datam, jam Paulus facto suo comprobavit. Incestuoso enim Corinthiaco peccatum remisit<sup>4)</sup>. Joannes Apostolus juveni, raptorum sicariorumque capiti, delicti gratiam fecit<sup>5)</sup>. Alexander et Hymenaeo, qui „circa fidem naufragaverant”, Apostolus spem veniae fecit<sup>6)</sup>. Qui Ecclesiae perpetuus fuit usus. Omnibus iis, qui bene erant affecti, peccata dimisit. Marcion, vir impudicus et haeresiarcha bis gratiam impetravit<sup>7)</sup>; Cer-

<sup>1)</sup> Apol. I.

<sup>2)</sup> Disciplinam arcani exstisset non admittit *P. Batiffol*, L'arcane, in Etudes d'hist. et de théol. posit., p. 1 sq. Quem impugnat *Funk*, Tüb. Quart., 1903 p. 69 sq. Abhandl. u. Unters., Paderborn 1907, p. 42 sq.

<sup>3)</sup> Joan., XXII, 22–23.

<sup>4)</sup> 3 Cor., II, 9–11. Cf. I Cor., V, 1 sq.

<sup>5)</sup> Euseb., H. E., III, 24.

<sup>6)</sup> I Tim., I, 20.

<sup>7)</sup> Tertull., De praescr., 20.

d o n i quoque saepius venia concessa<sup>1)</sup>). Quae quidem consuetudo e scriptoribus ecclesiasticis patet<sup>2)</sup>.

Confessio autem peccatorum requirebatur inde a prima Ecclesiae aetate<sup>3)</sup>). Secrete coram sacerdote confessario debebat fieri confessio omnium peccatorum, etiam eorum, quae sola cogitatione erant commissa, debebatque accipi eorum secreta poenitentia<sup>4)</sup>). Debebat fieri confessio „*medico animarum, si volumus a peccato relevari*”<sup>5)</sup>). Pro tribus peccatis canonicas, apostasia, homicidio et adulterio confessarius nonnumquam injungebat confessionem publicam coram universo coetu. Nunquam tamen ea publica confessio fuit licita nisi permittente confessario, qui eam pro solis peccatis publicis imponebat<sup>6)</sup>.

2º. Ob nullum peccatum in perpetuum quis Ecclesia excludebatur. Saltem non appareat eum unquam universalem usum fuisse<sup>7)</sup>). Econtra pro peccatis apostasiae, homicidii et adulterii saepe injungebatur poenitentia diuturna, quin etiam ad extrellum vitae tempus duratura<sup>8)</sup>). Ea poenitentia ardua fuit, fiebatque indumento, jejunio et orationibus<sup>9)</sup>). Saeculo tertio pro adulterio et apostasia nonnihil est mitigata: saeculo quarto etiam pro homicidio. Altera poenitentia pro illis peccatis numquam concedebatur. Suprema moderatio poenitentium ad episcopi officium pertinebat. In oriente publicae poenitentiae ratio adeo increvit, ut constitueretur presbyter poenitentiarius, qui confessiones audiret, poenitentiam

<sup>1)</sup> *Iren.*, Adv. haer., III, c. 4, N. 3. *Euseb.*, H. E., IV, 15.

<sup>2)</sup> *Dionys.* Cor. apud *Eus.*, IV, 23; *Just.*, Dial. 47, 141; *Iren.*, Adv. haer., I, 6, 3; I, 10, 1; I, 13, 7. Cf. *d'Ales*, Etudes, 1909, Tom. 118, p. 588 ss.

<sup>3)</sup> *Jac.*, V, 16; *Didache*, IV, 14; XIV, 1; *Clem. Rom.*, Ad Cor., 51, 3; *Ep. Barnab.*, 6, 16.

<sup>4)</sup> Alterum forum clericale non potest certo probari. Tantum nominatur aliquid hujusmodi apud Tertullianum, *Apol.*, c. 39, et apud *Didasc. syriacam*, c. XI, cf. *Constit. Apost.*, II, 46.

<sup>5)</sup> *Orig.*, hom. III in *Levit.*, N. 4; hom. II in *Ps.* 37; Cf. hom. 17 in *Luc.*

<sup>6)</sup> Peccata capitalia apud *Tertull.*, *De Pud.*, c. 19; *Adv. Haer.*, IV, 9.

<sup>7)</sup> Repetendo auctoritatem ab Herma (Mand., IV, 3; Vis., II, 2, 5 ss.) et Calixto I: Ego moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto (*Tertul.*, *De pud. cap. I*) aliqui docent, ante Calixtum peccatores propter peccata capitalia in perpetuum Ecclesia fuisse exclusos. Ita *Funk*, *Abhandl. u. Unters.*, I, 155—181 etc. *Batiffol*, Etudes d'hist. et de théol. pos., I. *Vacandard*, Revue du clergé français 1907. Econtra stant *d'Ales*, Revue du clergé français 1907. *Stufer*, Zeitschrift f. kath. Theol., 1907—1908. *Esser*, Der Kath. 1907—1908.

<sup>8)</sup> *Cypr.*, Ep. 55, N 21; Ep. 8, N. 2—3, *Orig.*, *De orat.*, c 28.

<sup>9)</sup> *Tert.*, *De poenit.*, c. 28.

constitueret et poenitentium exercitia moderaretur<sup>1)</sup>. Saeculo tertio poenitentes ibidem in ordines distincti sunt. S. Gregorius Thaumaturgus jam novit *audientes* et *substratos*<sup>2)</sup>. De *consistentibus* agit synodus Ancyranæ<sup>3)</sup>. Posteriore tempore occurrit infimus ordo *flentium*. Haec autem ordinum distinctio in solo oriente exstisset videtur. Non fuit eadem ubique. In occidente hac periodo nullibi exstitit. Ibi poenitens arcebatur a S. Communione, consistebatque in *limine ecclesiae*. Dimissio poenitentium (*missa poenitentium*) in usu non fuit<sup>4)</sup>. Incipiebat tempus poenitentiae impositione manuum, ut aliqui volunt post absolutionem a sacerdote factam. Expleta poenitentia manus iterum imponebantur et poenitens admittebatur ad S. Communionem<sup>5)</sup>.

Aliqua ex parte vel omnino remittebatur ab episcopo poenitentia, si martyres vel *confessores* dederant *libellos pacis*, dein si exsurgebat persecutio, in moriendi periculo, etiam quum poenitens insignem monstraverat poenitendi fervorem.

3º. Attamen sectae **Montanistarum** haec salutaris Ecclesiae severitas non videbatur sufficiens. Nuncupata est a Montano, ethnico quodam flamme ad christianam fidem converso, qui in altera dimidia parte saeculi secundi in Phrygia prophetam sese motum a Paracleto<sup>6)</sup> duasque sibi adjunctas socias Priscillam et Maximillam prophetissas vocabat<sup>7)</sup>. Docebant finem mundi extremumque iudicium instare, atque oportere ut regnum Dei ad virilis aetatis maturitatem perficeretur severitudine et sanctitate morum. Prophetiam dicebant argumentum esse se vera docere. Alteras nuptias reprobabant et jejunia diurna et aspera exercebant (xerophagia); qui tempore persecutionis fugisset, eum a fide defecisse dicebant; apostasiam, homicidium et adulterium numquam remittenda censebant; omnem corporis ornatum nefas ducebant, negabantque licere nomen dare militiae aut artibus

<sup>1)</sup> *Socr.*, V, 19; *Sozom.*, VII, 16.

<sup>2)</sup> *Epist. Canon.*, *Migne*, P. Gr., Tom. X.

<sup>3)</sup> *Can.* 25.

<sup>4)</sup> *Funk*, Abh. u. Unters., I, 155—209; *Revue d'hist. eccl.*, p. 10 sq.

<sup>5)</sup> *E. Vacandard*, l'Origine des prêtres pénitenciers, *Revue du clergé français*, Tom. 42 (1905) p. 361 sq. Cf. *J. Stufler* *S. J.*, *Zeitschr. f. Kath. Theol.*, 1907. Heft 2—4. *Dr. Esser*, *Der Katholik*, Jg. 1907.

<sup>6)</sup> *Joan.*, XIV, 16, 26.

<sup>7)</sup> *Euseb.*, H. E., V, 19—22.

scientiisque incumbere. Celeriter propagatus error est. Cui favebat timor instantis judicii. Themison epistolam generalem ad sectatores scripsit instruendi causa. Fuit quoque Theodotus quidam fautor hujus erroris<sup>1)</sup>. Malefactor quidam, Alexander nomine, tamquam martyr sectae honoratus est. Potentissimum vero adjumentum accepit Montanismus a Tertulliano, qui circa annum 202 publice nomen sectae dedit. Non solum auctoritate sua, sed etiam valido sermone scriptisque praesto fuit errori<sup>2)</sup>. Ita in Africa orta est secta *Tertullianistarum*, quae satis a Montanistis differebat et usque ad exiens saeculum quartum aut iniens saeculum quintum superfuit. Montanistae praesertim in Phrygia (Pepuza) perstiterunt. Susceperunt etiam aliarum haeresum (Chiliastarum) errores et saeculo sexto evanuerunt. Praecipuum ab iis periculum timendum in eo fuit, quod qui dicebantur prophetae et homines inspirati sese aequiparabant, quin etiam praeponebant legitimis superioribus ecclesiasticis asseverabantque sese esse quandam hierarchiam auctoritate instructam<sup>3)</sup>.

4º. Decio persequente Ecclesiam Carthagine sese opposuit Cypriano quaedam dissolutorum hominum secta, quae ansam dedit **schismati**, quod dictum est **Felicissimi**<sup>4)</sup>. Quinque erant presbyteri, qui aegre tulerant Cyprianum anno 248 episcopum electum esse<sup>5)</sup>. Increscebat offensio quod noluit Cyprianus rationem habere *libellorum pacis*, qui ab aliquantum superbis *confessoribus* fuerant dati. *Lapsi* omnes et *confessores* in eum instigabantur. Schisma invalescebat. Cyprianus, qui fugerat persecutionem atque occultaverat sese<sup>6)</sup>, definivit *libellos pacis* non

<sup>1)</sup> *Eus.*, ibd.

<sup>2)</sup> Colore montanistico infecta sunt: De exhortatione charitatis; De corona militis; De idololatria; De fuga in persecutione; De monogamia; De jejunio adversus psychicos; De pudicitia. Cf. *Dom Leclercq*, l'Afrique chrétienne, Tom. I, p. 159 – 168.

<sup>3)</sup> *Adhémar d'Alès*, La théologie de Tertullien, Paris 1905; *Duchesne*, Hist. anc. de l'égl., Paris 1906, Tom. I, p. 270 – 284. Cf. *Ermoni*, Revue d. quest. hist., Juillet 1902.

<sup>4)</sup> *K. Müller*, Die Bussinstitution in Carthago unter Cyprian, Zeitschr. f. Kirchengesch., 1895, p. 1 – 44; 187 – 219; *Duchesne*, Hist. anc. de l'égl., chap. 20; *Batiffol*, Les origines de la pénitence, p. 111 – 144.

<sup>5)</sup> *Cypr.*, Ep. 40.

<sup>6)</sup> Romae propter hanc fugam accusatus, purgavit se Cyprianus apud presbyteros, qui defuncto Fabiano ecclesiam administrabant, allegando causam cur fugisset et mittendo ad eos alias suas epistolas (5, 6, 7, 10 – 19). Quo facto ejus agendi ratio approbata est. Cf. *Dom Leclercq*, l'Afrique chrétienne, I, p. 191 sq.

valere pro omnibus *lapsis*, sed tantum pro iis quorum vita periclitaretur; de reliquis oportere, ut synodi dijudicarent, non libelli pacis imprudenter dati. Cujus definitionis ratione non habita, Novatus<sup>1)</sup> aliique nonnulli sacerdotes omnes eos, qui *libellos pacis* protulerant in communitatem cum Ecclesia suscep- runt; quin adversus Cyprianum Fortunatum quemdam episcopum creaverunt. Circa festum Paschatis anni 251 Cyprianus Carthaginem redux synodum coegit, negotium *lapsorum*<sup>2)</sup> expedivit, schismaticos Ecclesia exterminavit, actaque synodi misit Romam. Quo etiam profectus est Novatus, suas partes defensurus. Vacabat tum sedes Romana, Fabiano papa per martyrium ablato, regebaturque Ecclesia a collegio presbyterorum. Quorum unus doctissimus praecipuusque erat Novatianus<sup>3)</sup>.

5º. Is propter electum Cornelium papam (251) vehementer irritatus probabiliter auctore Novato antipapam se fecit<sup>4)</sup>. Cujus quidem Novati mira animi commutatio. Oppugnaverat enim Cypriani legitimam severitatem; nunc vero sectatus est quae Novatianus multo asperiora, imo haeretica postulabat. Docebat quippe eum, qui lapsus fuisset, numquam in gratiam Ecclesiae reconciliari posse, peccatoribus pollui Ecclesiam, quae solis mundis, sicut Novatiani sunt, constare possit. Quare etiam nomine mundi (Kathari) vocabantur<sup>5)</sup>. A Cornelio papa in synodo sexaginta episcoporum damnatus Novatianus a sectatoribus suis, S. Communionem distribuens postulavit, ut cum juramento promitterent se numquam in communionem cum Cornelio reddituros<sup>6)</sup>. Undique sectatores collegit, nec paucos quin etiam episcopos aliquot. Multum in hoc discrimine Ecclesia Romana debet Cypriano et Dionysio Alexandrino. Prior hac occasione scripsit celeerrimum

<sup>1)</sup> Nomina Novatus et Novatianus a Graecis permuntantur. Vide Migne, P. L., IV, col. 861, Dissert. *Lumper*; Cf. Euseb., VI, 43.

<sup>2)</sup> Libellum suum *De lapsis* Cyprianus scripsit forma epistolae generalis ad universum gregem suum.

<sup>3)</sup> Opera ejus apud Migne, P. L., Tom. III, 862—970. Cf. Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Lit. II, 559 sq.

<sup>4)</sup> Corn. ad Fab. Antioch., Migne, P. L., Tom. III, 738; Cf. Euseb., VI, 43 sq.

<sup>5)</sup> Pacianus (Ep. III ad Symphr.) refert ejus doctrinam his verbis: »Quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes». Cf. Tixeront, hist. des dogmes, Paris 1905, Tom. I p. 373 sq.

<sup>6)</sup> Corn., Ad Fab. I. c. 756.

suum opus *De unitate ecclesiae*, alter pulcherrimam suam *Epistolam ad Novatianum* et alias ad *Fabium Antiochenum*<sup>1)</sup>, qui approbabat nimiam schismatici viri severitatem. Romae mox defecerunt qui cum Novatiano facerent. Usque ad saecula quartum et quintum occurrunt Novatiani Constantinopoli, Alexandriae, in Asia Minore, praesertim in Phrygia, ubi cum Montanismi reliquiis se conjunixerunt.

6<sup>o</sup>. Videtur etiam **schisma Meletii**<sup>2)</sup> nexum habuisse cum quaestionibus variis de poenitentia ecclesiastica. Narrat enim Epiphanius nimiam severitatem Meletii Lycopolitani episcopi non convenisse cum moderatis principiis sui metropolitae Petri Alexandrini. Alii memorant illicitas a Meletio perfectas consecrationes, quin nonnulli defectionem ejus a fide. Damnatus anno 306 Meletius schisma fecit, quod etiam post concilium Nicaenum substituit nec parum favit dilatationi Arianismi.

7<sup>o</sup>. **Schisma Hippolyti**<sup>3)</sup> vero, quod amplius annos 15 duravit, multo prius in ecclesia Romana excitatum est. Electo Calixto papa, Hippolytus, celeber illo tempore sacerdos, antipapa est constitutus, insimulato Calixto indulgentiae nimiae erga peccatores aliisque criminibus multis. Concertatio vehementis exorta, quae usque ad annum 235 perduravit, quum persequente ecclesiam Maximino Thrace Pontianus secundus post Calixtum papa munere cessit; quod exemplum secutus Hippolytus se subjecisse videtur. Utriusque enim reliquiae ex Sardinia, quo relegati fuerant, Romam translatae sunt, et uterque in vetusta Romana liturgia memoratur<sup>4)</sup>: *Natale Sanctorum Hippolyti et Pontiani*.

<sup>1)</sup> Euseb., H. E., VI, 41—42; 44—45. Cf. Pitra, *Analecta Sacra*, IV, 169 sq. Bardenhewer, II, 184—186.

<sup>2)</sup> Epiph., Haer., c. 68. Hefele, Conc., I, 343—356. Duchesne, Hist. anc. de l'Eglise, Tom. II. p. 97 sq.

<sup>3)</sup> Adhémar d'Alès, *La théologie de S. Hippolyte*, Paris 1906. Historiam praesertim vide in introductione docta, p. I—LIV et chap. 1. Cf. Esser, Nochmals das Indulgenzedict des P. Calixtus, *Der Katholik* 1908, Heft I—II. Contra Funk demonstrat Calixtum severiorem Montanistarum doctrinam mitigasse, non ecclesiae mentem mutasse. Idem probat docta elucubratio P. Stufer S. J. in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* 1908 Heft I. p. 1—42.

<sup>4)</sup> Döllinger, *Hippolytus und Callistus*, Regensb. 1853. De Smedt, Diss. in prim. aet. hist. eccl., Gandavi 1876, p. 83—218. G. Bareille in *Dict. de théol. cath.*, art. Calliste.

Alio persecutionis tempore etiam Ecclesia Romana a poenitentibus perturbata est. Postulabant enim a Marcello papa (308—309), ut sibi daretur S. Communio non peracta prius poenitentia. Econtra Marcelli successorem Eusebium oppugnaverunt severiores nonnulli, quorum caput Heraclius quidam fuit. Maxentius in exsilio misit Marcellum, Eusebium et Heraclium<sup>1)</sup>.

### § 18. Dies festivi et jejunia. Lis de paschate.

*H. Kellner*, Heortologie oder das Kirchenjahr und die Heiligenfeste in ihrer geschichtlichen Entwicklung, Freiburg 1901. *F. X. Funk*, Die Entwicklung des Osterfastens in Abh. u. Unters., I, 241 sq. *Hefele*, Conciliengeschichte, I, 86—101. *Eusebius*, H. E., V, 26, 27, 28. VII, 20, 32. *L. Duchesne*, Origines du culte chrétien, 3<sup>e</sup> éd., Paris 1903. *Vigouroux*, Dict. de la Bible, Art. Dimanche. Revue du clergé français, Fevr. 1905, p. 561 sq. *Herb. Thurston S. J.*, The influence of Paganism on the christian Calender in the Month, March 1907, pag. 225 sq.

I<sup>o</sup>. Primo hebdomadae die, die **Dominica**, Christus resurrexit. Eo die Apostoli erant congregati „una sabbatorum”, „post dies octo”<sup>2)</sup>. Postea quoque inveniuntur Troade fideles eodem die „una autem sabbati” congregati „ad frangendum panem”<sup>3)</sup>. Paulus praescribit ut eleemosynae colligantur „per unam sabbati”<sup>4)</sup>. Eum quoque diem denotat Plinius scribens, christianos „stato die ante lucem” convenire. De eadem die Dominica sermonem habet Didache<sup>5)</sup>: *Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis. Abstinebant operibus servilibus*<sup>6)</sup> *intererantque sacro Sacrificio Missae, quod stricta lege erat praescriptum*<sup>7)</sup>. Jam apud Tertullianum reliqui hebdomadae dies *feriae* vocan-

<sup>1)</sup> Inscriptiones Damasi cum explicatione apud *L. Duchesne*, Le Lib. Pont., I, 164, 167.

<sup>2)</sup> Joan., XX, 1, 19, 26.

<sup>3)</sup> Act. Apost., XX, 7.

<sup>4)</sup> I Cor., XVI, 2.

<sup>5)</sup> Cap. XIV; Cf. Ep. Barn., c. 15; *Ignat.*, ad Magnes., cap. 9.

<sup>6)</sup> *Tertull.*, De orat., 23.

<sup>7)</sup> Can. 21 Illib., *Hefele*, I, 194 sq. *Tertull.*, De fuga in pers., c. 14, De Orat., c. 20.

tur<sup>1)</sup>. Pariter ac dies Dominica a Christianis e Judaismo conversis etiam celebrabatur sabbatum.

Praeter diem dominicam **O rigenes festos dies** nominat Pascha, Pentecosten et Parasceven<sup>2)</sup>. In oriente jam proxime ab exordio Christianismi agebatur festum Epiphaniae die 6 Januario: Memoriam faciebant baptismi et miraculi Canae facti, paulo serius etiam Nativitatis Domini<sup>3)</sup>. In Hispania videtur festum Ascensionis jam exstitisse<sup>4)</sup>. Annus ecclesiasticus tamen nondum erat partibus suis descriptus. E tribus majoribus festorum cyclis aberat cyclus Nativitatis.

Circa medium saeculum tertium efformari coepit **calendarium sanctorum**, natum ex usu nuncupandi eorum nomina in S. Sacrificio, anno die martyrii, qui vocabatur eorum *dies natalis*. Praeter Petrum et Paulum in calendario Romano inscripti tantum fuerunt Sancti saeculi tertii. Nec reliqui Apostoli, neque Ignatius nec Polycarpus nec Stephanus nec Joannes Baptista memorati, neque ullum festum B. Virginis<sup>5)</sup>.

2º. Diverso a Pharisaeorum more, qui die lunae et Jovis jejunabant, christiani feria 4<sup>a</sup> et 6<sup>a</sup> ex parte **jejunium** servabant usque ad horam tertiam. Quae *statio* vocabatur, eo quod, sicut milites in statione vigilias agebant et jejunabant<sup>6)</sup>. De jejunio ante Pascha primus loquitur S. Irenaeus in epistola ad Victorem papam (189—198)<sup>7)</sup>. Jejunabant unum, duos et plures dies, nonnulli quadraginta horas. Solebant inchoare feria 4<sup>a</sup> vel 5<sup>a</sup> ante Pascha; nemo videtur diutius quam per hebdomadam **sanctam** jejunium egisse<sup>8)</sup>. Hic autem varius adeo usus tempore S. Irenaei jam fuit antiquus. Omnium antiquissima memoria jejunii quadragesimalis habetur in canone quinto concilii Nicaeni (325). Certo tamen usus est vetustior<sup>9)</sup>.

<sup>1)</sup> De jejunio, c. 2.

<sup>2)</sup> Contra Celsum, VIII, 21.

<sup>3)</sup> Clem. Alex. Strom., I, 21.

<sup>4)</sup> Can. 43 Illib., Hefele, I, 174.

<sup>5)</sup> C. A. Kneller, Stimm. a. M. L., Tom. 67 (1904), p. 558 sq. Cf. Rabeau, Le culte des saints dans l'Eglise d'Afrique chrétienne, Paris 1903.

<sup>6)</sup> Didache, c. VIII. Cf. Pastor Hermae, Simil., V, 1.

<sup>7)</sup> Euseb., V, 27.

<sup>8)</sup> Funk, Abh. u. Unters., I, p. 224 sq; Probst, Kirchliche Disciplin, 269 sq; Vacandard, Les origines du carême, Revue du clergé français, Mars 1904.

<sup>9)</sup> Cf. verba Canon. V.

3º. Sicuti praeparandi ita etiam agendi Paschatis usus non fuit ubique idem, unde sumpta ansa **litis de Paschate**. Ecclesiae in Asia Minore agebant festum Paschatis inde ab antiquissimis temporibus die 14 Nisan, provocantes ad Evangelium et ad traditionem, quam repetebant a Joanne et Philippo. Valde probabilis conjectura est, eos celebrasse 14 Nisan memoriam ultimae coenae et institutionis S<sup>i</sup> Sacramenti. Quae quidem confirmatur sententia ex eo quod S. Eucharistia praecellentem locum occupat in Evangelio Joannis; quod nomen Judaicum traductum est ad festum christianum; quod relatio habebatur christiana liturgiae ad Judaicam; demum quod in Synopticis Evangeliis haec traditio videtur servata. Festum igitur Paschatis in Asia Minore raro die Dominica agebatur, sed in plenilunio post equinoctium, dum alibi in Ecclesia celebrabatur die Dominica proxima post equinoctium agebaturque memoria Resurrectionis Domini<sup>1)</sup>.

Quum ergo tanta esset diversitas in agendo festo principaliore, mirandum non est etiam antiquitus tentatam esse spem uniformitatis. Jam S. Polycarpus de ea re tractaverat cum Aniceto papa (154—165). Quod etsi non processit, concordia tamen non fuit perturbata et S. Polycarpus solemniter Romae S. Missae Sacrificium obtulit<sup>2)</sup>.

Brevi tamen post, anno 167, Laodiceae prima nata est concertatio de Paschate. Quod quidem videtur fuisse initium ingentis illius litis inter eos, qui festum Paschatis agendum die dominica defendebant et Quartodecimanos, i. e. eos qui id faciendum 14 Nisan censebant. In dies amplior redditam controversia mox dilatata est per universam Ecclesiam. Tum Victor papa (189—198) gravi sermone postulavit a Polycrate Ephesino aliisque episcopis, ut coactis synodis disceptarent de Paschate. Fere omnes episcopi obsecundarunt mandatis declaraveruntque sua sententia Pascha esse agendum die Dominica. Solus Polycrates Ephesus cum reliquis Asiae Minoris episcopis tenaciter usum quartodecimanum servaverunt. Videtur Victor papa excommunicationem pronuntiasse, quam tamen ob placidum S. Irenaei interventum exsequendam non curavit.

Apud veteres scriptores nihil certum invenitur, quartode-

<sup>1)</sup> J. P. van Kasteren, Studiën, Dl. 68 (1907), p. 40 sq.

<sup>2)</sup> Euseb., V, 27.

cimanos in Asia Minore opinionibus haereticis adhaesisse. Saeculo autem tertio vel quarto implicati audiuntur nuntii de quartodecimanis aliquibus celebrantibus pascha die dominica in honorem Resurrectionis Dni et alterum die 14 Nisan in memoriam passionis Dominicae. Videtur ultimus hic dies post horam 3<sup>ma</sup> pomeridianam in diem laetum transiisse, ita ut in solemnes agapas convenienter. Alibi Parasceve integrum in luctum consumebatur perdurabatque jejunium usque ad Dominicam. Quidquid est, labente saeculo tertio in tota Asia Minore Romanus usus magis magisque inductus reperitur. Cui rei synodi Arelatensis (314) et Nicaena (325) multum profuerunt.

Propter varias computationes, quas ex antiquissimis temporibus passim a Judaeis mutuabant, evenit ut in Syria, Cilicia et Mesopotamia Pascha ageretur die Dominica praecedente equinoctium qui usus posteriore tempore **Protopaschitismus** est nuncupatus. Ideo in Nicaeno praescriptum est ut festum Paschatis eadem ubique die Dominica ageretur<sup>1)</sup> et in Arelatensi: *Primo loco de observatione Paschae Domini, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur*<sup>2)</sup>. Dein in Nicaeno statutum, ut Alexandrina ecclesia computationem seu *Tabulam Paschalem* faceret et singulis annis Romam nuntiaret quo tempore Pascha esset celebrandum. A Roma mittendus nuntius ad reliquas ecclesias praeter Ægypti, quod ad eas quotannis nuntium daret episcopus Alexandrinus<sup>3)</sup>. Quod privilegium evasit ansa epis copis Alexandrinis mittendi singulis annis ad ecclesias Ægyptiacas celeberrimas illas litteras Paschales, quibus docere et exhortari fideles solebant. Postquam vero Dionysius Exiguus ad principia Alexandrini *cycli Paschalis* Romanum emendaverat, paulatim exorta est uniformitas. Ad finem saeculi octavi ubique terrarum eadem die festum Paschale agebatur. Is dies est intra 22 Martium et 25 Aprilem.

<sup>1)</sup> *Van Kasteren*, Studiën, Dl. 68 (1907), p. 40 sq. *Harnack*, Geschichte der altchristlichen Lit., I, 2, p. 505 sq.

<sup>2)</sup> *Can. I. Hefele*, I, 205.

<sup>3)</sup> *Hefele*, I, 320—343; *Duchesne*, Hist. anc. de l'église, I, p. 285—294; La question de Pâque au concile de Nicée in *Revue des Questions hist.*, Juillet 1880. *Dr. J. Bach*, Die Osterberechnung in alter und neuer Zeit, Freiburg i. B. 1907.

### § 19. Vita religiosa et moralis.

*Probst*, Lehre und Gebet in den drei ersten christlichen Jahrhunderten, Tübingen 1871. *Georg Grupp*, Kulturgeschichte der Römischen Kaiserzeit, II Band, Anfänge der christlichen Kultur, München 1904. *Dr. Th. Borret*, De christenslavin in dienst bij heidensche meesters gedurende de eerste drie eeuwen. Verslagen en Mededeelingen (afd. Letterkunde), 2e Reeks, D. VIII. A. *Bigelmair*, Die Beteiligung der Christen am öffentlichen Leben in vorconstantinischer Zeit, München 1902. *Duchesne*, Origines du culte chrétien, 3ième éd., Paris 1903. *Hefele*, Über den Rigorismus in dem Leben und den Ansichten der alten Christen in Beiträge zur Kirchengeschichte u. s. w. I, 16 sq. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'église, Tom. I—II, Paris 1906—1907.

1<sup>o</sup>. Ad praescriptum Apostoli: *conversatio nostra in caelis est*<sup>1)</sup> christiani magni faciebant **orationem**, de qua praecipui doctores egregias elucubrationes tradiderunt<sup>2)</sup>. In frequenti usu erat *Pater Noster* multumque commendabatur<sup>3)</sup>. Jam Tertullianus mentionem facit de *horis orandi*, indicans *tertiam*, *sextam* et *nonam* horam, item matutinam et vespertinam, horam epulandi et lavandi<sup>4)</sup>. Magno honore habebatur signum crucis: „*Ad omnem progressum*, idem Tertullianus ait, *atque promotum*, *ad omnem aditum et exitum*, *ad calciatum*, *ad lavacra*, *ad mensas*, *ad lumina*, *ad cubilia*, *ad sedilia*, *quaecumque nos conversatio exercet*, *frontem crucis signaculo terimus*<sup>5)</sup>. Dici de illis poterat: „*in terra degunt sed in caelo civitatem suam habent*“<sup>6)</sup>. Genibus flexis orabant in signum paenitentiae; plerumque tamen stantes, brachiis extensis, praesertim Paschatis tempore<sup>7)</sup>. Hoc gestu depictedos videmus in catacumbis *orantes*, qui tantum ter occurrunt genuflexi<sup>8)</sup>.

2<sup>o</sup>. Nec mirum propterea floruisse apud fideles **virtutes christianas**, ad quas discendas et exercendas patres quoque numquam

<sup>1)</sup> Ad Phil., III, 20.

<sup>2)</sup> Cf. celeberrimos de oratione tractatus Tertulliani, Origenis et Cypriani.

<sup>3)</sup> *Tert.*, De orat., c. I—VIII. *Didache*, c. 8.

<sup>4)</sup> De orat., c. 25.

<sup>5)</sup> *Tert.*, De corona, c. 3.

<sup>6)</sup> Ep. ad Diogn., c. 5.

<sup>7)</sup> *Tertul.*, De orat., 23.

<sup>8)</sup> J. Wilpert, die Malereien der Katakomben Roms, Freiburg 1903, cap. 6. p. 111—116.

non exhortabantur<sup>1)</sup>. „*Amant omnes*, ita scribit auctor epistolae ad Diogenetum, et omnes eos persequuntur. Ignorantur et condemnantur; morte afficiuntur, et vivificantur. Mendici sunt et ditant multos; omnibus rebus indigent, et omnia illis redundant. Dedecorantur, et inter dedecora afficiuntur gloria; fama eorum laceratur, et justitiae eorum testimonium perhibetur... Quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani”<sup>2)</sup>.

Quae quidem vita moralis magno momento fuit ad integratatem **matrimonii**. Id nimirum erat christiano symbolum unionis Christi cum Ecclesia, magnum sacramentum, indissolubile vinculum<sup>3)</sup>. Sanctificabatur id vinculum ab Ecclesia, ea benedicente constringebatur. „*Matrimonium, Tertullianus inquit, ecclesia conciliat, confirmat oblatio et obsignat benedictio et obsignatum angeli renuntiant et Pater ratum habet*”<sup>4)</sup>. Alterae nuptiae, quas Paulus in quibusdam rerum adjunctis suaserat<sup>5)</sup>, aut certe permiserat<sup>6)</sup>, postea non quidem reprobabantur, ferebantur tamen aegre<sup>7)</sup>. Dissuadebat Ecclesia, quin etiam vetabat connubia cum ethnicis. Conjugium ante conversionem initum validum manebat, dum ethnica pars vellet in pace vivere neve pellicere ad deserendam fidem. Secus *casus apostoli* applicandus erat<sup>8)</sup>.

Alter fructus animi, christiana virtute imbuti fuit **caritas fraterna** et beneficentia. Aetate Apostolica erant omnes corde uno, anima una, vivebantque communicantes invicem bona. Aderat curatio pauperum et frequenter collectae pro egentibus fiebant. „*Qui animo animaque miscemur, ait Tertullianus, nihil de rei communicatione dubitamus*”, et Justinus „*qui habent, indigentes adjuvant; et assidue alii cum aliis sumus*”<sup>9)</sup>

<sup>1)</sup> Notentur celeberrima: Didache, Paedagogus Clementis Alexandrini, plures tractatus Origenis et praesertim opera S. Cypriani moralia: De mortalitate, De opere et eleemosynis, De bono patientiae, De zelo et labore, De habitu virginum, de exhortatione martyrii.

<sup>2)</sup> Cap. V. vide praesertim c. VI pulcherrimam hujus ultimae sententiae explanationem.

<sup>3)</sup> Eph., V, 32; I Cor., VII, 10 sq; Marc., X, 6—9.

<sup>4)</sup> Ad uxorem II, 9. Cf. De anima, c. 11 et *Ignatius*, Ep. ad Polyc., c. 5.

<sup>5)</sup> I Cor., VII, 9.

<sup>6)</sup> Rom., VII, 2—3.

<sup>7)</sup> *Athenag.*, Apol., c. 33 sq. *Clem. Alex.*, Strom., II, 23; III, 11—12.

<sup>8)</sup> *Cypr.*, De lapsis, c. 5; I Cor., VII, 15.

<sup>9)</sup> *Tertul.*, Apol., 89; *Just.*, Apol. I, c. 67.

,,In urbe autem, inquit Dionysius, occultarunt se ut fratres invisant presbyteri... Diaconi vero post illos qui morbo consumpti sunt superstites: Faustus, Eusebius, Chaeremon. Eusebius, inquam, quem Deus jam inde ab initio roboravit impulitque, ut confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet; utque consummatorum ac beatorum martyrum cadavera non sine capit is sui periculo sepeliret... Deus ex alacritate ac benignitate fratrum solatium assidue praestat afflictis"<sup>1)</sup>). Christiani alii alios appellabant dulci nomine fratrum et sororum. Ethnici mirantes: „*vide, inquiebant, ut invicem se diligant*”<sup>2)</sup>). Sponte quoque consequitur, dum tanta vigeret caritas et benevolentia vel erga minimos christianos, multo leviorem fuisse conditionem servorum<sup>3)</sup>.

3º. In **vita publica** usitato more se gerebant christiani<sup>4)</sup>. „Nullum fructum, scribit Tertullianus, operum ejus (Dei) repudiamus, plane temperamus ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris ceterisque commerciis coabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobis-cum et militamus et rusticamur, et mercatus proinde miscemus, artes, opera nostra publicamus operi vestro<sup>5)</sup>.“ Attamen *infructuosi in negotiis* appellabantur christiani, eo quod pericula publicae vitae ethnicorum minime adibant, sed pro se ipsis vivebant. Universa ethnicorum vita familiaris et domestica erat conjuncta cum idolorum cultu: spectabantur ubique idola, audiebantur undique carmina sacrificalia; tempore festo ornabantur aedes publicae; omni occasione exigebantur juramenta per deos.

Magis etiam christiani defugiebant **theatrum, privatum consistorium impudicitiae**<sup>6)</sup>. Quum ad fidem convertebantur histriones, hoc genus vitae deserere debebant. Quod prae reliquis a gladiatoriis exigebatur. Fugitabant corporis nimium cultum: inaures, capillos alienos, coloratos crines, oculos, genas, vana haec et

<sup>1)</sup> *Dion. Alex.* apud *Eusebium*, H. E., VII, 11. *Lallemand*, Histoire de la charité, Tom. II, Paris 1903.

<sup>2)</sup> *Tertull.*, *Apol.*, 39.

<sup>3)</sup> *Harnack*, Mission und Ausbreitung, cap. IV.

<sup>4)</sup> *Epist. ad Diogn.*, c. 5. *E. von Dobschütz*, Die urchristlichen Gemeinde. Sittengeschichtliche Bilder, Leipzig 1902.

<sup>5)</sup> *Apologeticum*, c. 42.

<sup>6)</sup> *Tertul.*, *De spectaculis*. *Clem. Alex.*, *Paedagogus*, III, 11.

corruptionis instrumenta existimantes. Floribus uti ad ornandum proprium corpus aut sepulchra, vulgo peccatum putabant. Quae ethnica et sensualitatem orentia ornamenta etsi vetabantur, licita tamen non negligebant. Quod probant quae pretiosa inventa sunt in catacumbis. Ludis aleariis poena erat proposita<sup>1)</sup>. Relaxationem utilem Patres laudabant. Clemens Alexandrinus adhortatur ad venationem, pescationem, pilae lusionem et exercitationem gymnasticam; has exercitationes salubres, ingenuas et viriles appellat<sup>2)</sup>.

**Militia** manebat licita, quamquam ejus quoque haud raro temperantia fuit necessaria et qui severius statuebant, militiae nomen dare vetuerunt<sup>3)</sup>. Primus reclamavit Tatianus<sup>4)</sup>, bellum non minus illicitum quam caedem dicens. Praesertim tamen reclamitavit Tertullianus. Neque ipse tamen neque Origenes pulcherrimo sermone potuerunt argumentationis vitia velare<sup>5)</sup>. Horum mentem secutus est auctor *Testamenti Domini*<sup>6)</sup>, et aliae variae in variis locis particulares ordinationes ecclesiasticae<sup>7)</sup>. Ecclesiae tamen judicium non adeo severum, praeter quam si adesset proximum peccandi aut fidem deserendi periculum. Unde factum est, ut multi semper christiani militarint ac multum doctrinae christianaee dispergenda contulerint. Numerosi sunt militares in catalogis Sanctorum et Martyrum.

4º. Perfectioni in vita christiana incumbebant **Ascetae**. Hi posuerunt fundamentum, cui postea vita religiosa superaedificata est. Voto castitatis corpus Deo dicabant; abstinebant saepe carnibus et vino; multi bona sua egentibus erogabant, in paupertate viventes, nonnulli domi cum familiaribus, alii in aedibus separatis soli vel una cum pluribus. Vestitu peculiari utebantur. Libenter Ecclesia ex eorum numero eligebat sacerdotes. Cele-

<sup>1)</sup> Adv. Aleatores; Synod. Illib.,<sup>7</sup> Can. 79.

<sup>2)</sup> Paedag., III, 10. Cf. Hefele, Zur Archaeologie des häuslichen und Familienlebens der Christen, in Beiträge, II, 331 sq.

<sup>3)</sup> Minut. Fel., Octavius, c. 37. Tertull., De corona milit. Cf. J. W. van Heeswijk. De eerste christenen en de krijgsdienst. Geschiedk. Bladen, Afl. 1. Amsterdam 1905. Harnack, Militia Christi, Leipzig 1905. Vacandard in Revue prat. d'Apologétique, Tom. II (1906), p. 337—349; 359—413.

<sup>4)</sup> Oratio ad Graecos, 19.

<sup>5)</sup> Contra Celsum, V, 33; VIII, 73; III, 15.

<sup>6)</sup> Ed. Rahmani, p. 115.

<sup>7)</sup> Aegypt. Kirchenordnung, ed. Achelis, p. 81. Canones Hippolyti, ed. Achelis, 82.

berrimi episcopi et doctores, e. c. *Origenes*, ad eos pertinuerant. *Hieracas* Scholae Alexandrinae magister congregavit exeunte saeculo tertio ascetarum coetum, qui una communem vitam agebant. Alii recedebant in desertum, e. c. *Narcissus* episcopus Hierosolymitanus<sup>1)</sup>. Quorum **eremitarum** celebrissimus fuit *Paulus Thebanus*, qui priore dimidia parte saeculi tertii secedens in desertum, nonaginta annos orationi et poenitentiae dedit<sup>2)</sup>, deinde *Antonius* qui aliquanto serius secessit et factus est monachorum pater. Persequente Ecclesiam *Dio-cletiano* grandis factus est eremitarum numerus.

Etiam **virgines Deo dicatae**<sup>3)</sup> vitam eremiticam ducebant, et coram episcopo votum castitatis nuncupabant. Vivebant autem solae aut una cum pluribus, regebanturque a sacerdote. Viduae nonnullae et virgines consortium aliquod spirituale iniebant, sibique in tutelam sumebant virum aliquem, monachum vel clericum, qui cum ipsis habitaret. Non potuit tamen hoc agi per longum tempus sine suspicione. Quare jam saeculo tertio improbatum est et postea saepius vetitum<sup>4)</sup>, ne conviverent clerici et *virgines subintroductae*.

Etsi propria vita monastica nondum ea aetate exstiterit, tamen vestimenti genus peculiare jam inchoabat esse in usu: flammeum et vestes oblongae e panno modesto. Jam antiqua aetate usus affuit praesecandi partim crines et velandi virgines<sup>5)</sup>. Quam virginum vitam multi patres celebrarunt, praesertim *Methodius Olympiacus* suo *Symposio decem virginum*<sup>6)</sup>. Occupabantur virgines exercitiis religionis et caritatis. Adeoque in tanto morum discrimine tantisque persecutionibus christianismus invictum suum ostendit in omnes humanae societatis ordines influxum.

<sup>1)</sup> *Euseb.*, H. E., VI, 9 sq. *Duchesne*, Hist. anc. de l'église, Tom. II, p. 485 sq.

<sup>2)</sup> *Hieron.*, Vita S. Pauli. Act. SS. d. 15 Jan. *Dom Butler*. The Lausiac history of Palladius. Tom. VI, texts and studies of Cambridge 1898—1904.

<sup>3)</sup> *Wilpert*, Die Gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderten der Kirche, Freiburg 1892 et Die Malereien der Katakomben Roms, p. 204 sq. *H. Koch*, Virgines Christi. Die Gelübde der Gottgeweihten Jungfrauen in den ersten drei Jahrhunderten, Leipzig 1907.

<sup>4)</sup> *Cypr.*, Ep. ad Pomp., 4; *Euseb.*, H. E., VII, 30; *Synodus Illib.*, Can. 27. *H. Achelis*, Virgines subintroductae, Leipzig 1902. *Bibl. Zeitschr.* 1905, III, p. 44—69. *Duchesne*, Hist. anc. de l'Egl., Tom. I, p. 517. *H. P. Ladeuze*, Revue d'hist. Eccl., Tom. VI (1905), p. 58—62.

<sup>5)</sup> *Cypr.*, De habitu virg., et *Tertull.*, De velandis virginibus.

<sup>6)</sup> *Bardenhewer*, Patrol. (1 ed.) p. 171.

### § 20. Oratoria, imagines, coemeteria.

*F. X. Kraus*, Geschichte der christlichen Kunst, I, Freiburg 1896.  
*Kirsch*, Das christliche Cultusgebäude im Altertum, Köln 1893. *F. X. Funk*, Der Canon 36 von Elvira, in Abh. u. Unters., I, 346 sq. *Lehner*, Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten, Stuttgart 1881. *Wilpert*, Die Malereien der Katacomben Roms mit 267 Tafeln und Abbildungen im Text, Freiburg 1903. *De Rossi*, La Roma sotterranea, Roma 1864 sq. *Kaufmann*, Die sepulchralen Jenseits-Denkäler der Antike und des Urchristenthums, Mainz 1900. *Idem*, Handb. der christlichen Archeologie, Paderborn 1905. *Duchesne*, Hist. anc. de l'église, Paris 1906, Tom. I p. 381 sq. *E. Neubert*, Marie dans l'Eglise anténicéenne, Paris 1908. *Dom H. Leclercq*, Manuel d'Archéologie chrétienne, Paris 1907.

1<sup>o</sup>. Primū christiani orationibus incumbebant in templo Hierosolymitano et Apostoli praedicabant in porticu Salomonis<sup>1)</sup>, fractio autem panis agebatur in domibus<sup>2)</sup>. Ephesi ad id adhibebatur domus Aquilae et Priscillae<sup>3)</sup>. In urbe Roma traditio designat ejusmodi **domos orationis** Pudentis senatoris, Lucinae, Eutropiae, Anastasiae et Caeciliae.

Quum autem accresceret numerus fidelium, suarum aedium basilicas divites offerebant, ut Antiochiae basilicam Theophilii, Romae basilicam Siginini, *aedes egregias Lateranorum*, quo loco postea basilica S<sup>i</sup> Joannis Lateranensis est aedificata. Saeculo tertio multae civitates suas habebant domos orationis, quae erant bona coetum christianorum. Memoriae traditum est, fuisse ejusmodi ecclesias Edessae, Caesareae et alibi. Narrat Eusebius labente saeculo tertio exstisset in singulis civitatibus amplas ecclesias, persecutione Diocletiani dirutas<sup>4)</sup>. Haud raro quoque fiebant sacra in catacumbis, etsi angustus locus aegre tantum fidelium numerum continere poterat.

Exedra seu basilica, in qua Sacra mysteria agebantur, oblonga erat, plerumque ad orientem spectans. Ibi altare<sup>5)</sup>, sedes epis-

<sup>1)</sup> Act. Apost., III, 1; II, 46; III, 11; V, 12.

<sup>2)</sup> Act., II, 46.

<sup>3)</sup> 1 Cor., XVI, 9.

<sup>4)</sup> H. E., VII, 15; VIII, 1, 2; VII, 30—32. *Lact.*, De mort. persec., c. 12. Cf. *Kraus*, I, 271 sq. Praesertim Didaskalia übersetzt und erklärt von *H. Achelis* und *J. Flemming*, Leipzig 1904, p. 284—285.

<sup>5)</sup> *D. H. Leclercq*, Art. *autel* in Dict. d'Arch. chrét. et de Lit. *F. Wieland*, Mensa und Confessio. Studien über den Altar der altchristlichen Liturgie, München 1906.

copi et presbyterorum sedilia erant collocata. In medio spatio viri et mulieres, poenitentes et catechumeni sua habebant singuli loca. Praecedebant mulieribus viri, poenitentibus et catechumenis feminae. Ubi spatium angustum erat, juniores consistere debebant<sup>1)</sup>. Cubicula orientalia basilicae, *pastophoria* nuncupata, partim occupabantur a clericis, partim servandis *oblatis* et utensilibus inserviebant.

2º. Prima illa oratoria non videntur fuisse splendide ornata. Tamen, primos christianos a fingendis imaginibus abhorruisse, jam diu inter fabellas est relatum. Etsi enim prima christiana oratoria oborta sint inter Judaeos, qui ex Mosaicae legis praescripto<sup>2)</sup> erant animo alieni ab imaginibus, quamquam postea scriptores ecclesiastici nonnulli, *Tertullianus*<sup>3)</sup>, *Eusebius*<sup>4)</sup> aliqui pauci usum imaginum reprobarunt, quin etiam quamvis synodus Illiberitana (306) definisset: *placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur*, tamen a primis saeculis artes christiana floruerunt. *Tertullianus* Montanista, *Eusebius* Semi-Arianus mentem Ecclesiae non sunt secuti, Asterius solam Christi effigiem, Nilus nimium splendorem improbarunt. Synodi Illiberitanae Canon nitebatur locorum adjunctis vel in *disciplina arcani*<sup>5)</sup>. Quae dein majorem probandi vim habent quam reliqua omnia argumenta, ea sunt, quae recentiore tempore viri docti invenerunt, praesertim Reverendissimus Wilpert. Ex iis enim luce clarius patet, jam primis omnino temporibus arte christiana fuisse perfecta opera vere admiranda. Id praecipue in catacumbis elucet, pictas effigies habitas fuisse fovendae pietatis egregia adjumenta. Etenim Ecclesiae Romanae usus, reliquarum ecclesiarum norma perpetua, ingentem ibi effigierum et imaginum copiam posteritati servavit.

Quamvis **sculptura** minus culta fuerit quam pictura, certo tamen plurima opera sculptilia deperdita sunt. Cujus rei argumentum sunt imagines notae *boni pastoris*, statua Hippolyti

<sup>1)</sup> Vide descriptionem in Syrische Didask., p. 284—285. et Const. Apost., II, 57; Cf. VIII, 13.

<sup>2)</sup> Exod., XX, 4; Deut., V, 8.

<sup>3)</sup> De idolol., c. 3, 8; De pudicitia, c. 7, 10.

<sup>4)</sup> Niceph. Gregoras, Hist. Byz., XIX, 3.

<sup>5)</sup> Hefele, Conc., I, 170. De Rossi, Roma sotter., III, 475; H. Nolte, Sur le 36 Canon d'Elvire, Revue des scienc. eccl., 1877.

saeculo tertio<sup>1)</sup>, sarcophagi, lampades, opera vitrea inaurata, variis imaginibus caelata<sup>2)</sup>.

**Picturae** vero opera valde multa supersunt<sup>3)</sup>. Frequentiores effigies sunt: piscis, agnus, aries, gallus, pavo, leo; — oliva, vitis, palma, lily; — cithara, navis, anchora, candelabrum septiforme, calix, panes; — Adam et Eva, arbor cum serpente, diluvium, Noach in arca, Abraham, Moses percutiens petram, David funda armatus, Elias in caelum vectus, Jonas, Daniel in lacu leonum, Tobias cum pisce; — magorum adoratio, Jesus in medio doctorum legis, effigies baptismi, Lazarus ab inferis revocatus, sanatio paralytici, multiplicatio panum, baptismus Christi; — apostoli, praesertim Petrus et Paulus, B. Virgo *orans*, vel brachiis gestans puerulum Jesum cum juxtaposito Isaia propheta<sup>4)</sup>, bonus Pastor ovem gestans humeris, Orpheus, virgines Deo dicatae, celeberrimi martyres etc. Inveniuntur igitur non solum symbolicae et allegoricae effigies, sed etiam *mysteria* vitae Christi et B. Virginis. Insignis appareat similitudo inter vetustas illas catacumbarum effigies et Veteris Novique Testamenti documenta, quae produntur in ejusdem aetatis Ecclesiae orationibus<sup>5)</sup>. Operum autem valor artificiumque decrescit decrescente paulatim Romana arte. Generatim vetustiora pulchriora sunt possuntque comparari cum operibus tectoriis ethnicorum artificum ejusdem temporis. Quamvis vero pulchritudine artificioque imagines saeculo secundo decrescant, mirandum tamen est, pictores adeo angustis temporum locorumque adjunctis opera tantae artis ac perfectionis potuisse effingere. Celeber ille *bonus pastor* in Lateranensi Musaeo, opera coelata in Damo el Karita Carthagine, veteres picturae in catacumbis S. Gennaro dei Poveri Neapoli et S<sup>ae</sup> Domitillae Romae perfectionem optimorum Graeco-Romanae artis operum assequuntur.

Non autem, inquit Wilpert, conabantur his picturis artifices

<sup>1)</sup> Grisar, Anal. Rom., 636.

<sup>2)</sup> Kraus, Geschichte der christlichen Kunst, I, p. 224—226.

<sup>3)</sup> Apud De Rossi, Garrucci, Wilpert, Grisar etc. Cf. R. S. Bour, art. Art chrétien primitif, in Dict. de Théol. cath.

<sup>4)</sup> Vetustissima, quae nota est, B. Virginis effigies ineunte saeculo secundo fuit picta.

<sup>5)</sup> K. Michel, Gebet und Bild in frühchristlicher Zeit, apud Ficker, Studien über christliche Denkmäler, N. F. Leipzig 1902. Kaufmann, Christliche Archäologie, Paderborn 1905, pag. 277 sq.

populum docere, sed incitare ut precarentur pro mortuis, quorum sepulchra imaginibus Christi sanctorumque ornaverant<sup>1)</sup>.

3º. Operibus artis ornata hoc modo **coemeteria**, ubi cantantes psalmos et hymnos christiani mortuorum corpora honorifice sepeliebant, ex eo sunt constructa quod cum' veneratione tractari vellent eos qui obdormierant in Christo. Singuli fere coetus sua habebant coemeteria<sup>2)</sup>.

Quaeritur autem quo pacto haec coemeteria tuta esse potuerint. Vulgo respondent cautum fuisse lege de *collegiis fratrum*. Opponunt autem alii, christianos multum aversatos fuisse haec collegia<sup>3)</sup>, eaque censenda esse obtemperasse senatus-consulto, vetanti societates illicitas, quibus certe annumerandi erant christiani coetus. Dein haec collegia paucorum hominum fuerunt. Coetus autem christiani Romae, Alexandriae, Carthagine, qui saeculo tertio 40 aut 50 millia numerabant, difficile poterant collegio fratrum tutari. Rerum naturae magis consentaneum videtur, Ecclesiam temporibus pacis, quae hinc inde satis diurna fuerunt, sibi res immobiles comparasse, earumque dominium retinuisse. Praesertim saeculo tertio imperatores aut persecuti sunt christianos aut omnino quiete vivere siverunt. Sinere autem eos vivere idem fuit ac permittere eorum societatem. Nonnumquam tamen neque coemeteria fuerunt tuta<sup>4)</sup>.

Nonnulla coemeteria supra solum aedificata sunt, alia infra solum in rupibus excavata. Horum multa supersunt in Italia, Hispania, Gallia, Germania, Austria, Africa etc. Celeberrimae sunt **Catacombe** Romanae, quarum vetustissimae Domitillae et Priscillae primo saeculo exstructae sunt. Saeculo secundo et postea adjunctae sunt Praetextati, Lucinae, San Callisto et aliae multae. Constant autem catacombe cuniculis vel mesaulis et cubiculis, in quibus sepeliebantur corpora sarcophagis inclusa in sepulcris e rupe excavatis, frequentius

<sup>1)</sup> J. Wilpert, Malereien der Katakomben, Text, p. 160—161.

<sup>2)</sup> Cf. edicta restitutionis apud Euseb., VII, 13; X, 5.

<sup>3)</sup> Tertull., Apol., 39; Cyprian., Ep. 67, N. 6. Cf *de Rossi*, Roma sotterr., I, p. 101—108; III, 473—475; P. Allard, Hist. des persécutions, II, ch. 1; Le christianisme et l'empire Romain, p. 76—89. Econtra J. P. Waltzing, Les corporations de l'ancienne Rome et la charité. Congrès internat. d. cath., Bruxelles 1895.

<sup>4)</sup> Duchesne, Hist. anc. d. l'Egl., I, 381 sq.

sine sarcophagis in sepulchris tantum; nonnumquam includebantur sarcophagi in *arcosoliis*. Occludebantur sepulchra laminis marmoreis vel lapideis aut muro latericio, quibus piae magnificaeque saepe inscriptiones incidebantur. Referunt autem illae nomen, aetatem et mortis diem, petunt preces pro animae quiete, vel continent pia vota vitam aeternam spectantia<sup>1)</sup>. Desunt autem signa doloris spe orbati. Cuncta demonstrant, christianos sibi fide supernaturali persuasum habuisse defunctorum animas quiescere in Christo, pro quo vitam egerant plenam pressuræ et persecutionis, multi quoque sanguinem suum profuderant. In his venerabilibus locis et supra sepulcra martyrum<sup>2)</sup> offerebatur S. Missae sacrificium, tum praesertim quum propter persecutiones exortas oratoria tuta non erant. Quod probant tum quae ibi inventa sunt altaria et sedes episcopales tum ipsa locorum structura, atria, sacella, absides<sup>3)</sup>.

Exeunte saeculo quarto paulatim cessarunt sepelire in catacumbis; diu tamen perrexerunt ornare eas et visitare. Quum autem regionem Romae propinquam et catacumbas diruerent Longobardi, Summi Pontifices saeculo octavo praecipuas sanctorum reliquias in urbem transtulerunt. Ab eo inde tempore catacumbæ occlusæ et oblivioni fuerunt datae, donec saeculo decimo sexto ab Ant. Bosio<sup>4)</sup> et nostro tempore a de Rossi<sup>5)</sup> aliisque iterum apertæ sunt. In explicandis pictis imaginibus, quae in coemeteriis Romanis inveniuntur, optime præ reliquis meruit J. Wilpert<sup>6)</sup>.

4º. Ultimis tribus saeculis valde multæ reliquiae e catacumbis extractæ ecclesiis variis, praesertim meridionalis Europæ erogatae sunt. Depictæ palmae et apposita vasa cum sanguine habebantur signa martyrii. Quod decreto suo 10 Aprili 1668 *Congregatio rituum* approbavit. Iterum atque iterum tamen viri docti moverunt dubia. Plurimum animos commovit

<sup>1)</sup> In Pace; in Christo vivas; Pete pro nobis; vivis in gloria etc. etc.

<sup>2)</sup> Rom. sott., III, 489 sq. Cf. tamen *Wieland*, Mensa und Confessio, München 1906.

<sup>3)</sup> *De Rossi*, Rom. sott., III, 478 sq.

<sup>4)</sup> Roma sotterr., Opera postuma etc. Roma 1632 Cf. *Henri de l'Epinois*, Les catacombes de Rome, nouvelle édition revue et augmentée de plusieurs appendices par Paul Allard, Paris-Bruxelles 1896.

<sup>5)</sup> La Rom. sott., Roma 1864 sq.

<sup>6)</sup> Die Malereien der Katakomben Roms, Freiburg 1903.

doctissimum opus V. *de Buck S. J.*<sup>1)</sup>. Cujus quidem haec sunt argumenta: fere omnia martyrum corpora a Summis Pontificibus Paulo I et Paschali I e catacumbis elata sunt. In quorum sepulcris vasa cum sanguine sunt inventa, eorum quinta pars corpora sunt infantium infra aetatem septennem. Tot autem infantes necati non sunt. Apud multos post Constantini aetatem sepultos inventae sunt phialae, quin etiam frequentius quam in priorum temporum sepulcris. Multis ejusmodi sepulcris inscriptum est monogramma Christi, quod doctorum virorum judicio primum a Constantino usurpatum fuit. Nec traditio neque inquisitio facta, observato rerum usu, probant in solis martyrum sepulchris esse phialas. Quae inquisivit Leibnitz probandi vim non habent. Videtur usus fuisse ponendi in sepulcris vasa cum S. Eucharistia sub specie vini. Quod probare videtur vasorum forma et id quod desedisse in phialis inventum est. Pro martyrum sanguine alterius formae vasis utebantur, quae facile dignoscuntur. Haec doctus auctor in opere citato. Concludebat inde, phialas inventas non esse signum irrefutabile martyrii. Quo facto mirandum non est, institutum esse delectorum virorum cardinalium, praelatorum, clericorum et doctorum concilium. A quibus cum esset res indagata denuo, Congregatio ritum 10 Dec. 1863 statuit, decretum anni 1668 non esse mutandum. Quod decretum constabat his verbis: *Cum de notis disceptaretur, ex quibus verae martyrum reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint; eadem S. Congregatio censuit Palmam et Vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse*<sup>2)</sup>). Anno 1872 in coemeterio S. Saturnini ad Viam Salariam vas est inventum, quod, chemica inquisitione facta, verum sanguinem continere ostensum est<sup>3)</sup>). Quater insuper jam antea, verisimili conjectura, sanguis in phialis inventus fuerat<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> De phialis rubricatis, quibus martyrum Romanorum sepultra dignosci dicuntur observationes, V. D. B., Bruxellis 1855.

<sup>2)</sup> F. X. Kraus, Die Blutampullen der Röm. Katakomben, Frankfurt 1868. Ueber den gegenwärtigen Stand der Frage nach dem Inhalte und der Bedeutung der Röm. Blutampullen, Freiburg 1872.

<sup>3)</sup> De Rossi, La Roma sotterr., III, 707—717.

<sup>4)</sup> Kraus, Roma Sotterranea, Freiburg (2<sup>e</sup> ed.) 1879, p. 514 sq. D. H. Leclercq Art. Ampoules de sang, Dict. d'Archéol. chrét. et de Lit.

## CAPUT QUINTUM.

### EXPLICATIO DOCTRINAE ECCLESIASTICAE ADVERSUS HAERESES. SCIENTIA ECCLESIASTICA.

§ 21—§ 22.

#### § 21. Haereses et doctrinae ecclesiasticae explicatio.

*Schwane*, Dogmengeschichte, Tom. I, Vornicenische Zeit, 2 ed., Freiburg 1892. *Tixeront*, Hist. des dogmes, I, La théologie anténicéenne, 4<sup>e</sup> éd., Paris 1907. *Harnack*, Dogmengeschichte, Leipzig 1891. *Hilgenfeld*, Ketzergeschichte des Urchristentums, Leipzig 1884. *Ermoni*, l'Ebionitisme dans l'Eglise naissante in Revue des quest. hist., 1899, p. 481 sq. *Hagemann*, Die Römische Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in den drei ersten Jahrhunderten, Freiburg 1864. *Lipsius*, Der Gnosticismus, sein Wesen u. s. w. in *Ersch und Gruber*, Tom. 71, Leipzig 1800. *Herzog*, Realencyclopaedie, in v. *Hefele*, Conciliengeschichte, Tom. I, 135 sq. *E. Faye*, Introduction à l'étude du gnosticisme au II et au III siècle, Paris 1903. *Duchesne*, Hist. anc. de l'Eglise, Paris 1906, Tom. I, p. 153 sq. *E. Buonaiuti*, Lo Gnosticismo. Storia di antiche lotte religiose, Roma 1907. *Bardenhewer*, Patrologie; Gesch. der altkirchl. Lit. *Ginoulhac*, Histoire des dogmes chrétiens pendant les trois premiers siècles, 3 volumes, 2<sup>e</sup> éd., Paris 1855.

1<sup>o</sup>. Christus positus est in signum cui contradicetur<sup>1)</sup>. A primordiis Ecclesia socia fuit hujus contradictionis Christi. Quod quidem ostendunt non solum persecutio[n]es, verum etiam errores et haereses, a filiis ejus contumacibus inde a primis temporibus inductae<sup>2)</sup>. Tales fuerunt Hymenaeus et Philetus<sup>3)</sup>, Nicolaitae quoque a Joanne in *Apocalypsi*<sup>4)</sup> et Do-

<sup>1)</sup> Luc., II, 34.

<sup>2)</sup> 2 Petr., II, 1 sq. I Tim., I, 4; IV, 3; IV, 7; VI, 20; I Cor., XV, 32.

<sup>3)</sup> II Tim., II, 17.

<sup>4)</sup> Apoc., II, 5, 14—15.

cetae ab eodem *epistolis* suis oppugnati<sup>1)</sup>; **Cerinthus** quem **Joannes** *Evangelio suo*<sup>2)</sup> refutat et **Simon Magus**. Is Samaria oriundus et ex *Actibus Apostolorum* notus<sup>3)</sup>, a scriptoribus ecclesiasticis *haeresum pater* appellatur. Docebat Simon emanationem. E Deo emanat *Ennoia*, ex hac spiritus prodeunt creantes, qui matrem suam in materiam incluserunt. Quae *Ennoia* tum inerat in **Helena** *Tyrensi*, quam ut liberaret Simon venit. Nuncupabat se ipse *Dei virtutem*, quae redimit mundum. Ad salutem comparandam docebat solam fidem in ipsum et in **Helena** sufficere<sup>4)</sup>.

2º. **Ebionitae** fuerunt Judaeo-christiani, qui expedire se a lege Mosaica nolebant. **Hegesippus** narrat Thebutim quemdam, invidia motum in **Simeonem**, secundum episcopum Hierosolymitanum, sectam efformasse, quae ante urbem dirutam cum reliquis christianis Pellam aufugit. Agnoscebant hi Christum Messiam, vivebant autem prorsus Judaico more. Post breve tempus multi eorum Christum solum hominem credebant. Has vocat **Epiphanius** Ebionitas; illos autem qui mirabilem Christi nativitatem e Virgine et Spiritu Sancto et Christum Deum esse profitebantur<sup>5)</sup>, **Nazaraeos** appellat. Hoc tamen vocationis discrimen constans non fuit, ita ut alternis nominibus haeretici illi nuncupentur<sup>6)</sup>. Unde nomen sit ductum, incertum est<sup>7)</sup>.

3º. Judaizantes christiani fuerunt deinde, qui ab Elkasi ai quodam votati sunt **Elkasaitae**. Hi miscebant christianismum et Judaismum cum astrologia et magia, lotiones plurimas faciebant et Christum indigno nomine *aeon* vocabant. Una praecipua eorum doctrina fuit repetita incarnatio, praesertim

<sup>1)</sup> 2 Jo., IV, 2–3. Cf. *Ignat.*, Ad Smyrn., c. 2. Ad Trall., c. 9–10; Ad Ephes., 7–18. *Duchesne*, Hist. anc. de l'E., I, 66–84.

<sup>2)</sup> *Irenaeus*, I, 25; III, 3; III, 11.

<sup>3)</sup> VIII, 9–24.

<sup>4)</sup> *Irenaeus*, I, 23. De fabellis quae feruntur de Simone cf. *Harnack*, Gesch. der Altchr. Lit., I, 153–154.

<sup>5)</sup> *Hieronymus*, De vir. illustr., c. 33. Hujus scriptoris expositio videtur prae reliquis optime rerum veritati consentanea.

<sup>6)</sup> *Euseb.*, H. E., III, 27, 31; IV, 22; *Epiph.*, Adv. Haer., 30; Philosoph., VII, 34.

<sup>7)</sup> Cf. *Hergenröther-Kirsch*, I, 110, N. 2.

in Adamo et Christo<sup>1)</sup>. Ejusdem generis fuit haeresis **Clementinorum**<sup>2)</sup>. Docent enim *Homiliae* peccato revelationem esse obscuratam, sed denuo illustratam a vero propheta, qui apparuit in Adamo, Moyse et Christo. Lex autem Mosaica adulterata est, quae incorrupta non differt a christianismo. Creatio facta est emanatione. Quae vero vocantur *Recognitiones Clementinae* minus judaica sunt<sup>3)</sup>.

4º. **Gnosticismus** complectitur ingentem familiam errorum, qui omnes suo quique modo conati sunt orientis systemata philosophico-religiosa associare christiana doctrinae. Negantes doctrinam christianam creationis gnosti emanatione et dualismo exponunt incarnationem et redemptionem. Neque ethnicae mythologiae, mysteriis paganis, quin neque astrologiae deest in gnosticismo locus. Chaldae, Persae, Indi, Syri et Aegyptii sua conferunt ad perficiendum sistema deforme. Pro fide ponebant *Gnosin*, perplexam occultamque scientiam, qua qui imbuti essent, se ipsi solos scientes et perspicientes veram sapientiam i. e. *gnosticos* vocarent.

Sciscitabantur: si Deus infinite perfectus est, unde mala oriri possunt? Quomodo Deus, si purus spiritus est, creare potuit mundum corporeum? Unde bona et mala in homine, si Deus est infinite bonus et justus? Quae jam in Veteri Testamento his quaestionibus responsa fuerant, non censebant esse satis. Neque placuit iis illud, quod christiana doctrina responsum dat quaestioni: quomodo Christus Redemptor est mundi? Gnostici per se ipsos indagare responsum agressi sunt. Unde ingenti numero systemata exorta sunt, quae omnia emanatione et dualismo fundata, haec communia habent:

a. Supremus Deus (*βυθός ἀγνώστος*) fons est omnis perfectionis. Transitus ab hoc infinito ad finitum concipi nequit nisi Deus se restringat, se ipsum per partes concipiat. Quoties autem se concipit cogitantem, viventem, potentem, sapientem, sanctum, hi actus fiunt personae e Deo *emanantes*, decrescentes perfectione quo longius a fonte diffluent, manentes tamen cum divina essentia conjunctae. Vocantur *aeones* (*αἰών = sempiternus*) eo

<sup>1)</sup> Philosoph., IX, 13—17. *Epiph.*, 53.

<sup>2)</sup> Migne, P. G., Tom. 1—2. F. Nau, Art. Clementins (apocryphes) in Dict. de théol. cath.

<sup>3)</sup> Bardenhewer, I, 351 sq. Meyboom, De Clemensroman, Groningen 1904. Cf. Analecta. Boll., Tom. 24, p. 138—141.

quod, etsi inscii, ab aeterno sunt in Deo. Universitas aeonum, quorum numerus apud nonnullos gnosticos ad 365 assurgit, vocatur *πλήρωμα* seu plenitudo vitae divinae. Apud nonnullos haereticos aeones, bini et bini, masculini sunt et feminini sexus.

*b.* Ut ortum explicit mundi visibilis, admittunt alterum ens aeternum : **materiam aeternam** (*ὕλη*) aut, ut alii dicunt, regnum tenebrarum cum capite principe tenebrarum. Ex infimo aeone pleromatis particula aliqua vivificantis virtutis divinae incidit in materiam, aut, ut alii volunt, a principe tenebrarum vi abrepta fuit. Quo facto materia animata est. Ex hac *demiurgus* (formator mundi), quem alii multi inferiorem aeonem, alii ministrum principis tenebrarum dicunt, efformavit malum mundum corporeum et homines. Qui quidem tripartito divisi sunt : *pneumatici*, in quibus lumen e pleromate superat materiam (gnostici); *psychici*, apud quos lumen hoc et materia paribus ponderibus librata sunt (christiani); *hylici*, apud quos materia superat lumen pleromatis (ethnici). Demiurgus, qui formavit mundum et homines, est etiam mundi gubernator et Veteris Testamenti ad praeparandam hominum redemptionem institutor.

*c. Redemptio* opus est supremi Dei (*βυθός*) atque efficere sibi vult, ut luminis particulae, quae in laqueos materiae inciderunt, inde liberentur. Ad quod singularis *aeon* mittitur qui nomine *Σωτὴρ* vel *Christus* vel *Jesus* vel aliis vocatur. Multis sectis hic *aeon* longe a supremo distat, nulla eum vere hominem factum esse admittit. Juxta Alexandrinos hic *aeon* cum homine Christo se consociavit, quum is baptizaretur in Jordano. Syrii econtra, qui corporea penitus mala censebant, *aeonem* speciem tantum corpoream suscepisse docuerunt (**Docetae**). *Christus* autem gnosticum tradidit, ac praesertim adjumenta quibus materia vinci possit. Passio Christi, sive vere sive specie tantum facta, e nonnullorum mente, idem praestare voluit; alii contra censem eam a demiurgo procuratam, cupiente redemptionem impedire hominesque in sua retinere potestate. Redemptionis autem participes facti sunt pneumatici (gnostici); psychici (christiani) ejus aliquam spem, hylici (ethnici) vero nullam habent.

*d. Resurrectioni nec Christi nec hominum ullus est in hoc systemate locus.*

*e. Rerum omnium labentium finis erit omnium luminis particularum reditus in pleroma. Quo facto materia omnis seu*

regnum tenebrarum in mortem et tenebras abibunt. Quod appellabant ἀποκατάστασιν, omnium rerum redintegrationem.

f. Doctrina moralis varia fuit ex varia eorum de demiurgo sententia. Moderata fuit apud gnosticos Alexandrinos qui demiurgum Dei instrumentum putaverunt. Pie observabant matrimonium, cuius typum egregium suspiciebant in aeonibus binis associatis. Syriaca secta econtra demiurgum ejusque opus, rerum omnium naturam, Deo inimica arbitrabatur. Unde ii caeco rerum mundanarum odio fuerunt infecti, quod quidem alios impulit ad nimiam severitatem (**Encratitae**), alios ad despiciendas infringendasque omnes naturae morumque leges (**Antitacti seu Antinomistae**)<sup>1)</sup>.

Gnosticismus, jam inde ab Apostolorum aetate exortus, secundo et tertio saeculo ad summam explicationem eductus, ad finem saeculi quarti paulatim disparuit. Gnostici multi externe perseverabant pertinere ad Ecclesiam, volebantque fideles haberi, servantes sibi doctrinam suam esotericam quasi mysteria quaedem, conantesque alios ad eamdem admittendam adducere. Vulgo tamen scholas tantum, non vero coetus efformare valuerunt<sup>2)</sup>.

5º. **Praecipui Gnostici: Alexandrini: Basilides Hadriano imperante (117—138). Irenaeus<sup>3)</sup> et Philosophumena<sup>4)</sup> in referenda ejus doctrina non consentiunt. Videtur horum expositione verior.**

**Valentinus**, cui praesertim Tertullianus<sup>5)</sup> scripta opposuit, viginti annos Romae docuit. Admittebant Platonicum dualismum et aeones bipartitos. Ejus schola in duas sectas discriminata est, cui utrique adhaeserunt multi. Praecipuus e parte orientali sectae fuit **Bardesanes**, qui docuit Christum speciem tantum corporis assumpsisse, transiisse per uterum Mariae, non tamen fuisse ejus filium. Dualismum et emanationem non docuit, qua re a reliquis gnosticis discrepat<sup>6)</sup>.

6º. **Syriaci: Saturninus** altera secundi saeculi dimidia parte docuit. Ex eo contrarius est Deo satan, qui materiam gubernat.

<sup>1)</sup> Cf. G. Bareille, Art. Antinomisme et Antitacte in Dict. de théol. cath.

<sup>2)</sup> Hinc inde Marcionitae constituere coetus valuerunt.

<sup>3)</sup> I, 23.

<sup>4)</sup> VII, 20—27.

<sup>5)</sup> Adv. Valentinum Cf. Iren., I, 1—22. Philosoph., VI, 29 sq.

<sup>6)</sup> Cf. F. Nau, Art. Bardesane in Dict. de théol. cath. Rubens Duval, Anciennes littératures chrétiennes. La littérature Syriaque, Paris 1899, p. 241—248.

Planetae reguntur a septem spiritibus, quorum caput est Deus Veteris Testamenti. Hic est formator mundi. Cum sex aliis creat vermem, qui accepta a Summo Deo scintilla lucis fit homo<sup>1)</sup>. Secta haec a matrimonio et usu carnium abstinuit.

**Ophitae** adorabant anguem (*Ὥφις*)<sup>2)</sup>, eo quod serpens restitit *demiurgo* primamque *gnosin* mundo intulit. Ad horum partes pertinuerunt **Naasseni**, qui videntur tanquam ens summum venerasse anguem; **Perati**, qui transire se putabant per mundum (*περάν*) non perituros; **Sethiani**, qui Seth ut patriarcham pneumaticorum venerabantur; demum **Cainitae**, qui veneratione observabant omnes eos, qui in Scriptura, quae est demiurgi opus, pravi vocantur<sup>3)</sup>.

**Tatianus**, qui Romae Justinus discipulus fuerat, scripsit apologiam aliaque christiana opera; postea tamen, a fide deficiens, Encratitorum fuit auctor, qui matrimonii ususque carnium et vini abstinentes, in S. Missae sacrificio aquam pro vino usurpabant et ideo *aquarii* vocati sunt<sup>4)</sup>. Defunctum **Marcion** diu Tertullianus scriptis impugnavit. Fuerat autem **Marcion** christianus, qui excommunicatus propter incontinentiam gnosticis se adjunxit. Agnoscebat tria entia aeterna: bonum' Deum, justum Deum et pravam materiam<sup>5)</sup>. Ejus magister et antecessor fuit **Cerdo**<sup>6)</sup>. Antitactorum praecipui, qui jura legesque omnes contemptui habebant, fuerunt **Carpocrates** Alexandrinus ejusque filius **Epiphanes**<sup>7)</sup>, qui libidine confectus interiit et ut Deus honoratus est.

7º. **Manichaeismus**<sup>8)</sup>, qui etiam Persica gnosis vocari potest, tentavit dualismum Persicum consociare gnostico christianismo. Auctor ejus **Mani** fuit, qui anno 244, Persarum regis jussu, ignominiosa nece interiit.

Docuit entia duo esse aeterna; Deum' lucis et Deum tenebra-

<sup>1)</sup> *Iren.*, Adv. haer., I, 24. *Philosoph.*, VII, 28.

<sup>2)</sup> Cf. *Hergenröther-Kirsch*, I, 153—154 in annotatione.

<sup>3)</sup> Cf. *Dr. H. U. Meyboom*, De Ophieten, Theol. Tijdschr., 1904, pag. 136 sq. 197 sq. Nec tamen hic auctor quaestionem claram reddere potuit.

<sup>4)</sup> Opera *Tatiani* apud *Migne*, P. G., Tom. VI, p. 803 sq.

<sup>5)</sup> *Just.*, Apol. I, 26, 28. *Euseb.*, H. E., IV, 15, 17, 30, 31. *Tertull.*, Adv. Marc., *G. Bareille*, Art. *Aquariens* in Dict. de théol. cath.

<sup>6)</sup> *Iren.*, I, 27; III, 4. *Philosoph.*, VII, 27,

<sup>7)</sup> *Iren.*, I, 25; *Clem. Alex.*, Strom., III, 2; *Philosoph.*, VII, 32. *Epiph.*, XXVII, LII.

<sup>8)</sup> *Ermoni*, Manes et le Manichéisme, Revue des quest. hist., Oct. 1903. *Duchesne*, Hist. anc. de l'E., I, p. 556 sq.

rum, quibus utrisque adjuncta est series *aeonum*. Tenebrarum aeones impetum faciunt in regnum lucis. Tum Deus lucis creat hominem primordialem, eumque mittit in pugnam. Pars autem lucis, a pugnante desperdita, miscetur obscurae materiae, e qua aeon quidam efformat mundum. Quod quidem eo fine factum est, ut lucis particulae liberentur. E liberatis lucis particulis constant sol et luna (*Jesus imparabilis*), quae libertati restituent particulas lucis adhuc in materia inclusas (*Jesum patibilem*). Tum vero princeps tenebrarum creavit Adam et E�am, ut procreatione lux magis magisque in materiam dispergeretur. *Jesus patibilis* in terram descendit, ut homines doceret, haec duo esse regna et quodnam esset eorum discriminem. Quum autem ejus doctrina male intelligeretur, misit Mani, paracletum, qui docuit tria requiri ad separandam lucem a tenebris: *signaculum oris*, seu abstinere ab usu vini et carnium et a verbis impuris; *signaculum manus*, abstinere ab operibus communibus; *signaculum sinus*, abstinere a procreatione, quin etiam a conjugio. Qui haec tria sibi sigilla imprimeret, *electus* vocabatur, post mortem redditurus in regnum lucis. Reliqui vocantur *auditores*, qui veniam impetrare valent ministrando *electis*. Manichaeis erat aliqualis hierarchia, constans *magistris*, *episcopis*, *presbyteris*; baptizabant oleo; Missam celebrabant sine vino. Vehementer saepius oppugnati et persecutionibus obnoxii, diu tamen, quin etiam usque ad medii aevi tempora restiterunt<sup>1)</sup>.

8º. Jam aetate Apostolica ortus, Gnosticismus conatus est errorem dispergere, editis *Evangelii* et *Actibus apocryphis* et aliis scriptis<sup>2)</sup>. Nascente inde Ecclesiae periculo, scriptores ecclesiastici **certamen contra errores** aggressi sunt. Monstrarunt Ecclesiae doctrinam esse unam, haereticum errorem varium; errores repugnare rectis morum regulis, sectari mores ethnicos et christianismo adversos; secum pugnantia loqui, demum levissima argumenta esse, quibus occultas suas traditiones et mythos ethnicos probarent. Econtra explicarunt certam esse christianam doctrinam, consentiri inter se Vetus et Novum Testamentum, veram esse incarnationem atque ob fines sanctos effectam, venerandam esse

<sup>1)</sup> Acta disp. Archelai episcopi Mesopot. et Manetis haeres., *Migne*, P. G., Tom. X, 1429 sq. *Euseb.*, VII, 31. *Socrates*, Hist. Eccl., I. 22. *Hieron.*, De vir. illustr., c. 42. *Augustinus* frequenter.

<sup>2)</sup> *Harnack*, Gesch. der altchr. Lit., I, 116 sq. 141—231. *Lipsius*, Die apocryphen Apostelgeschichten u. s. w. 2 Bde, Braunschweig 1882 sq.

liturgiam christianam, praesertim S. Missae, demum ex apostolica successione, a Christo instituta, ostendi, quae sit vera Ecclesia. Loco falsae *gnosis* ponebatur vera *gnosis* Ecclesiae.

**9º. Errores de Trinitate.** Non sunt valde clara antiquissimorum Patrum de Trinitate testimonia. Quamvis recte crediderint, initio tamen nec certo sermone eloqui nec satis recte valuerunt. Deus unus est: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. Deus est. Haec duo dogmata stabant. Conciliare autem ea inter se, opus difficile fuit<sup>1)</sup>. Quae antiquissimi scriptores conati sunt de hac re explicare non semper feliciter inventa sunt. Videntur nonnumquam oblivisci Filium aequalem esse Patri et ab aeterno e Patre natum. Attamen quamquam explicandi ratio minus recta fuit, recte tamen ipsam fidei doctrinam tenebant<sup>2)</sup>. Aliter omnino haeretici exeuntis saeculi secundi. Tantum abfuit ut quae revelatio tradidit fide crediderint, ut potius philosophica disquisitione ea indagarint, admittentes quae placuerunt, quae non placuerunt rejicientes. Haud perspicientes qua ratione in ente infinito una natura cum trinitate personarum consocietur, aut negarunt unam naturam atque adeo aequales esse personas divinas, aut vere discriminatas personas infitiati sunt. Hi a latinis *Patripassiani*, a Graecis *ὑιοπατόρες* vocantur i.e. quibus Pater et Filius una eademque persona est. Priores nomen habent *Subordinatiani*, i. e. quibus Christus, Verbum Patris, per quem omnia facta sunt, distinctus est tum a Patre tum a creaturis, sed son aequalis Patri. Multi auctores, quos hic sequimur, omnes eos **Subordinatianos** vocant, qui Christo sublimiore naturam denegant. Principes autem sunt:

a. **Theodotus** senior e Byzantio, qui anno fere 192 Romae suam doctrinam tradidit. Dicebatur tempore persecutionis Christum renuisse, tum postea se excusasse quod solum hominem (*Ψιλὸν ἄνθρωπον*) renuisset. A Victore papa (189—199) excommunicatus est.

<sup>1)</sup> *Theoph. Ant. Ad. Autol.*, l. II, c. 22. *M. A. Dupin*, Le dogme de la Trinité dans les trois premiers siècles, Paris 1907. *Tixeront*, l. c. p. 308 sq.

<sup>2)</sup> *J. F. de Groot* S. J. De leer van Justinus den martelaar over het Woord, Studiën op godsd. wetensch. en letterk. gebied, Tom. LXII (1904), pag. 109 sq. praesertim 132 sq. *Dionysius apud Athan.*, De decret. Nic., *Migne*, P. G., Tom. 25. col. 402. Haeretici cum majore veri specie institerunt pravae versioni Prov. VIII, 22. Cf. *Duchesne*, Hist. anc., I, 353 N. 2. *Lebreton*, Les théories du Logos au début de l'ère chrétienne, Paris 1906.

b. **Theodotus** minor, senioris discipulus, auctor fuit sectae cui nomen **Melchisedechiani**, qui Melchisedech antecellere Christo dicebant. Una cum Asclepiodoto sectae praeposuit episcopum, Natalem nomine, qui tamen, rejecto menstruo salario 120 denariorum, mox se Zephyrino papae subjicit.

c. **Artemas** quidam, ineunte saeculo tertio, verisimiliter etiam Romae, defendere sententiam conatus est, ante **Victoris** papae aetatem nullibi a quoquam nisi Subordinationis doctrinam fuisse traditam.

d. Fere idem docuit altera dimidia parte saeculi tertii notus ille **Paulus Samosatenus**. Ipso auctore Christus homo est, in quo tamen inhabitat *Logos* impersonalis, qui una persona est cum Patre: ὁμοούσιος τῷ πατρὶ (οὐσία Paulo ὁμόστατης est)<sup>1)</sup>. Neque Spiritum S. personam esse censuit, sed tantum *ratione distinctam virtutem*. Annis 264—269 adversus eum tres synodi coactae sunt. Postquam duabus prioribus promiserat se fidem orthodoxam professurum, a tertia sede dejectus est; tamen, eo quod vices gereret Zenobia, reginae Palmyrae, sustinuit ad annum 272, quum Aurelianus imperator, expugnata urbe, aedes episcopales Antiochenas assignavit Domino, qui a synodo Pauli successor creatus fuerat. Secta, cui nomina fuerunt **Pauliani**, Paulianistae et Samosateni, duravit ad finem saeculi quarti<sup>2)</sup>.

a. **Patripassianorum** principes fuerunt: **Praxeas**, qui ante annum 190 Romam venit, suum monarchianismum modalisticum traditurus<sup>3)</sup>. E communione fidelium ejectus Carthaginem adivit, ubi ei se opposuit Tertullianus<sup>4)</sup>. Didicerat systema suum a

b. **Noeto** quodam, Smyrnensi, qui docuit: unam eandemque personam esse Patrem et Filium, natum et non natum, visibilem et invisibilem, prout spectentur diversae relationes. In Christo etiam Pater patiendo mortuus est. Vocatus ut rationem redderet Noetus: quid mali perpetro, inquit, quum Christum glorificem<sup>5)</sup>. Duo ejus discipuli Epigonus et Cleomenes iverunt Romam erroremque ibi docuerunt.

<sup>1)</sup> Hac significatione teste *Epiphanio* (Adv. haer., 65, 1) a synodo Antiochena (269) damnatum est verbum ὁμοούσιος. *Hefele*, I, 141.

<sup>2)</sup> *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Lit., II, 232—235.

<sup>3)</sup> Monarchiam, inquiunt, tenemus. *Tertull.*, Adv. Prax., c. 3.

<sup>4)</sup> ibd.

<sup>5)</sup> *Epihan.*, Adv. haer., 57, 1, *Hefele*, Conc., I, 110.

c. Post breve tempus **Sabellius**, Lybiensis, Romae factus sectae caput, docuit Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unam esse personam, tres vires seu operationes exterius manifestantem (*πρόσωπα*), sicuti vis lucifera et vis calefaciens cum forma rotunda tres sunt manifestationes unius ejusdemque solis. Tum ingens commotio oborta. Acerrimus haereticorum oppugnator fuit Hippolytus, doctrina eminens sacerdos. Zephyrinus papa animos sedare conatus damnare errorem distulit, quod etiam fecit ejus successor Calixtus. Quos pontifices insimulavit Hippolytus, alteri exprobrans inscitiam et avaritiam, alteri erroneam doctrinam et nimiam benevolentiam in poenitentes, seque ipsum adversus Calixtum antipapam constituit<sup>1)</sup>. Tum Sabellius damnatus in Ægyptum rediit mortuusque est anno fere 260. Hippolytus postea ad Ecclesiae communionem rediit.

d. **Beryllus** Bostranus, hoc etiam errore irretitus, ab Origene conversus revocavit errorem in synodo Bostrana, anno 244. Dionysius autem Alexandrinus tam vehementer errorem impugnavit ut opposito errori favere videretur. Quare a Dionysio papa (259—268) reprehensus est<sup>2)</sup>.

Adversus varios hos errores Dionysius papa veram doctrinam his verbis exposuit: „*Necesse est Divinum Verbum Deo Universorum esse unitum et Spiritum Sanctum in Deo manere et habitare ac denique divinam Trinitatem in unum, quasi in quandam verticem (Deum universorum omnipotentem dico) reduci et colligi.*” Improbabat autem acerrime quod quidam „*tres Deos quoddammodo praedicant cum sanctam unitatem in tres diversas hypostases inter se omnino separatas dividunt*”, neque minus „*quod dicat (Sabellius) Filium Patrem et vicissim*”<sup>3)</sup>.

#### 10. Regnum millenarium<sup>4)</sup>. Doctrina Chiliastarum seu

<sup>1)</sup> *Philosoph.*, IX, 11—12. Praesertim Döllinger, Hippolytus und Callistus, Regensburg 1852. Adhemar d'Alès, *La théologie de St. Hippolyte*, Paris 1906. Duchesne, *Hist. anc.*, Tom. I, 2e éd., Paris 1906, p. 311 sq.

<sup>2)</sup> Vestigia Monarchianismi videntur superfluisse saeculo VII in Frisia. Cf. Archief van het aartsb. Utrecht, Tom. XX, p. 261—262 (S. Fredericus).

<sup>3)</sup> Dionysius apud Athanasium, Epist. de decr. Nic., Migne, P. G., Tom. 25, col. 4. Cf. Epist. de sent. Dionysii. Cf Harnack, Realencycl. prot. theol., XIII, 303: Monarchianismus. J. Tixeront, *La théol. antén.*, p. 409—410.

<sup>4)</sup> Atzberger, *Geschichte der christlichen Eschatologie*, Freiburg 1896. L. Gry, *Le millénarisme*, Paris 1904. Tixeront, l. c. p. 217 sq. Ermoni, *Les phases successives de l'erreur millénariste*, *Revue des quest. hist.*, 1901.

milleniorum initium duxit ex iis, quae sibi cogitando effingebant Judaei de regno Messiano, Judaeo-christiani insuper repetebant auctoritatem a *Libro Apocalipsis*, in quo scriptum est, sanctos post primam resurrectionem regnatos cum Christo<sup>1)</sup>. Paulatim exculta est ea doctrina, cuius haec praecipua erant: sexies mille annis post mundum conditum veniet antichristus, regnaturus tres annos et dimidium. Dein Christus descendet in nubibus coeli adversariumque devincet. Quo facto inchoabit regnum millenarium, cuius quidem sedes erit Hierosolymis. Simul cum justis hominibus Christus gubernabit orbem terrarum, cuius status figuraque erit sicut in paradyso. Toto hoc tempore Satan vinctus manebit. Post mille annos vinculis solutus oppugnabit cum suis sequacibus urbem. Qui postquam ira Dei erunt elisi, fiet secunda resurrectio ac demum extremum judicium.

Ubiquaque haec dispersa fuit doctrina; primo inter christianos fortasse per epistolam Barnabae, dein per Papiam († 160), Hieropolitanum episcopum propagata<sup>2)</sup>. Quos seuti sunt Justinus († 166) et Irenaeus († 202)<sup>3)</sup>. Cerinthus gnosticus aliquique fanatici regnum millenarium, tempus sensualitatis carnalis futurum, Montanus vero suique ejus centrum Pepuzam fore docebant<sup>4)</sup>. Huic rei vehementer sese Romae opposuit Caius († 220), adeo ut *librum Apocalypsis* rejiceret<sup>5)</sup>. Origenes autem contra chiliastas defendit, verba S. Scripturae de regno millenario per allegoriam esse interpretanda. Cui N e p o s, episcopus Ægyptiacus, opposuit *Refutationem allegoristarum*<sup>6)</sup>. Qui liber quum a multis laudatus christianaे doctrinae studium apud populum minueret, mortuo N e p o t e, Dionysius Alexandrinus Arsinoen se contulit ac triduum integrum disputans refellit Coracion aliosque millenarismi defensores. Sibi persuaderi passi sunt. Ut autem animos in recta doctrina confirmaret, duos contra librum N e p o t i s Dionysius scripsit libros *De promissionibus*<sup>7)</sup>. Hac ratione gravis in oriente chiliasmo illata est

<sup>1)</sup> Apoc., XX, 2—7.

<sup>2)</sup> Euseb., H. E., III, 40.

<sup>3)</sup> Dial. c Tryph., c. 80. Adv. haer., V, 24—36.

<sup>4)</sup> Epiphanius, Haer., 49, 1. Duchesne, Hist. anc., I, 270—277.

<sup>5)</sup> Atzberger, 269.

<sup>6)</sup> Euseb., VII, 24.

<sup>7)</sup> Ibid., 24—25.

clades. In occidente suos adhuc defensores habuit (Lactantium<sup>1</sup>). Restituta tamen pace Ecclesiae et gravissimis patribus reluctantibus error paulatim evanuit.

11<sup>0</sup>. Ut adversus errores omnes vera a falsis dignoscerentur, provocabant christiani ad **traditionem apostolicam**. „Constat proinde, scribit Tertullianus, omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei”<sup>2</sup>). Non intermissa, S. Spiritu auxiliante, episcoporum successio causa fuit, cur doctrina incorrupta sit tradita. Necessa non est, ut audiatur omnium episcoporum sententia. Ecclesia enim Romana, S. Irenaeo auctore, traditionem Apostolorum et fidem servavit, estque regula ad quam omnes reliquae ecclesiae sunt dirigendae<sup>3</sup>). Stephanus quoque papa defendit, baptismum haereticorum valere, monarchianis jam a Victore damnatis. Ecclesia Romana in negotio poenitentiae rectum iter medium tenuit. Calixtus defendit divinam Christi naturam rejicitque Sabellii aliorumque falsam doctrinam<sup>4</sup>). Dionysius papa rectam dat formulam doctrinae S. Trinitatis<sup>5</sup>). „De Verbi autem incarnatione, scribit Felix I Alexandriam, et fide credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex virgine natum, quod Ipse est sempiternus Dei Filius et Verbum, non autem homo a Deo assumptus ut alias sit ab illo”<sup>6</sup>). S. Scripturam possidet Ecclesia, estque fidei regula quantum illam Ecclesia interpretatur. Philosophia Ecclesiae doctrinae subjecta est, eoque utitur Ecclesia adminiculo, ut suam doctrinam illustret. „Agnitio (gnosis) vera, ait Irenaeus, est Apostolorum doctrina et antiquus ecclesiae status in universo mundo et character Corporis Christi, secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, Ecclesiam trahiderunt”<sup>7</sup>).

<sup>1)</sup> Institution., lib. VII, 14, 23, 24, 26.

<sup>2)</sup> De praescr., c. 21.

<sup>3)</sup> Adv. haer., III, 1. Contra Harnack et alios genuinum sensum Irenaei defendit Kneller, Stimmen aus M.-L., (1909) Tom. 76, p. 402 ss.

<sup>4)</sup> Jaffé, 2a ed. N. 70, 79, 82.

<sup>5)</sup> Athan. vide supra p. 149. Duchesne, Hist. anc., I, p. 485 sq.

<sup>6)</sup> Jaffé, N. 140.

<sup>7)</sup> Iren., c. Haeres., IV, 33, 8.

Summarium autem doctrinae ab initio fuit **symbolum Apostolorum**<sup>1)</sup>, continens quae ab Apostolis fuerant tradita. Formulam quoque symbolicam jam inde ab apostolica aetate fuisse adhibitam, difficile probari poterit. Legendaria traditio est, singulos apostolos singulos articulos addidisse<sup>2)</sup>. Antiquissima forma, in qua deerant verba: *Descendit ad inferos, Sanctorum Communionem, Vitam aeternam*, in usu fuit Romae et in aliis ecclesiis occidentalibus, pro professione fidei ante baptismum. In his Ecclesiae partibus immutatum mansit<sup>3)</sup>, in oriente vero auctum fuit symbolum, adjectis nonnullis verbis adversus haereses. Jam saeculo quinto exstitisse hodiernam formulam, certis argumentis constat. Nec tamen tunc licebat symbolum describere, sed a baptizando memoriae dandum erat. In Ecclesia autem orientali paulatim oblivioni datum est, eo quod pro professione fidei baptismali jam ab antiquo symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum praescriptum fuit. Hinc Graeci in synodo Ferrara-Florentina (1439) inficiabantur symbolum ab apostolis derivari.

Hodie nonnulli formulam compositam censem anno fere 150, alii ineunte saeculo secundo, pauci ipsa Apostolorum aetate<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Vide varias formulas apud *Denzinger*, Enchiridion, 10<sup>a</sup> ed., Friburgi 1908, p. 1 sq.

<sup>2)</sup> Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Jacobus dixit etc. *Migne*, P. L., Tom. 39, col. 2188—2190 (saec. VI.)

<sup>3)</sup> Probari hoc tantum potest, ineunte saeculo 3<sup>o</sup> „Credo in unum Deum” mutatum esse in: Credo in Deum Patrem.”

<sup>4)</sup> *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Lit., I, 68 sq. *Harnack*, Gesch. der altchr. Lit., I, 115 sq. II, 1, 524—532. *Cl. Blume*, Das apostolische Glaubensbekenntnis. Eine apologetisch-geschichtliche Studie, mit Rücksicht auf den „Kampf um das Apostolikum”, Freiburg 1893. Zeitschrift für neueste Wissenschaft, 1905, p. 72 sq. *Vacandard*, Etudes de critique et d’histoire religieuse, Paris 1905. Cf. Revue des quest. hist., Oct. 1899; Aprili 1901; Julio 1901. Revue d’hist. ecclés. 1902, Tom. III, p. 297 sq. *A. E. Burns*, The Apostels creed, London 1906. *Batiffol*, art. (Symboles des) apôtres in Dict. de théologie cath.

## § 22. Scriptores ecclesiastici tribus primis saeculis.

*Remy Ceillier*, Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques, 16 Vol., 2e éd., Paris 1858—1869. *O. Bardenhewer*, Geschichte der alt-kirchl. Literatur, Freiburg 1902—1903. Les Pères de l'Eglise, éd. fr. par Godet et Verschaffel, 3 vol., Paris 1899 sq. *Duchesne*, Les témoins anténicéens du dogme de la Trinité, Amiens 1883. *A. Harnack*, Geschichte der altchristl. Literatur, B. I—II, Leipzig 1893—1894. *Fessler-Jungmann*, Institutiones Patrologiae, ed. 2a, Tom. I—II, Oeniponte 1890—1896. *P. Batifol*, Anciennes littératures chrétiennes. La littérature Grecque, 4e éd., Paris 1905. *Cruttwel*, A literary history of early Christianity, 2 vol., London 1899. *A. Ehrhard*, Die altchristliche Litteratur und ihre Forschung seit 1880 in Strassburger Theol. Studiën, Freiburg 1894. Ibid. 1900: Lit. und ihre Erforschung von 1884—1900. *H. Kihn*, Patrologie, Paderborn 1904. *R. Duval*, Littérature Syriaque, 3e éd., Paris 1907.

**I. Patres Apostolici. Nomine Patrum Apostolicorum<sup>1)</sup>** proprie vocantur scriptores ecclesiastici, qui cum Apostolis vixerunt: auctores *Didaches* et *Epistolae Barnabae*, *Clemens Romanus*, *Ignatius Antiochenus*, *Polycarpus Smyrnensis*. Tum forma horum operum, tum ea, quae continent, in memoriam revocant Apostolicam aetatem. His addidit I. B. Cotelier<sup>2)</sup> *Hermam*.

Postea usuvenit etiam *Papiam Hieropolitanum* et scriptorem *Epistolae ad Diognetum* Patribus apostolicis annumerare. Ideo ii, qui nunc Patres Apostolici dicuntur non efformant unum scriptorum corpus nec forma nec rebus contentis neque aetate. In antiqua tamen Ecclesia quantum auctoritatem obtinuerint illa vetustissima scripta noncanonica, patet ex eo quod plura in conventibus fidelium legerentur. *Epistola Barnabae* et *Pastor Hermiae* in *Codicem Sinaiticum*, duae epistolae Clementis in *Codicem Alexandrinum* suscepta fuerunt. Omnia autem Patrum Apostolicorum opera scripta sunt Graece.

a. Opus vetustissimum et venerabilissimum certe est **Doctrina duodecim apostolorum** ( $\Deltaιδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων$ ), exeunte saeculo primo ab ignoto auctore conscriptum<sup>3)</sup>. Commodo potest tripartito dividi. Pars prima (c. 1—6) agit de

<sup>1)</sup> Utimur editione *Funk*, Opera Patrum Apostolicorum. Editio post Hefelianam quartam quintam, Tübingen, Tom I—II, 1878—1881. *Hemmer*, Les Pères Apostoliques, Paris 1907. Cf. *G. Bareille*, art. Apostoliques (Pères) in Dict. de théol. cath.

<sup>2)</sup> Patres aevi apostolici etc. Parisiis 1672, Tomi 2.

<sup>3)</sup> Editio princeps, Constantinopel 1883. Ed. *Funk*, Tübingen 1887; ed. *Schlecht.*, Friburgi 1900; ed. *G. M. R(omano)* S. J. Syro 1908.

duplici via, fuitque usurpata in *Epistola Barnabae*. Pars altera (c. VII—X) liturgica est, tractans baptismum, jejuniū, orationem et S. Eucharistiam. Pars tertia est de disciplina et Ecclesiae constitutione: de apostolis, prophetis, doctoribus, de die dominica, consecrationibus, lectoribus etc. Plures antiquitatis scriptores se novisse et usurpasse Didachen ostendunt<sup>1)</sup>. Jam antiquitus fuit in latinum sermonem versa. Textus primigenius nuper inventus et editus fuit a Philotheo Briennio, Nicomediensi metropolita, anno 1883. Schlecht anno 1900 invenit sex priora capita versionis latinae<sup>2)</sup>. Raro de aliquo opere brevi tempore tam multa scripta sunt<sup>3)</sup>. Neque sane immerito. Est enim Didache pro cognoscendis antiquissimis Ecclesiae temporibus maximi momenti. Non solum agit de via vitae et mortis, de liturgicis usibus, de adhibenda vigilantia appropinquante mundi fine, sed etiam antiquissimam memoriam tradit de explicata primo tempore Ecclesiae doctrina.

*b. Epistola Barnabae*, ut inscriptio refert, antiquitus Pauli socio et collaboratori ascribebatur. Argumentum tamen ipsum apertissime huic sententiae refragatur, videturque indicare auctorem Alexandrinum, Nervae (96—98) aut Domitianum (80—96) aetate. Alii ponunt eam esse scriptam anno 130—131<sup>4)</sup>.

Parum videtur auctor revereri Vetus Testamentum, doctrinamque oppositam Apostolis, praesertim Paulo, tradit. Docendo (c. 2—17) et excitando (18—20) sermonem habet ad unum vel plures coetus, quibus antea praedicavit Evangelium, dicitque in parte priore, Veterem Legem non amplius obligare, allegorice interpretatur ejus praecepta de jejunio, sacrificiis, circumcisione etc., significat ea omnia non sensu litterali sed spirituali esse intelligenda. Pars altera describit viam lucis et tenebrarum<sup>5)</sup> atque ita doctrinam Didache in memoriam revocat.

*c. Ex eadem aetate est epistola Clementis Romani ad*

<sup>1)</sup> Epist. Barnabae, c. 18 sq. *Justinus*, Apol. I. c. 15—18. *Clem. Alex.*, Strom., I, 20, 100. *Adv. Aleatores*, c. 4. *Euseb.*, H. E., III, 25. *Athanas.*, Ep. Fest., 39. Constit. Ap., VII. 1—32. Multa alia vide apud *Funk*, Prolegomena.

<sup>2)</sup> Doctrina XII Apostolorum una cum antiqua versione, Friburgi Br. 1900.

<sup>3)</sup> Cf. *Bardenhewer*, I, p. 83 sq.

<sup>4)</sup> A. van Veldhuizen, De brief van Barnabas, Groningen 1901 (Utrechtsche dissertatie). J. M. Heer, Die versio latina des Barnabasbriefes und ihr Verhältniss zur altlateinischen Bibel, Freib. i. Br. 1908. — Revue d'hist. eccl., 1900 fasc. I—II.

<sup>5)</sup> Ed. *Funk*, I, p. 1—59.

Corinthios. Gravissima hac epistola Pontifex (90—99) alloquitur Corinthios, quum homines aliquot turbulenti restitissent auctoritati ecclesiasticae. Commonitiones et doctrina in ea miscentur. Opponitur praesenti statui luctuoso ecclesiae Corinthiacae florentissima prior ejus conditio; monentur ut caveant ab invidia (1—36); ostenditur quam necesse sit, ut ordini hierarchico se subjiciant (37—65). Magna auctoritate fuit haec epistola. Legebatur in multis ecclesiis; ipso saeculo quinto adscripta fuit in Codice celeberrimo Alexandrino, proxima post ultimum Novi Testamenti librum. Est pro primatu Ecclesiae Romanae invictum testimonium<sup>1)</sup>.

Antiquis temporibus Clementem etiam auctorem putaverunt **epistolae secundae ad Corinthios**. Attamen quod unus aut alter jam antea ex fragmento ejus suspicati erant, invento a Briennio Hierosolymis anno 1875 capite 12 N° 5—c 20, hodie omnino constat, nempe esse homiliam, verisimillime aut fere certo Corinthi habitam, non tamen Clementi ascribendam. Qua fuerit aetate conscripta, statui nequit. Multi medium saeculum secundum nominant. Minus etiam Clemens dici potest auctor **duarum epistolarum ad virgines**. Sunt enim ad glorificandam virginitatem scriptae oppugnantque *virgines subintroductas*. Quae quidem res simul cum sermonis et reliqui argumenti ratione significat esse scriptas saeculo tertio exeunte aut ineunte quarto. In Palaestina epistolae magno fuerunt honore et legebantur in ecclesiis. Quae forte causa fuit, cur in uno manucripto *Peschitto* fuerint memoriae traditae. Videtur auctor fuisse vir quidam ascetes, non episcopus. De reliquis scriptis pseudo-Clementis, *Recognitionibus* et *Homiliis* supra sermo fuit<sup>2)</sup>.

d. Septem **epistolae Ignatii** martyris pertinent ad ea quae pulcherrimo e primordiis Ecclesiae relata sunt. Trajanus (98—117) imperante, auctor ductus Romam bestiis est objectus.

<sup>1)</sup> Ed. Funk, I, 59—145. Lightfoot, Clement of Rome, London 1877. A. van Veldhuizen, De crisis in de gemeente van Corinthe op het einde der eerste eeuw. Theologisch Tijdschr., 1904, p. 29. Cf. Bardenhewer, I, 68 sq. P. Godet, Art. Clement I de Rome, in Dict. de theol. cath. S. Clementis Romani ad Corinthios epistolae versio latina antiquissima (Anecdota Maredsol. Tom. II), Maredsoli 1894.

<sup>2)</sup> § 21, 3.

Scripsit has litteras in itinere: Smyrna ad *Ephesios*, *Magnesios*, *Trallianos* et *Romanos*; Troade ad *Philadelphios*, *Smyrnaeos* et ad *Polycarpum*. Continent exhortationes ad servandam unitatem, ad adjungendum se episcopis; monitiones ut caveant ab erroneis judaisantibus et a docetis; significationem ardoris desiderii, ut martyrio absumatur. Pretiosa testimonia sunt pro absoluta jam explicatione hierarchiae ecclesiasticae et pro primatu Romano. Splendent propria quadem forma ingenii, sermone imaginibus ornato, vivido, gravi, impetu suo quasi insultante legibus linguae.

Jam saeculo quinto genuinae hae epistolae corruptae sunt vel interpolatae et sex aliis auctae. Quae sunt: *Maria Kassobolita ad Ignatium*, *Ignatius ad Mariam Kassobolitam*, *Ignatius ad Tarsenses*, *ad Philippenses*, *ad Antiochenses*, *ad Heronem Antiochensem diaconum*. Insuper medio aevo quatuor aliae latinae effectae sunt. Quibus omnibus hodie nota falsitatis inusta est, dum genuinis vix est qui refragetur<sup>1)</sup>.

De *Martyriis* vel martyrii actis *Ignatii* unum *Martyrium Colbertinum* aliquam fidem meretur. Est tamen etiam non raro genuinis litteris ita contrarium, ut difficile testem oculatum auctorem habeat<sup>2)</sup>.

e. **Epistola Polycarpi** Smyrnensis, alterius Apostolorum discipuli, ad Philippenses certo genuina est. *Irenaeus*<sup>3)</sup> memorat epistolas, quas scripsit Polycarpus ad ecclesias vicinas, inter quas nomine refert ad Philippenses epistolam, quae sola superest. Dat autem epistola responsum ad litteras, quibus Philippensem ecclesia petierat a Polycarpo exemplar epistolarum Ignatii et aliquam ipsius Polycarpi doctrinam. Dein admonitiones dat virginibus, viduis, diaconibus et presbyteris, ut caveant ab haereticis, addit epistolas omnes Ignatii

<sup>1)</sup> Ed. *Funk*, I, 172—253. Die Echtkeit der Ignatianischen Briefe, Tübingen 1883. Spurias litteras apud *Funk*, II, 46—217. Cf. Abhandl. u. Unters., II, 338—359; III (1907), 297—310. Cf. *Chapman*, Revue Bénédictine, 1896, p. 385—400. *Junius*, De oorsprong der brieven van Ignatius, Tiel 1859. Item controversiam *Völter—van Loon*, Theol. Tijdschr., 1886, pag. 114—136; 569—586; 1887, pag. 272—326; 1888, p. 420—445. *H. de Genouillac*, l'Eglise chrétienne au temps de St. Ignace d'Antioche, Paris 1907.

<sup>2)</sup> Ed. *Funk*, I, p. 254—265; II, p. 218—275. Cf. Proleg. et *Bardenhewer*, I, 125 sq. 141 sq.

<sup>3)</sup> *Eusebius*, H. E., V. 20. *Bardenhewer*, I, 119 sq.

quas habet. Martyrio coronatus est **Polycarpus** anno 155 vel 156<sup>4)</sup>.

*f. Papias* Hierapolitanus episcopus, ipse quoque Joannis discipulus, scripsit Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις, qui liber praeter fragmenta quaedam apud Ireneum et Eusebium, deperditus est<sup>5)</sup>.

*g. Pastor Hermae* nonnihil recentior est. Tum forma tum sermonis argumentum singularia sunt. Continet opus quinque *visiones*, duodecim *mandata* et *similitudines* decem. In *visionibus* intervenit matrona aliqua, quae, prius laborans senili debilitate, sensim fit fortior et junior, quaeque repreäsentat Ecclesiam poenitentia sese instaurantem. *Mandata* ad virtutes omnes excitant. Fere in eumdem finem tendunt *similitudines*, explicando christianas veritates et principia. Totius libri mens est, ut adhortetur ad poenitentiam. Forma est Apocalypsi similis. Sermo est popularis, graphicus, simplex, commovens. Saeculo secundo et tertio liber a multis habitus est inspiratus. Videtur scriptus Romae, intra annos 140 et 155, a fratre Pii I Papae<sup>6)</sup>.

*h. Apologeticum* opus, praestantissimum arguento, conceptione et scribendi forma ac sermone est **epistola ad Diognetum**. Amplissimus hic homo ethnicus percontatus est ignotum nobis auctorem de christianismo. Cui ample respondetur. Demonstrat auctor repudiandum esse Judaismum (3—4), mirabiliter pulchre describit vitam christianam (5—6), ostendit divinam christianismi originem (7—8, 6), refellit quae objiciebantur tam sero esse ortum adhortaturque **Diognetum**, ut Ecclesiae se adjungat (9—10). Neque **Diognetus** neque epistolae auctor nobis noti sunt. A nullo auctore antiquitatis epistola memoratur aut aliqua ex ea proferuntur. Recentiores plerique eam scriptam secundo saeculo, nonnulli tertio censem<sup>1)</sup>.

**2º. Apologetae aliique scriptores saeculi secundi.** Quod si Ecclesia, ut dictum est, non solum ensibus sed etiam calamis

<sup>1)</sup> Ed. *Funk*, I, 266—283. Cf. *E. Schwartz*, Abhandlungen. Göttingen, N. F., VIII, 1904—1905, p. 125 sq.

<sup>2)</sup> Ed. *Funk*, II, 276—300. *Bardenhewer*, I, 537 sq.

<sup>3)</sup> Ed. *Funk*, I, 334—563. Cf. *v. Manen*, Theol. Tijdschr., 1893, p. 180—194. *Funk*, Kirchenlex., 2 Aufl., V. Baljon, Theol. studiën, 1901, p. 101—113. *Duchesne*, Hist. anc. de l'E., p. 133 sq. 225. Revue d'hist. eccl., 1905, p. 281 sq.: Le Pasteur d'Hermas. Un nouveau ms. de l'ancienne version latine. *Batiffol*, La littér. Grecque, p. 61—63. *Bardenhewer*, I, 84—98.

<sup>4)</sup> Ed. *Funk*, I, 310—333. *Baljon*, Theol. studiën, 1900, p. 28—45.

est oppugnata, **Apologetae** strenue eam defenderunt, refutantes illatas calumnias, ostendentesque rationabilem esse Ecclesiae doctrinam. Nonnulli ipsos imperatores alloquebantur, alii eruditos ethnicos, duo (**Ariston** et **Justinus**) Judaeos. Plurimae apologiae non sunt populares, sed potius philosophice scriptae, omnes Graeco sermone<sup>1)</sup>.

*a.* **Quadratus** obtulit apologiam **H ad r i a n o** imperatori (117—138). Videtur habitasse in Asia Minore. Vix quidquam de opere ad nos pervenit neque multa de auctore novimus<sup>2)</sup>.

*b.* **Aristides** Atheniensis scripsit misitque apologiam ad **Antoninum Pium**<sup>3)</sup> (138—161) imperatorem, quae superest. Mechitaristae anno 1878 invenerunt in San Lazzaro ejus exemplar Armenianum, Rendel Harris anno 1889 aliud Syriacum, in monasterio S. Catharinae ad montem Sinai. Quo facto Robinson demonstravit, Graece eam jam diu esse impressam et editam in fabella „Barlaam et Joasaph”. Aristides ostendit, ethnicos vera Dei notitia carere, Judaeos nimis rebus externis inhaerere, christianos econtra vera docere et consequenter vitam perfectam agere<sup>4)</sup>. Una *homilia* et fragmentum alicujus epistolae dubia sunt.

*c.* **Ariston** e Pella anno fere 140 scripsit dialogum **P apisci** et **J a s o n i s**, postea deperditum.

*d.* Praecipuus secundi saeculi apologeta est **S. Justinus** martyr. Oriundus e Flavia Neapoli, antiquitus Sichem, philosophus fuit ethnicus, christianus factus ante annum 132, bis Romam venit, scholam ibi condidit, ibidemque martyr obiit, anno fere 165<sup>5)</sup>. E pluribus ejus scriptis verisimiliter tria tantum supersunt: *prima et altera apologia* et *Dialogus cum Tryphone* Judaeo. Utraque apologia appellat imperatores, prior **Antoninum Pium** ejus-

<sup>1)</sup> Apologetae apud *Migne*, P. G., Tom VI. In fine egregias conjecturas vide *J. H. Nolte*. Cf. G. Schmitt, Die Apologie der drei ersten Jahrhunderte in historisch-systematischer Darstellung, Mainz 1890. *J Rivière*, S. Justin et les Apologistes du second siècle, Paris 1897. *A. de Marchi*, Apologisti christiani scelti e commentati, Milano 1908.

<sup>2)</sup> Euseb., *H. E.*, IV, 2. Probabiliter etiam III, 37; V, 17. Cf. *Chron. ad ann. Abraham* 2140.

<sup>3)</sup> *Bardenhewer*, I, 181. Vide *Texte u. Unters.*, IX, I; XII, 2.

<sup>4)</sup> *W. C. van Manen*, Theol. Tijdschr., 1893, p. 1—56. *Bareille*, Art. Apologistes (Pères) in Dict. de théol. cath. *M. Pisard*, L'apologie d'Aristide, Paris 1892. *Freppel*, Les Apologistes chrétiens au II siècle, Paris 1860.

<sup>5)</sup> *Apol.* I, c. 1. *Dial. c. Tryph.*, c. 2—8. *Euseb.*, *H E.*, IV, 11, 18.

que filios adoptivos Marcum Aurelium et Lucium Verum, altera Antoninum Pium et Marcum Aurelium. Sunt ergo scriptae circa medium saeculum secundum. *Dialogus* videtur confectus ante annum 161. Insuper nomine S. Justiniani feruntur plura dubia et spuria. Pro doctrina ecclesiastica et praesertim pro Christologia magni momenti sunt opera S. Justiniani. Apologiarum scribendi sermo parum pressus est et siccus, dialogi vividior. Operam dare non curavit, ut argumenti praestantiam artificio sermonis ornaret<sup>1)</sup>.

e. **Tatianus**, S. Justiniani discipulus, conversus ex ethnicismo anno fere 165, paulo postea scripsit ad defendendam suam conversionem *apologiam*, cui inscriptio: *Oratio ad Graecos*. Celebrius tamen est ejus *Diatessaron*, seu consensus evangeliorum, cuius quidem forma originalis deperiit. Redintegratum a Zahn<sup>2)</sup> videtur fuisse opus eximium. Defuncto Justino transiit ad gnosticos factusque est caput *Encratitarum*<sup>3)</sup>.

f. **Miltiadis** tum apologiae tum reliqua scripta perierunt. Vixit altera dimidia parte saeculi secundi<sup>4)</sup>.

g. **Claudii Apollinaris** quoque tum *apologiae* tum reliqua scripta deperdita sunt. Marco Aurelio regnante episcopus fuit Hieropolitanus. Per Eusebium praesertim nobis ejus scriptorum memoria restat<sup>5)</sup>.

h. Integra vero supersunt **Athenagorae apologia**: *Legatio pro christianis* et *De resurrectione* liber. Prior, probabiliter scripta annis 176—178, alloquitur Marcum Aurelium et Commodum imperatores, refutatque calumnias christianis illatas. Alter liber defendit resurrectionem corporum. Utrumque opus eminent,

<sup>1)</sup> De duab. apologiis Cf. J. A. Cramer, Theol. studiën, 1891, p. 317—357; 401—436, separatim editum, Utrecht 1892. Theol. studiën, 1893, 17 sq., 138 sq. De S. spiritu apud Justinum. J. F. De Groot, S. J., Studiën, Tom. 62, pag 109 sq.: De Verbo apud Justinum. Migne. Tom. VI, 1 sq. Etiam ed. Pautigny, Paris 1905. — Duchesne, Hist. anc. d. l'E., I, 204 sq. J. Rivière, S. Justin etc., Paris 1907. Feder, Justins des Märtyrers Lehre von Jesus Christus dem Messias und dem menschgewordenen Sohne Gottes, Freiburg in Br. 1906.

<sup>2)</sup> Forschungen z. Gesch. des N.-testamentl. Kanons, I, 112 sq.

<sup>3)</sup> H. U. Meyboom, Theol. Tijdschr. 1903, p. 193 sq. Migne, Tom VI, 803 sq. Funk, Abh. u. Unters., II, 142—152. A. Puech, Recherches sur le discours aux Grecs de Tatien, Paris 1903. Duchesne, l. c. p. 212 eum nominat „le fondateur de l'apologie virulente” — Cf. Tixeront, l. c. p. 208 sq.

<sup>4)</sup> Bardenhewer, I, 262—264.

<sup>5)</sup> H. E., IV, 26, 27; V, 16, 19. Cf. Verschaffel, Art. Apollinaire in Dict de Théol. cath.

quum gravitate argumentorum, tum sermonis venustate. De auctore it solum novimus, quod fuit philosophus Atheniensis<sup>1)</sup>.

i. **Theophili Antiocheni** habemus libros tres *Ad Autolycum*. Cui, nobis ceteroquin ignoto, auctor persuadere conatur veram esse religionem christianam. Theophilus scribendi ratio fortis, vivida et venusta. Videtur tertius liber perfectus esse anno 180 vel 181 et auctor ipse obiisse ante annum 185<sup>2)</sup>.

k. **S. Irenaeus**, celeber ille Lugdunensis episcopus, anno fere 140 Smyrnae natus, juvenilem aetatem ibidem cum Polycapo degit. Postea, Marco Aurelio imperatore, fuit presbyter Lugdunensis ecclesiae, quae eum annis 177—178 Romam misit. Redux videtur anno 178 episcopus creatus. Quo anno et qua ratione defunctus sit, non constat. De celeberrimo ejus magnoque opere contra gnosticos praeter minora fragmenta tantum superest latina versio. Ad scribendum hunc librum videtur annos fere 25 (174—199) insumpsisse. Magni momenti haec est vetustissima haeresum impugnatio et explanatio doctrinae ecclesiasticae. Aliud ejus opus Εἰς ἐπίδειξιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, *In demonstrationem apostolicae praedicationis*, nuper ab archimandrita Karapet, armenia versione inventum est. Nomen tractatus jam ex Eusebio<sup>6)</sup> nobis notum. Opus ipsum fere nihil quidem novi attulit sed denuo demonstravit Irenaeum catechetam et apostolum, explicantem „praedicationem veritatis<sup>4)</sup>. Reliqua omnia Irenaei scripta deperdita sunt<sup>5)</sup>.

l. Notissimum quoque aliud est opus, vetustissimus canon N. T., cuius major pars superest, quodque ex inventore (L. Muratori) nomen habet **fragmentum Muratorianum**. Videtur ex Graeco originali, scripto circa annum 180, esse translatum<sup>6)</sup>.

<sup>1)</sup> Hefele, Lehre des Athenagoras und Analyse seiner Schriften, Beiträge I, p. 60. sq. Migne, VI, 889 sq. G. Bareille, Art. Athénagore in Dict. de Théol. cath.

<sup>2)</sup> Migne, Tom VI, 1023 sq. Bardenhewer, I, 183—189.

<sup>3)</sup> H. E., V, 29.

<sup>4)</sup> A. Harnack, Des h. Irenaeus Schrift etc. in Armenischer Version entdeckt und ins Deutsche übersetzt, Leipzig 1907.

<sup>5)</sup> Migne, Tom. VI. A. Dufourcq, S. Irenée, Paris 1904. Batiffol, l. c. IV, § 9. Tixeront, l. c. p. 247 sq. Duchesne, l. c. p. 257. J. Chapman, Le témoignage de S. Irenée en faveur de la primauté Romaine, Revue Bénédict. 1895. Kneller, Stimmen aus M.-L., (1909) T. 76, p. 402.

<sup>6)</sup> Muratori, Antiquitates medii aevi, III, 851 s. Bardenhewer, II, 555. J. Schuurman—Steckhoven, Het fragment van Muratori, Utrecht 1877 (proefschrift). Rauschen, Forilegium patristicum, III, Mainz 1905, p. 24—35.

*m.* Eusebius enumerat opera viginti **Melitonis Sardii**<sup>1)</sup>, quorum parva tantum fragmenta restant. Inventa nuper *Oratio Melitonis* et *Clavis* sunt alterius auctoris<sup>2)</sup>. Nominari insuper merentur: *Hegesippus*<sup>3)</sup>, *Dionysius Corinthiacus*<sup>4)</sup>, *Rhodon*<sup>5)</sup>, *Apollonius*<sup>6)</sup> aliique, quorum omnium scripta perierunt. Litterae ecclesiae Smyrnensis de morte *Polycarpi* aliaeque ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis ad ecclesias Asiae et Phrygiae, vetustissima sunt acta martyrum<sup>7)</sup>. Priora scriptae sunt anno fere 155, alterae anno 178.

**3º. Graeci scriptores saeculi 3i.** Saeculo tertio inchoatur scientia ecclesiastica. Fere omnes Graeci scriptores in **schola Alexandrina** eruditi sunt. Haec ab Eusebio nomine *schola catechetica* (*τὸ τῆς κατηχήσεως διδασκαλεῖον*) appellatur deduciturque ex primis temporibus (*εξ ἀρχαίου ζΘους*)<sup>8)</sup>. Ad cujus quidem constitutionem atque incrementum plurimum contulit a Ptolomaeo I conditum *musaeum*, quae fuit quasi Graeca quaedam universitas, eruditionis et scientiarum studio aptata. Primus nobis innotuit anno 180 scholae christianaee princeps Pantaenus, qui postea socium habuit Clementem Alexandrinum. Postiores scholae rectores (*διάδοχοι*) fuerunt Origenes, Heraclas, Dionysius Magnus, Pierius, Theognostus, Petrus martyr, Didymus caecus, et Rhodon, qui anno 395 ad scholam Sidae in Pamphilia transiit. Lites de erroribus Origenis et Arianorum, praesertim vero successus scholae Antiochenae, labente saeculo quarto, haud parum labefactavit auctoritatem scholae Alexandrinae, ita ut paulatim consenuerit. Optime autem institutum hoc de Ecclesia meruit, magnoque numero efformavit doctrina eminentes episcopos, presbyteros et scriptores: *Gregorium Thaumaturgum*, *Anatolium*, *Eusebium Caesareensem*, *Athanasiu*m etc.

Qui nondum magnos fecerant progressus, methodo simplice

<sup>1)</sup> H. E., IV, 33.

<sup>2)</sup> Tüb. Quart., 1862, p. 392—409; 1893, 614—629.

<sup>3)</sup> Migne, P. G., Tom. V. *Funk*, Abh. u. Unters., I, 373 sq.

<sup>4)</sup> Eus., IV, 31.

<sup>5)</sup> id., V. 16.

<sup>6)</sup> Id., V. 21 Cf. *Bardenhewer*, I, 623 sq.

<sup>7)</sup> Ed. *Funk*, I, 283 sq. *Euseb.*, V, 2.

<sup>8)</sup> VI, 3; V, 13.

explanando docebantur, reliqui contemplando. In adjumentum adhibebantur philosophia et reliquae scientiae, ut theologica dogmata penitus perspicerentur. Ars quoque critica et exegetica in S. Scripturae studio eximie floruerunt. Attamen saepius nimium allegoricae interpretationi dederunt, ita ut inscii detrimentum attulerint auctoritati S. Scripturae. Quamquam sermonis formam a *Platonicis* et *Neo-Platonicis* mutuabant, scriptorum argumenta tamen e traditione et S. Scriptura magistri desumere solebant<sup>1)</sup>.

a. Primus, qui nobis innotuerit, scholae Alexandrinae magister, **Pantaenus**, quamvis forsitan scripta nulla reliquerit, adeo tamen bene de scientia ecclesiastica meruit, ut nomine saltem sit memorandus. Stoicus ante conversionem, postea Platonicus factus est. Egregius magister, S. Scripturam tam eximie explicavit, ut nomen ejus et gloria per dissitissimas terras celebraretur. Mortuus est paulo ante annum 200, amplius viginti annos magister. Discipulus ejus et in magisterio socius atque scholae post eum caput fuit:

b. **Clemens Alexandrinus.** Probabiliter natus Athenis e parentibus ethnicis, diuturnum suscepit iter in Italiam, Syriam et Ægyptum ad investigandam Apostolicam traditionem; dein ab anno 180 ad annum 202 Alexandriae vixit. Scripsit trilogiam: *Protrepticum*, *Paedagogum*, *Stromata*. Primum opus exhortatio est ad gentes, ut ad fidem se convertant, alterum tractat de instructione eorum, qui jam conversi sunt, tertium *debuit* esse verae philosophiae ad scientiarum normam adacta explicatio. Alterum grande opus sunt *Hypotyposes* (elucubrations): commentariorum S. Scripturae libri octo, qui fere omnes perierunt. Quod unum superest ex operibus minoribus inscribitur: *Quis dives salvetur?* Septimio Severo imperante Clemens Alexandria effugere debuit (203) et ante annum 216 est mortuus. Vir fuit non solum multiplici scientia eruditus sed grandi amplectu ingenio. Tantopere fuit in scriptis omnis generis volutatus ut theologi, historiographi, archaeologi, philosophi et litterarum erudit pro sua quisque scientia narrationum et auctoritatum copiam apud eum inveniant. Sermo ejus, Photio auctore imaginum flore ornatus, vividus et amoenus est. Acrem

<sup>1)</sup> Kihn, Patrologie, Paderborn 1904, p. 291 sq. Duchesne, Hist. anc. d. l'E., p. 326 sq. F. Lehmann, Die Katechetenschule zu Alexandria kritisch beleuchtet, Leipzig 1896. Tixeront, La Théol. ant., p. 263 sq.

tamen rerum argumentorumque comprehensionem frustra apud eum quaeras<sup>1)</sup>.

c. Maxima scholae Alexandrinae gloria fuit **Origenes**, quem propter singularem laborem ἀδαμάντιον, quod est e chalybe factum, appellabant. Natus Alexandriae anno 185 vel 186, vix duodecimennis scholae fuit praepositus. Austeris moribus magnam noctis partem meditationi et orationi dabat, multosque suos discipulos ad supplicium comitatus est. Fuit vir mira eruditione. Numerantur ejus opera nota 800; fuerunt autem alia quoque, quae ignoramus<sup>2)</sup>. Tractant omnem scientiam ecclesiasticam praesertim exegeticam. Homiliarum major pars periit. *Hexaplorum* et *Tetraplorum* sola fragmenta quaedam supersunt. Praecipuum dogmaticum opus inscribitur *De principiis* ( $\pi\epsilon\rho\alpha\chi\omega\nu$ ). Textus originarius fere totus periit et vertendo Rufinus multa mutavit. Debuit esse theologia scientifica et facta est positiva philosophia religionis. Cognoscendi cupidine illectus, docuit **Origenes** quae antea in Ecclesia audita non fuerant: mundum esse aeternum, praeexistisse animas, redimendos aliquando omnes spiritus lapsos. Miscebat christianismum cum Platonismo, conabatur christiana dogmata Platonicis principiis exponere. Quare nullus. alias ejus liber tantopere oppugnatus est.

Omnium operum ejus praestantissimum est *De oratione* tractatus. Notissimus est liber *Contra Celsum*, qui piae reliquis omnibus scientia eminet non tamen formae perfectione. Dum viveret jam vexatus ob doctrinam, postea praesertim vehementibus disputationibus ansam dedit. Novem ex ejus operibus sententiae solemniter sunt damnatae.

Ipse fugere debuit persecutionem Caracallae, posteaque Caesareae in Palaestina docuit. Mortuus est Tyri anno 254 vel 255 *confessor*, eo quod iterata pro fide tormenta sustinuerat<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G., Tom. VIII—IX. *E. de Faye*, Clement d'Alexandrie, Paris 1898. *W. Capitaine*, Die Moral des Clemens von Alexandrien, Paderborn 1903. *Tixeront*, Vie mondaine et vie chrétienne à la fin du deuxième siècle. Le Pédagogue de Clément d'Alexandrie, Lyon 1906. *Freppel*, Clément d'Alexandrie, Paris 1865.

<sup>2)</sup> *Bardenhewer*, II, 69. Hieronymus: „quis enim unquam tanta legere potuit, quanta ipsa conscripsit”. Ep. 33, cf. De viris ill., c. 54.

<sup>3)</sup> Ed. *Ch. de la Rue*, Parisiis 1733—1789, Tomi 4, fol. *Migne*, P. G., Tom. XI—XVII. Editio critica inchoata est Lipsiae, Die Griech. Christ. Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte. Editio completa non est. *E. Freppel*, Origène etc., Paris 1868, Vol. 2, 2e éd. 1875. *F. Frat*, Origène. Le théologien et

*d.* Nominantur insuper magistri Alexandrini: Heraclias, Pierius, Achillas, Theognostus, Petrus Alexandrinus. Celeber factus est **Dionysius Magnus**, qui circa annum 232 scholae caput fuit et anno 247 vel 248 creatus est Alexandrinus episcopus. Licet agendo potius quam loquendo incubuerit, plura tamen opera scripsit, quae praeter fragmenta quaedam, omnia perierunt<sup>1)</sup>.

*e.* Caesareae in Palestina discipulus Origenis fuit **Gregorius Thaumaturgus**, natus anno fere 213. Cum Origene fuit annis 233—238, et paulo post creatus est episcopus Neocaesareensis. Sunt nobis ejus opera: *Epistola Canonica*, quae est magni momenti pro disciplinae ecclesiasticae notitia, *Oratio gratulatoria ad Origenem*, *Symbolum*, *Metaphrasis in Ecclesiasten*, *Liber de Deo ad Theopompum*. *Epistola ad Evagrium de divinitate* alterius auctoris est<sup>2)</sup>.

*f.* Hic ponatur etiam magni momenti opus. **Didascalia<sup>3)</sup> Apostolorum**. Textus Graecus originalis adest tantum in *Constitutionibus Apostolorum*. Syriacam versionem invenit anno 1852 de Lagarde, et Hauler Veronae duas quintas partes versionis latinae, quae editae sunt anno 1900. Per exhortationes et precepta ad omnium ordinum clericos et laicos ostendit qualis fuerit *saeculo tertio* coetus christianus. *Didaskalia* oriunda est e Syria vel Palaestina. Si accurate conferantur inter se *Didache* et *Didaskalia*, non videtur haec ubiiore sensim explanatione ex illa deducta esse, sicut e *Didaskalia* deducti sunt *Constitutionum Apostolorum* priores sex libri<sup>4)</sup>.

*g.* Ejusdem generis sunt **canones ecclesiastici sanctorum Apostolorum**. Anno 1843 Bickel edidit textum Graecum

l'exégète, Paris 1906. Zöllig, Die Inspirationslehre des Origenes, Strassb. Stud. V, 1, Freiburg, 1902. Duchesne, Hist. a. d. l'E. p. 340 sq. Laforgue, Origène. Controverses auxquelles sa théologie a donné lieu, Sens 1906.

<sup>1)</sup> Migne, P. G. Tom. X, 1233—1344; 1575—1602. Pitra, Analecta sacra, IV, p. 169—182; 413—422. Novissima editio Ch. L. Feltoe, The letters and other remains of Dionysius of Alexandria, Cambridge 1904.

<sup>2)</sup> Migne, P. G., Tom. X, 963—1232.

<sup>3)</sup> Ed. de Lagarde, Didaskalia apost. Siriace, Lipsiae 1854. Hauler, Didascaliae Apostolorum fragmenta Veronensia Latina. Accedunt canonum qui dicuntur Apostolorum et Egyptiorum reliquiae, Lipsiae 1900. Versio germanica H. Achelis—J. Flemming, Leipzig 1904, in Texte und Unters., N. F., X, 2, cum dissertationibus. Optima editio Funk, Didascalia et constitutiones Apostolorum, Paderbornae 1906.

<sup>4)</sup> Vide hypothesin contrariam in Compte rendu du quatrième congrès scientifique international des catholiques, Fribourg (Suisse) 1898. Vide econtra ed. Funk.

originarium. Primis illis saeculis hi canones aliqua auctoritate in Ecclesia fuerunt. Pars eorum e *Didache* mutuata est. Scriptos esse saeculo tertio demonstratur ex hierarchia quae appetet in iis jam exculta<sup>1)</sup>.

**h. Julius Africanus**, e Lybia, vixit et operatus est in Palaestina. Scripsit *Chronographiam*, *primum christianum chronicon*. Ductum ad annum 221, opem contulit multis posterioribus scriptoribus, **Eusebio** quoque, fuitque norma totius historiographiae Byzantinae. Vix tamen quaedam hujus operis, sicut etiam alterius nomine *κεστοί* et plurium aliorum supersunt<sup>2)</sup>.

**i. In Ecclesia Romana** labente saeculo tertio unus tantum auctor hic memorandus occurrit: **Hippolytus**, qui tamen propter eximiam scientiam pro pluribus est. Cum esset unus e superioris ordinis clericis Ecclesiae Romanae, annos 15 Calixto et successoribus ejus, Summis Pontificibus, anti-papa fuit. Unum e praecipuis ejus operibus sunt *Philosophumena* seu *Refutatio omnium haeresum*, cuius Hodie certo auctor censemur<sup>3)</sup>. Auctor ipse nomen philosophumena dat quatuor prioribus libris, qui agunt de philosophia Graeca. Libro quinto inchoat refutare haereticos. Scripsit deinde: *Syntagma*, *Contra Marcionem*, exegistica opera in universam fere S. Scripturam, *Chronicon universum* et alia plura. Sermo clarus, dignus, ingenuus, hinc inde sublimis. Die 13 Augusto anni probabiliter 236, Romae simul cum Pontiano tumulatus est, postquam cum eodem exsularat. Plurima ejus scripta perierunt<sup>4)</sup>.

**k. Methodius Olympiacus** notus est ex opere suo, cui inscriptio *Symposium*, quo celebratur virginitatis excellentia<sup>5)</sup>. Fuit episcopus Olympiacus in Lycia, martyrio coronatus Maximino Daza imperante, anno 311.

<sup>1)</sup> Ed. *Funk*, Tübingen 1884. Ab eo confecta est ea quae additur versio latina. Item *F. Nau*, Art. *Canons des apôtres* in *Dict. de théol. cath.* *H. Leclercq*, uberm scripsit dissertationem in *Hefele*, *Histoire des conciles*, nouvelle trad. fr. appendice IX, Vol. I, 2e partie.

<sup>2)</sup> *Migne*, P. G., Tom. X, 35 sq. et XI, 41 sq.

<sup>3)</sup> Ed. *Duncker—Schneidewin*, Göttingen 1852: *Refutationis omnium haeresum libri decem*, quae supersunt. Cf. *Funk*, *Der Verfasser der Philosophumena*, in *Abh. und Unters.*, II, 161—197. *Adhémar d'Alès*, *La théologie de S. Hippolyte*, Paris 1906. *P. Flournoy*, *Searchlight of Saint Hippolytus*, London 1900.

<sup>4)</sup> De schismate et reliqua vita ejus vide *Döllinger*, *Hippolytus und Kallistus*, Regensburg 1843. *d'Alès*, *La théologie de S. Hippolyte*, Chap. 1. *Bardenhewer*, II, 496 sq.

<sup>5)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 18, p. 1 sq. — *Pitra*, *Analecta sacra*, Tom. III.

*l.* Eodem tempore vixit **Pamphilus** Caesareensis, cuius vitam descriptisit **Eusebius**, qui ejusdem nomine sese appellavit. magister autem ejus **Pierius** orationem in ipsius memoriam habuit. Pro defendenda fide in vincula conjectus **Pamphilus** scripsit defensionem **Origenes**, et **Maximino** impe-  
rante, capite plexus est<sup>1)</sup>.

*m.* Memorari etiam possunt **libri Sybillini**, quorum major pars saeculo tertio retractata vel etiam confecta est<sup>2)</sup>.

*4º. Scriptores ecclesiastici latini.* Primis temporibus scientia ecclesiastica, ut dictum est, tractabatur sermone Graeco. Ea lingua scriptores utebantur plerumque saeculo tertio etiam in occidente quum in Africa, tum in Gallia, immo vero Romae. Sermo Graecus cultusque per universum Romanum imperium dispersus fuit. Eo facilius is dicendi mos apud christianos in usum transiit, quod V. et N. Testamento utebantur Graeco idomate scripto. Latina *Itala* ante initum saeculum tertium non fuit vulgo nota. Litterae autem latino-christianae maxime floruerunt in septentrionali parte Africæ, ubi adhuc prima dimidia parte saeculi secundi nullus coetus designari potuit. Mox tamen scriptores celeberrimi prodierunt lingua latina scribentes.

*a.* Ingeniosissimus omnium sine dubio est **Tertullianus**<sup>3)</sup>. Anno fere 160 Carthagine natus, juris scientia egregie instructus atque anno aetatis 35 ad Christi fidem conversus, unus ex ejus potentissimis defensoribus effectus est. Circa annum 207 se in scriptis montanistam praebet<sup>4)</sup>. Praecipua opera sunt *Ad nationes* et *Apologeticus*, quibus defendit christianos christianamque religionem.

In dogmaticis operibus eminent: *De praescriptione haereticorum*, *Adversus Marcionem*, *Adversus Praxeam*, *De pudicitia*, *De poenitentia*. Reliqua scripta multa praeterimus. Tertullianus doctus est, sententiis abundans, disertus. Sed dicendi genus difficile, asperum, perplexum et contractum, ut vix alias auctor latinus

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 17, p. 521—790; Tom. X, p. 1548—1558.

<sup>2)</sup> *Bardenhewer*, II, 651 sq.

<sup>3)</sup> *A. Kroymann*, Tertulliani opera. Corp. Script. Eccles., Tom. 47, Viennæ 1906. Ed. *Reifferscheid*, Vindebonae 1890. *Nöldechen*, Tertullian, Gotha 1890. *Migne*, P. L., Tom. I—II. Ed. *Freppel*, Tertullien, Cours etc., Paris 1865, 2 vol. *H. Leclercq*, l'Afrique chrétienne, Paris 1904, 1 vol. *Monceaux*, Hist. litt. de l'Afrique chrétienne, 1 vol. Paris 1902. *Turmel*, Tertullien, Paris 1906. *Bardenhewer*, I, 310—332. Optime omnium, *Adhémar d'Alès*, La théologie de Tertullien, Paris 1906.

<sup>4)</sup> Primum adv. Marcion I, 29.

adeo sollers studium requirat. Ingens istud ingenium caret temperantia, moderatione et tranquillitate. Atque ita factum est, ut tam illustri ingenio scientiaque instructus vir desierit in exacerbatum haereticum, caput stultorum exiguo numero fanaticorum. Qua ratione multum suae nocuit auctoritati <sup>1)</sup>.

*b.* Saeculo tertio aut quarto nullius scripta frequentius versabantur quam **S. Cypriani** <sup>2)</sup>. *Tertullianum* ipse suum magistrum vocabat. Circa annum 200 in gentilitate natus, celeber rhetor Carthagine nomen Ecclesiae dedit, creatusque est vix tribus post annis, id est anno 249, ejusdem civitatis episcopus. Vir fuit usui rerum et fidei magis deditus quam speculandi ratiocinandi modo. Celeberrimus ejus liber est *De catholicae ecclesiae unitate*; pulcherrima sunt opera *De lapsis* et *De mortalitate*; magno pretio habendae sunt ejus epistolae 81 sicut reliqua scripta plurima. Argumentis saepe *Tertulliani* innixus, sermone et ratione dicendi longe ab eo discrepat. Facultatem dicendi eminenti perfectione usurpat: est disertus, clarus, celer, venustus; unctio et salutaris ardor in dicendo ab omnibus laudatur.

*c.* Ne separarentur, qui modo nominati sunt, magister a discipulo, posuimus hic **Minucium Felicem**, qui ratione aetatis proximus post *Tertullianum* memorandus est, plurimorum judicio etiam ante *Tertullianum*. Quod si *Tertullianus* revera *Minucio Felici* nitatur, celebre hujus opus *Octavius* anno fere 180, *Commodo* imperante, esset scriptum <sup>3)</sup>. Haec apologia compositione et dicendi modo est una prae reliquis ex antiquitate omnibus praestans. Dialogi forma usus auctor refellit omnes ethnicorum calumnias et defendit luculenter religionem christianam. Sermonis ratio est ingeniosa, vivida et alliciens, non violenta, sed tamen fervore et ardore plena <sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> *Migne*, l. c. *Hieron.*, De vir. ill., c. 53 et passim. *Hilarius*, Comm. in Mt. V, 1. *Vinc. Lir.*, Common., c. 24.

<sup>2)</sup> Ed. *Hartel*, Vindobonae 1868—1871. *L. Nelke*, Die Chronologie der Correspondenz Cyprians, Thorn 1902. Cf. *H. v. Soden* in Texte und Unters. (1904), N. F. X, 3. *Monceaux*, Hist. Litt. de l'Afrique chrétienne, Tom. II. St. Cyprien et son temps, Paris 1902. *Bardenhewer* I, 332—350.

<sup>3)</sup> Cf. *Octavium* cum *Apologetico*: c. 28, 6 cum c. 7; cap. 21, 9 cum c. 11; c. 21, 4 cum c. 10; c. 9, 28 cum c. 16; c. 6, 25 cum c. 24—25. Haec et plura alia videntur indicare *Minucium Felicem* prius scripsisse. Discrepant tamen doctorum sententiae; cf. etiam *Bardenhewer*. I, 302—310.

<sup>4)</sup> *Migne*, P. L., Tom. III. Multo melior editio *Waltzing*, Louvain 1903 et ed. *Boenig*, Leipzig 1903. Cf. *Duchesne*, Hist. a. d. l'E., I, 388 sq.

Minucius Felix Romae fuit causarum patronus. Frustra multi conati sunt probare *Octavium* serius esse confectum.

d. Post totum fere saeculum nova edita est apologia latina **Arnobii Adversus nationes**. Is fuit rhetor in Africa neque diu christianus, cum hoc opus conficeret. Patet hoc ex perplexis auctoris sententiis de rebus fidei. Liber defendendum assumit christianismum (lib. I—II) et refutandum ethnicismum (lib. III—VII) scriptumque est anno fere 305. Doctrina non est ab errore immunis, sermo incertus et tumidus, neque lucida argumentandi ratio<sup>1)</sup>.

e. Majorem laudem obtinuit **Lactantius**, ejus discipulus. Natus in Africa, jam Diocletiano regnante notus propter scientiam, ab imperatore creatus est rhetor latinus Nicomediae; quo munere privatus est decreto 24 Febr. 303. Hieronymus narrat eum magistrum fuisse Crispī principis<sup>2)</sup>. De reliqua ejus vita vix quidquam notum est. Librum *Divinae institutiones* conscripsit annis 305—310. Paulo posterius editus liber *De mortibus persecutorum*, cuius quidem difficile negari potest Lactantium esse auctorem<sup>3)</sup>. Praeter haec duo praecipua, alia multa scripsit opera. Quodsi propter sermonis praestantiam jam in antiquitate appellatus est Cicero christianus, minor multo est theologica ejus auctoritas<sup>4)</sup>.

f. Memorari etiam possunt **Commodianus**, qui videtur scrispsisse ante Nicaenum concilium et e nonnullorum sententia scholae Africanae est adnumerandus. Scripsit *Carmen Apologeticum* et *Institutiones*, quorum operum neque forma poetica egregia est neque doctrina tuta. Monarchianismum olet prior liber. **S. Victorinus Pettavius** notus est propter commentarios in S. Scripturam, qui praeter Apocalypsis interpretationem fere cuncti perierunt.

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. V. Editio Reifferscheid, Vindobonae 1891. Tixeront, La théol. ant., p. 441 sq. Bardenhewer, I, 360—364.

<sup>2)</sup> De vir. ill., c. 80. Pichon, Lactance, Paris 1901. Monceaux, Hist. Litt. de l'Afrique chrét., Tom. III—IV; d'Arnobe à Victorin, Paris 1906.

<sup>3)</sup> Bardenhewer, II, 485 sq. Freppel, Commodien, Arnobe, Lactance, Paris 1893. Migne P. L., Tom. VI—VII.

<sup>4)</sup> G. Roissier, Commodien, Paris 1866. Tixeront, l. c., p. 450. Bardenhewer, I, 353—359. G. Bareille, Art. Commodien in Dict. de théol. cath.

PERIODUS ALTERA.

AB EDICTO MEDOLANENSI USQUE AD SYNODUM TRULLANAM.

313—692.



## CAPUT PRIMUM.

### ECCLESIAE APUD VARIOS POPULOS PROPAGATIO.

§ 23 – § 26.

#### § 23. Ecclesia et imperium Romanum.

*Eusebius*, Vita Constantini; Hist. Eccl., X, 8 sq. *Socrates*, Histor. Eccl., lib. I—III. *Sozomenus*, Hist. Eccl., lib. I—V. Codex Theodosianus. *Victor Schultze*, Geschichte des Unterganges des Griechisch-Römischen Heidentums, Bde I—II, Jena 1887—1892. *Gaston Boissier*, La fin du paganisme, Vol. I—II, 5 éd., Paris 1907. *P. Allard*, Le christianisme et l'empire Romain de Néron à Théodose, Paris 1897. *Schiller*, Geschichte der Römischen Kaiserzeit, Bd II: von Diocletian bis zum Tode Theodosius des Grossen, Gotha 1887. *A. de Broglie*, L'église et l'empire Romain au 4<sup>e</sup> siècle, Vol. I—IV, Paris 1856—1866. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Vol. II, Paris 1907. *Beugnot*, Histoire du paganisme en occident, Vol. II, Paris 1835.

Ingentem animorum motum apud christianos excitavit edictum Mediolanense. E 1600 dioecesisbus<sup>1)</sup> Ecclesiae conclamatum est est gaudio per universum imperium. Christianismo restituta non solum ecclesiastica sed etiam civilis libertas. Prodiit Ecclesia undique e catacumbis et latebris operam datura instaurandis aedificandiisque templis constituendisque libere suis institutis et legibus<sup>2)</sup>. Statim **Constantinus** aggressus est nimis vetusta dominatione tyrannica imperium liberare, ethnicosque paulatim ad unam veram religionem adducere<sup>3)</sup>. Clerici levabantur omnibus officiis civilibus (313, 319, 320)<sup>4)</sup>. Ecclesiae jus dominii et jus haereditarium collatum est anno 321. Econtra in oriente inchoavit anno 316 **Licinius** christianos persecuti, vetans exercitia religiosa

<sup>1)</sup> *Harnack*, Mission und Ausbreitung des Christentums, p. 537—538.

<sup>2)</sup> *Euseb.*, H. E., IX, 11; X, 3—4.

<sup>3)</sup> *Euseb.*, Vita Const., II, 65.

<sup>4)</sup> Ibid. X, 7: ne (clericis) a cultu summae divinitati debito abstrahantur.

fieri *intra civitates*, miscens se rebus ecclesiasticis, quin etiam multans poena exsilio, carceris et mortis. Episcopi pauci et praesertim quadraginta martyres Sebastae occubuerunt<sup>1)</sup>. Tum exortum est proprium bellum sacrum inter Constantium, pugnantem pro christianismo, et Licinium defendantem paganismum<sup>2)</sup>. Proelio victus apud Andrinopolin et Byzantium, 3 Julio 323, et imperio dejectus, anno proximo propter ambitum capite plexus est. Tum Constantinus imperavit solus, Ecclesiae orientali ingenti gaudio.

Anno 324 edicta duo tulit. Altero revocati exsules, e carceribus libertati redditи confessores bonaque et munera restituta; militibus christianis facultas facta recipiendi suum in exercitu dignitatis gradum aut recedendi *honesta dimissione*; bona a martyribus relicta reddita familiaribus, aut si hi deessent, ecclesiis, quibus etiam in publicum redacta bona restituta. Suam quisque conditionem, qua fuit ante persecutionem, recepit. Altero edicto Constantinus se christianum esse declaravit, divino auxilio se de crudelibus imperatoribus reportasse victoriam confessus est, declaravitque se desiderare, ut omnes verae fidei nomen darent, neminem tamen cogere velle. Ampliora imperii munera contulit christianis, liberos suos christiane educandos, plura magnifica construenda templa curavit. Studuit ut symbola ethnica non amplius incuderentur nummis, et severis mandatis vetuit sacrificia privata haruspicum et obscaena deorum sacra. Sunt qui putent eum postea cuncta deorum sacrificia vetuisse. Quod quum valde si improbabile, tum certo successum non habuit.

Sede imperii translata Byzantium, mutato nomine Constantinopolim, eam transformavit Constantinus in splendidam christiana specie civitatem, cuius dedicatio facta est 11 Mayo 330. Unde consequens fuit, ut augeretur quidem praestantia primatus Romani et auctoritas, verum etiam oriretur aemulatio damnosa inter utramque civitatem postea funesta futura.

Hierosolymis Constantinus evertit Veneris templum aedificavitque magnificam basilicam cum pluribus aedibus ad venerandas verae crucis reliquias et S. Sepulcrum. Helena, pia imperatoris mater, peregrinationem sacram in terram sanctam

<sup>1)</sup> Euseb., H. E., X, 8.

<sup>2)</sup> Ibid., X, 9 et Vita Const., II, 5.

suscepit, ut loca sacra investigaret. In monte Olivarum et supra antrum Bethlehemiticum brevi tempore magnifica basilicae constructae sunt. Socrus quoque imperatoris ad veneranda loca sacra obtinuit a Constantino, ut in Hebron aedificaretur basilica<sup>1)</sup>.

His omnibus, quae laudi Constantino ducuntur, opponi debet, quod mansit catechumenus usque ad proximam mortem, quod fuit valde superstitiosus, animo vehemens et non raro crudelis. Necati ab eo sunt Licinius ejusque filius Licinianus, suus ipsius filius Crispus suaque altera uxor Fausta. Causae tamen et adjuncta nobis non ita innotuerunt, ut liceat eum homicidii reum dicere. Voluntas ejus in Arianos, etsi excusatione digna, magnum tamen intulit Ecclesiae detrimentum. De Constantino accidit, quod de magnis viris accidere solet, ab alteris nimium laudatus, ab alteris inique vituperatus est. Suscepito ab Eusebio Nicomediensi baptismo, pia morte obiit, 22 Majo 337<sup>2)</sup>). Constantinum jam multo ante a Sylvestro Pontifice Romae baptizatum atque a lepra mundatum esse, commentum est<sup>3)</sup>.

20. Ex Constantini mandato imperium inter tres ejus filios distributum est. Constantinus II obtinuit praefecturam Galliae (Galliam, Hispaniam et Britanniam); Constantius praefecturas Italiae et Illyriae (Italiam, Africam, Illyriam, Macedonia et Daciam); Constantius praefecturam Orientis (Thraciam, Asiam Minorem, Cappadociam, Pontum, Syriam et Ægyptum<sup>4)</sup>). Ne molesta ambitione vexarentur imperatores, decem suos propinquos interfici mandarunt. Julianus, postea futurus Apostata, a Marco Arethusano episcopo e mortis periculo ereptus. Gallo graviter decumbenti pepercérunt.

Tale initium non fuit Ecclesiae præsagium magnæ prosperitatis. Constantinus II jam anno 340 occubuit proelio, apud

<sup>1)</sup> C. Wilson, Golgotha and the holy sepulchre, London 1906. Germer-Durand, elucubrations in Echos d'Orient, 1903 et 1904. Louis de Combes, La vraie Croix perdue et retrouvée, Paris 1902. Rouillon, Sainte Hélène, Paris 1907; vide appendicem de inventione verae crucis.

<sup>2)</sup> Funk, Abh. u. Unt., II, 1–23. Zeitschr. f. Wissenschaftl. Theol., 1887, 1890 1892 (Görres). Grisar, Zeitschr. f. Kath. Theol., 1882.

<sup>3)</sup> Ch. de Smedt S. J. Principes de la critique historique, Paris 1883. Grauert, Hist. Jahrb. d. Görresvereins, 1882, 1883, 1884. Döllinger, Papstfabeln, 2<sup>o</sup> Aufl. 61–125.

<sup>4)</sup> Euseb., Vita Const., IV, 51. Socrates, Hist. Eccl., I, 39.

Aquilejam contra Constantem decertans, cui tum totum Occidens obvenit. Quod jam, miscendo se in administrandis ecclesiasticis negotiis, grave onus Ecclesiae imposuerat Constantinus, id filii ejus indigno modo aggravaverunt. Anno 341 leges severas contra ethnicos ediderunt. Superstitioni finem imponendum, sacrificia ethnica abroganda statuerunt. Quin etiam fuerunt, qui ad graviora stimularent, quorum tamen voluntati obtemperatum nondum est. Posteaquam Constans proelio occubuit contra Magnentium, qui et ipse victus fuit a Constantio apud Mursam, tum demum hic acrioribus mandatis ethnicos aggressus est (350—361). Poenam mortis constituit sacra ethnica facientibus deorumque templa anno 353 occlusit. Attamen graves poenae, negligentibus magistratibus intentatae, efficere non potuerunt, ut ethnicus cultus omnino evanesceret. Ipse Constantius denuo ethnicos sacerdotes constituit, et puerorum institutionem permisit sophistarum arbitrio. Cui inconstantiae in expugnanda idololatria addidit majorem etiam licentiam favendi Arianis contra orthodoxos. Gallum, fratri sui filium et Caesarem creatum, suspicione motus interfecit. Julianus vero quem Galli loco Caesarem constituerat, eum revera prodiit. Hunc debellare aggressus, apoplexia correptus, interiit 3 Novembri 361. Ob cujus in Arianos studia molestias plurimas et acerbitates Ecclesia passa est.

3º. Graviori discrimini fuit Ecclesia exposita imperante **Juliano Apostata**<sup>1)</sup>, qui Constantio successit. Disciplina partim ariana partim ethnica educatus, christianus esse desiit. Intimam christianismi indolem a magistris arianis non didicerat. Quo factum est, ut studiose mysteriis ethnicis incubuerit iisque eo ferventius adhaeserit, quo magis christianam religionem despiceret. Julianus autem de christianismo dicenti: „*legi, intellexi, condemnavi*” responderunt episcopi: „*legisti, sed non intellexisti, si enim intellexisses, non condemnasses*”<sup>2)</sup>. Missus Caesar in Galliam, anno 357, facilitate et peritia sua militum voluntates in se conciliavit, ita ut renuntiaretur Augustus. Ob subitam mortem Constantii bellum civile non exarsit. Imperator factus Julianus

<sup>1)</sup> P. Allard, *Julien l'Apostat*, Tom. I—III, Paris 1903 sq. Prof. de Groot, *De Katholieke*, Dl. 126, p. 257 sq. 354 sq. R. Nostitz-Rieneck, *Vom Tode des Kaisers Julian*, Jahresbericht der Stella matutina von Feldkirch 1908—1909, p. 1—35, ubi critice agitur de morte Juliani.

<sup>2)</sup> Sozom., H. E., V, 18.

extemplo causam ethnicismi promovere coepit. Cruentam persecutionem non sectatus, tamen diu repressum ethnicorum in christianos furorem non cohibuit, quin etiam ipse persecutus est eos, qui ethnicismum oppugnarent. Martyres occubuerunt inter alios Basilius Ancyrensis, Aemilianus Dorostori, in Phrygia Macedonius, Theodulus et Tatianus. Quin Marcus Arethusanus, qui Julianum e nece servaverat, crudeliter a plebe violatus est. Ubi frequentes erant ethnici, atrociter saevitum, sicut Emesae, Alexandriae, Ascalone, Gazae et Heliopoli. Etiam Antiochiae, cujus fere omnes incolae erant christiani, conatus est Julianus ethnicismum instaurare. Id praecipue agebat, ut contemptui objicerentur christiani, contumeliis et ludibrio onerarentur, ac scholis<sup>1)</sup> et magistratu arcerentur. Existimans fore ut litigantes (orthodoxi, Arianii, Semiariani, Donatistae etc.) se invicem destruerunt, exsules omnes revocavit<sup>2)</sup>. Conabatur ethnicum cultum forma rituque novare, christianamque speciem ei induere (praedicando, poenitentia, monachis). Ut mendacii coargueret praedictionem Christi, jussit Judaeos templum Hierosolymitanum reaedificare. Sed numerosi illius temporis auctores, etiam ethnici, narrant, terrae motus et eruptas e solo flamas impedissee, ne opus perficeretur<sup>1)</sup>. Ipse imperator scripsit opus septem libris ad impugnandam christianam fidem. Deus autem tutavit Ecclesiam suam. Contra Persas profectus, anno 363, cecidit Julianus, quem narrant sanguinem suum in altum projecisse clamando: *Galilaei vici!*

4º. Tum ab exercitu **Jovianus** (363—364) imperator prouinciatus est. Qui quamquam egregius erat bellidux non minus quam eximus catholicus, pacem tamen facere cum Persis coactus est. Repudiavit Arianos, christianis erepta jura restituit, ethnicorum solas magicas artes vetuit. Post paucos menses, lugentibus omnibus, defunctus est anno 364<sup>4)</sup>.

**Valentinianus I** (363—375) et ipse ab exercitu imperator renuntiatus, infausto consilio fratrem suum **Valentem** socium

<sup>1)</sup> Ipse Ammianus *Marc.* scribit: „illud autem inclemens, obruendum perpetuo silentio, quod arcebant docere magistros rhetoricos et grammaticos ritus christiani cultores. Hist., XXII, 10; cf. XXV, 4.

<sup>2)</sup> Ib. XX, 5, *Sosom.*, V, 3.

<sup>3)</sup> Ammian. *Marc.*, Ib. XXIII, 1; Julian., Epist. 25 (fragm.) *Sozom.*, V, 22, *Socrates*, H. E., III, 20.

<sup>4)</sup> *Socrates*, III, 22—25, *Sozom.*, VI, 3—6.

regni assumpsit. Dum **Valentinianus** Nicaenam fidem catholicus profitebatur, **Valens** arianus, in Oriente imperans, omnibus, non tamen catholicis, liberam fidem permisit<sup>1)</sup>. Simul cum catholicis etiam **Juliani Apostatae** amicos persecutus est. **Valentiniano** autem, dum bellabat contra Sarmatas mortuo, increvit persecutio<sup>2)</sup>.

**Valente** defuncto, **Gratianus** (375—383) et **Valentinianus II** (375—392) imperium universum obtainuerunt. Propter hujus puerilem aetatem (quadriennis enim erat) **Gratianus** belli ducem **Hispanum**, **Theodosium** (379—395), sibi pro Orientis imperio associavit. Omnes hi tres imperatores eximie fuerunt catholici. **Gratianus** tamen ethnicis pepercit, utut posuerit insignia *Pontificis Maximi*, e curia senatus Romani deam *Victoriam* auferendam curaverit, flaminibus ethnicis virginibusque *Vestalibus* subsidia privilegiaque abstulerit.

Graviter lugente **S. Ambrosio** cunctisque catholicis anno 383, a **Clemente Maximo**, quem in Britannia milites imperatorem pronuntiaverant, **Gratianus** interfectus est. **Valentinianus II** opem petuit a **Theodosio**, qui anno 388, victo interfectore, **Valentiniani** imperium in Occidente stabile fecit. **S. Ambrosii** auxilio fretus, **Valentinianus** rectam voluntatem non mutavit noluitque indulgere illustribus ethnicis, qui duce **Symmacho** praefecto petebant, ut **Victoriae** statuam restitueret.

5<sup>o</sup>. **Severius** in oriente egit **Theodosius** contra ethnicos, praesertim apostatas<sup>1)</sup>. Frustra suam scripsit ethnicam **Libanius** rhetor apologiam. Anno 386 templa occlusa sunt, anno 391 poenae constitutae intrantibus, anno 392 idolorum cultus crimini laesae majestatis adaequatus atque multis locis idola destructa sunt<sup>2)</sup>. Tum passim christiani inchoarunt templa deorum reverttere, quod, reluctantibus ethnicis, Alexandriae causa fuit cruenti certaminis, cui dirutis templis finis impositus est. Neque celebri templo Serapidis parsum. Duobus annis post notissima Jovis Olympiaci statua Constantinopolim abducta. Quae omnia facta sunt fortiter reluctantibus ethnicis, extremo conatu idolorum cultum defendantibus.

<sup>1)</sup> *Socrates*, VI, 6; *Sozom.*, IV, 1. cf. *Rufinus*, Hist. Eccl., II, 2.

<sup>2)</sup> *Orosius*, Hist., VII, 32—33, ed. *Zangemeister*, p. 514—515.

<sup>3)</sup> *Codex Theodosianus*, XVI, 7, 1—5.

<sup>4)</sup> *Ibid.*, 10, 10—I2. *Libanii opera*, ed. *Förster*, III, p. 80 sq.

Nefasta anno 392 erupit in occidente commotio. Arbo-gastus belli dux **Valentinianum II** occidit deditque imperium **Eugenio** rhetori, cui praetorianorum praefectus **Flavianus Nicomachus** fortiter succurrit. Romae cultus ethnicus instauratus. **Theodosius** autem ex oriente profectus proelio apud Aquilejam Eugenium die 5 Septembri 394 devicit, qui cum **Flaviano** praefecto occubuit. Tum christianus in perpetuum fuit imperii cultus. Solus **Theodosius** tenebat imperium, qui tamen obiit jam anno insequente 395<sup>1)</sup>.

6º. Quo mortuo ultima imperii partitio facta est. **Arcadius** (395—408) *oriente* potitus, flaminibus ethnicis privilegia omnia et subsidia abstulit. **Theodosius II** (408—450) magistratu exclusit ethnicos, scriptaque omnia christianam fidem impugnantia exurenda curavit (448). Legis 423<sup>2)</sup> verba attendens dices paganismum penitus in imperio extinctum<sup>3)</sup>; at imperatorem hyperbolice loqui, patet ex eo, quod **Justinianus** sua aetatis ethnicis jus dominii exemit, et anno 529 ethnico-philosophorum scholam Atheniensem occlusit.

In *occidente* **Honorius** (395—423) templis extremos suos redditus abstulit, ejusque minister **Stilico** carmina Sibyllina exurenda mandavit. Jam anno 395 lex fuerat lata, qua imperii magistratus jubebantur christianum clerum tueri<sup>4)</sup>. **Honorius** quoque imperante ultimi ludi gladiatorii editi sunt, qui ab eo inde tempore manserunt severe prohibiti<sup>5)</sup>. Monumenta autem vetera ex imperatorum occidentis voluntate servanda fuisse, patet e legibus latis ab imperatoribus **Valente**, **Gratiano**, **Valentiniano I**, **Honorio**, **Majoriano** et **Justiniano**<sup>6)</sup>.

**Honorio** successit **Valentinianus III**, qui cum **Theodosio II** supra memoratam legem tulit, qua scripta omnia fidem christianam impugnantia flammis dabantur. **Valenti-**

<sup>1)</sup> *H. Grisar*, Geschichte Roms u. der Päpste, Freiburg 1901, I, 1 sq.

<sup>2)</sup> Codex Theod., XVI, 10, 22.

<sup>3)</sup> Alexandriae (416) in commotione populi contra Judaeos docta Hypatia trucidata est. *S. Cyrrillum* hujus criminis causam fuisse aliqui calumniati sunt. Cf. *Socrates*, H. E. VII, 13—15, cf. *Dr. Sicking*, De Katholieke, Deel 129 ss.

<sup>4)</sup> Cod. Theod., XVI, 2, 29.

<sup>5)</sup> *Grisar*, I, 32—34. *Analecta Boll.*, 1897, p. 252. *Theodoret.*, H. E., V, 26.

<sup>6)</sup> *Grisar*, I, p. 55 sq. *Procopius*, De bello Gothicō, IV, 22.

nian o III successerunt aliqui mediocri fama imperatores, donec anno 476, **Romulo Augustulo** imperante, barbari regnum occidentis everterunt.

7º. Quaeres forsitan nonne juvenili virtute validus christianismus prohibere potuerit, ne imperium interiret. Responsio est, christianos imperatores fractum ac pene dissolutum imperium suscepisse administrandum. Per duo saecula effrenati mores redditus publicos disturbarant. Robur militare jam diu consuerat, jamque longo tempore ante quam christiana fides victoria potiretur, res omnes publicae miserrime elanguerant. Succubuit imperium morbis, quorum semina aetate Ecclesiae erant antiquiora<sup>1)</sup>. Haud quidem destitit Ecclesia laborare ut **mores ethnici extirparentur**, quod demum adepta est. Sed fuit negotium valde arduum. Quae frequenter tentavit Ecclesia, maximam partem per Romanum imperium frustrata sunt. Cujus quidem rei causae hae fuerunt: saeculo quarto et quinto palatia et ecclesiae scatebant **semi-conversis**. Magistratum enim favor erga christianos, ac rerum publicarum commutatio, qua veteris cultus sectatoribus omnis redintegrationis spes fuit adempta, compulit multos, ut nomen darent religioni, de cuius veritate sibi persuasum non esset, cuique perversis moribus dedecori fuerunt. Altera causa fuit **superstitio**, quae e paganis moribus deducta, e consortio cum ethnicis vires semper novas hausit<sup>2)</sup>. Magnum dein instauracionis christianaे impedimentum fuit inveterata **morum publica perversitas**. In foro, thermis, theatris, ethnici praecipuas libidinis sedes collocarant. Dominante impudicitia omnem verecundiam exuerant. Quod praecipue de urbe Roma dicendum. Quae civitas in christianorum existimatione erat tanquam Babylon quaedam, ad interitum ruens. Quare clero spes non supererat fore, ut aggerem objicere possent impunitatis flumini, quod denuo quae mundaverant sordibus obrueret<sup>3)</sup>. Adde **trepidationem publicam**, commotionum metum, **bella**, perturbationes populorum migrationibus

<sup>1)</sup> Gaston Boissier, *La fin du paganisme*, Tom. II, Paris 1891, p. 514 sq. Grisar, I, 57 sq.

<sup>2)</sup> Migne, P. L., Tom. 55, p. 83, 377. Preces etc. N°. 37.

<sup>3)</sup> Cod. Theod., XV, 7, De scaenicis, 5. Ambros., De obitu Valentiniani, N°. 17. Ammian. Marcell., Hist., XIV, 5.

exortas, quae omnia tenebant animos metu ac commotione suspensos, impediebantque, ne christiani mores ac virtutis exercitia florerent.

Quac suspensa animorum concitatio haud parum detinuit rectam **populi educationem**. Quietiore tempore fuisse periculum facilius depulsum, populique institutio constantius exacta, atque potuisset salubre Ecclesiae auxilium ocios reipublicae morbis mederi; christiana quoque scholae citius numero auctae ac moderatione floridae fuissent, ac scientia ecclesiastica luculentius exulta. Erant autem superioris disciplinae instituta pauca, paucique christiani classicis studiis erudit, dum ethnici econtra scientia conformationeque doctrinae gloriarentur, sermonis litterarumque elegantiam quasi jure suo sibi vindicarent.

**Ethnica humanitas** suis blanditiis nondum erat orbata. Philosophia sua atque arte dicendi Symmachus, Claudianus, Ausonius, Ammianus et Eutropius litterarum fere omne studium regebant, nimiusque fuit eorum in omnem disciplinam influxus.

Demum **intima rerum civilium constitutio** praecipuum fuit obstaculum quominus christiana sanctitatis fermentum in totam populi massam permanaret. Imperium, ad christianam fidem conversum, principiis haud paucis ethnicis tenaciter inhaerebat, praesertim isti, e pagano cultu haustae sententiae, summum omnium rerum dominium imperatori competere (*Caesaropapismus*). Justinianus imperator adhuc saeculo sexto lucidum hujus erroris fuit exemplar, licet egregia multa ad excolendos mores christianasque virtutes constituerit. Aemulum imperium, anxie infinitam suam potestatem tutari cupidum, haud raro libertatem Ecclesiae cohibuit, vanam reddidit ecclesiasticam auctoritatem favendo erroribus, et schismati discordias fovit, praeclusisque christiana humanitati vias ad intimos humanae societatis sensus, quibus mederi adeo erat opus. Quod quidem imperii studium miscendi se Ecclesiae negotiis, jam Constantini aetate natum, identidem incrementum accepit ex eo, quod haeretici continuo sollicitarent imperatores, ut damnari errores ne sinerent.

Non tamen unquam spem depositit Ecclesia, sollicita, adjumentorum supernaturalium usu, humanos animos ad meliora informare. Quemadmodum aetate martyrum, ita tum quoque magnam sanctitatis comparandae vim exserebant S. Missae sacri-

ficum, sacramenta et precationes. Quae quidem adjumenta sine ostentatione, sed in silentio, tuto et certo operabantur. *Noli hoc solum videre*, inquit Augustinus, *quod publice fluit; est aliquid quod quaerendo invenias*<sup>1)</sup>.

---

### § 24. Christianismus in Asia et Africa.

*Assemani*, Bibliotheca orientalis, Romae 1719, Tom. I—III. *Duchesne*, Autonomies ecclésiastiques; églises séparées, 2<sup>e</sup> éd., Paris 1905. *J. Labourt*, Le christianisme dans l'empire Perse, Paris 1905. *Simon Weber*, Die katholische Kirche in Armenien. Ihre Entwicklung und Begründung vor der Trennung, Freiburg i/Br. 1903. *Rufinus*, H. E., X, 9. *Sozomenus*, II, 9—15, 24. *Socrates*, VII, 8—18. *Theodoreetus*, H. E., V, 36—39.

I<sup>o</sup>. In Persiam evangelica doctrina illata est saeculo tertio, anno fere 250. Jam saeculo quarto fuit ibi hierarchia ecclesiastica constituta. At **Saporis II** regis edicto, anno 339—340, inchoata est violenta persecutio, quae pene sine intervallo duravit usque ad Saporis mortem, 10 Augosti 379. Temporibus belli, quod cum christianis imperatoribus Romanis gereretur, gravius christiani exagitabantur. *Cunctos ejus temporis martyres*, scribit Sozomenus<sup>2)</sup>, *tam viros quam mulieres, quorum nomina recoluntur, sedecies mille numero fuisse perhibent*. Mortuo Sapore diuturna pace Ecclesia respiravit. Anno 399 **Isdegerd I** factus est rex, qui principio valde benevolus, christianis omnibus libertatem concesserat eorumque tempora curaverat reaedificanda, mox metu captus eo, quod exiguo temporis spatio plurimi etiam e nobilioribus fidei nomen dedissent, denuo persecui Ecclesiam coepit. Occasio fuit, quod anno 420 Hasu sacerdos, conscio vel inscio **Abda** episcopo, templum igni dicatum, ecclesiae suae adjacens everterat. Mortuo Isdegerde I, anno 421, ei succedens **Bahram V** (421—438) persecui christianos non destitit, ita ut duraverit persecutio usque ad finem saeculi quinti, quum per

<sup>1)</sup> In Ps. LXXX, N<sup>o</sup>. 1, *Migne*, P. L., Tom. 37, p. 1034. *Grisar*, I, N<sup>o</sup>. 26 sq. *A. de Broglie*, l'Eglise et l'empire Romain au 4<sup>e</sup> siècle, III partie, Tom. II, Paris 1866. *Am. Thierry*, Saint Jérôme, la société chrétienne à Rome, 2 éd., Paris 1875.

<sup>2)</sup> II, 14; cf. *J. Labourt*, l. c. p. 51—82.

Nestorianismum Persiaca ecclesia a catholica fide divellebatur. Anno 651 Mahumetani Persas subjugaverunt.

2º. Jam saeculo secundo erant in **Armenia** christiani (*legio fulminata*). valde multi erant aetate Licinii. Saeculo quarto **Tiridate** regnante, praedicante **Gregorio Illuminatore**, tota fere regio, **Christo** credens, ordinibus suis composita hierarchia regebatur<sup>1)</sup>. Praecellens metropolita (*katholikos*) suit **Nenses**, qui annos fere 20 (353—373) ecclesiam Armenam regebat, quam **Pap** rex (369—373) frustra conatus est a Romana communione divellere. Nefasto christianis eventu Armenia facta est anno 428 Persiaca provincia. Parsismo, ne introduceretur, fortissime reluctantes christiani, impares fuerunt callidis artificiis monophysitarum. Itaque, quamquam per medium saeculi partem Concilium Chalcedonense sequi perstiterunt, tandem tamen anno 491 fatale *Henoticon* atque errorem monophysitarum admiserunt. Anno 596 Synodus Dovinensis sub **Abrrahamo katholiko** ab Ecclesia catholica se sejunxit<sup>2)</sup>.

3º. **Abessiniae** fides illuxit temporibus **Constantini**. Frumentius et Edesius juvenes, Tyro oriundi, in servitutem abducti Auxumam, ad aulam regiam Abessiniacam, indigenas fidem Christi docuerunt. Edesio postea Tyrum redeunte, Frumentius profectus est Alexandriam, episcopo Athanasio de populi hujus conversione nuntiaturus. Quem Athanasius Auxumanum episcopum consecratum, anno 328—329 in Abessiniam remisit. Aizana rex et magna populi pars fidem christianam susceperunt. Frustra postea Constantius imperator conatus est Arianismum ibidem introducere. Saeculo sexto inveniebatur ordinata hierarchia, imo vero monachi<sup>3)</sup>. Abessinia accipere solebat suum caput ecclesiasticum (*Abuna*) ab Alexandrinis. Quo factum est, ut ad errorem monophysiticum proriperetur<sup>4)</sup>.

4º. **Iberia** sive Georgia, ad Kaukasum, fidem suam debuit servae christiana, Nuniae nomine. Quae cum Constan-

<sup>1)</sup> Acta SS. Boll., Tom. 7 Sept., p. 330 sq.

<sup>2)</sup> Hefele, Conc., II, 716; cf. L. Petit, Art. Arménie, Histoire religieuse, III. Les origines chrétiennes in Dict. de théol. cath.

<sup>3)</sup> Cosmos Indicopleustes, Topographia christ., Migne, P. G., Tom. 88, p. 169.

<sup>4)</sup> Socrates, I, 19; Sozom., II, 24; Ruf., I, 9. Deramey, Introduction et restauration du christianisme en Abyssinie, 330—480, Revue de l'histoire des religions 1895.

tini aetate (anno fere 326) infanti cuidam atque reginae reddidisset sanitatem, rex ipse Miraeus Ecclesiae nomen dedit<sup>1)</sup>. Ad quos Constantinus misit episcopos, qui opus inchoatum perficerent.

**Sabaei** in Arabiae parte meridionali, quibus etiam nomen *Homeritae*, a Constantio ad Arianismum perducebantur. Eorum fuit apostolus *Theophilus*. Saeculo autem quarto ad rectam fidem redierunt. *Moses* monachus, *Simeon Stylita* et monachi de monte Sinai multum ibidem laboraverunt. Tamen postea, persequentibus Persis et Mahumetanis, fides in ea regione deperiit<sup>2)</sup>.

Anno 636 Nestoriani fidem christianam in ipsum imperium **Sinense** induxerunt, ut patet ex inscriptione anni 781, quam Patres Soc. Jes. anno 1625 prope Si-gan-fu invenerunt.

### § 25. Christianismus et transmigratio populorum.

*G. Boissier*, Le christianisme et l'invasion des barbares (*Revue des deux mondes*, 1890). *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, I B., 2<sup>e</sup> Aufl., Leipzig 1898. *H. Grisar*, Geschichte Roms und der Päpste, I B., Freiburg 1901. *Dahn*, Die Könige der Germanen, 7 Bände, München—Würzburg—Leipzig 1861—1897. *Uhlhorn*, Kämpfe und Siege des Christentums in der Germanischen Welt, Stuttgart 1890. *Villari*, Le invasioni barbariche in Italia, Milano 1907. *G. Kurth*, Les origines de la civilisation moderne, 2 vol., Paris 1903.

I<sup>o</sup>. **Visigothorum** patria Dacia fuit, seu Hungaria-Rumenia orientalis. Didicerunt fidem a captivis romanis. Jam in synodo Nicaena occurrit Gothorum episcopus, *Theophilus* nomine<sup>3)</sup>. Tum temporis tamen major incolarum pars a paganismo nondum recesserant. Verus horum Gothorum apostolus **Ulfilas** episcopus fuit, celeberrimus, quem ob opus apostolicum, tum ob versionem S. Scripturae Gothicam<sup>4)</sup>. Initio Ulfilas, sicut qui

<sup>1)</sup> *Socrates*, II, 20; *Sozom.*, II, 7; *Ruf.*, I, 10. *A. Chachanov*, Le fonti della storia del cristianesimo in Georgia, Bessarione, 1905, 2 ser. Tom. 9.

<sup>2)</sup> *Philostorgius*, Hist. Eccl., II, 6, III, 4. *Migne*, P. G., T. 45, p. 470, 482 sq.

<sup>3)</sup> *Euseb.*, Vita Constant., III, 7: nec vel Scyta abfuit ab hoc choro. *Hefele*, II, 289.

<sup>4)</sup> Vide hanc versionem apud *Migne*, P. L., Tom. XVIII, 455 sq. cum præfatione, grammatica et dictionario. *F. L. Stamm*, Ulfilas, oder die uns erhaltenen

ei praecesserat **Theophilus**, catholicus fuit. Postea Arianus factus, gentem quoque suam ad eundem errorem traduxit<sup>1)</sup>. Cujus rei causa in eo ponenda est, quod **Valente** imperatore (375) regio ad imperium Romanum adjuncta fuit. Fuerunt autem hi in Moesia et Thracia Byzantinis imperatoribus molesti propinqui. Anno 401 **Alarik** rex gentem suam in Italiam duxit, bis tamen apud Pollentiam et Veronam (402—403), a **Stilicone** victus, in Illyriam rediit. Anno 408, Romam obsidere agressus, accepto pretio recessit. Anno 409 denuo obsidione Romam cinxit, et praefectum **Attalum** imperatorem constituit, mox tamen iterum destituit. Anno demum 410 captam Romam militibus diripiendam tradidit. Pars urbis exusta, incolae multi a barbaris trucidati, plures captivi abducti. Ecclesiae quoque expilatae sunt<sup>2)</sup>. Dein **Alarik**, in Italiam inferiorem profectus, brevi post mortuus est<sup>3)</sup>. Qui ei successit, **Atalfus**, copias suas in Galliam traduxit, ubi in duas partes distractae sunt. Altera pars, duce **Walja**, Gothorum regnum Tolosanum (415—507) condidit, quod maxime floruit regnante **Euricho** († 483)<sup>4)</sup>. Is cum gente sua errori ariano deditus mansit, persecutusque est catholicos. Cujus tamen regnum, mox ipso defuncto, a **Clodovaeo** (507) expugnatum est. Altera gentis pars, postea in Hispaniam ingressi, ibidem Visigothorum regnum fundavit (507—711). Initio ibidem quoque omnes ariani fuerunt. **Leovigildus** rex adhuc persecutus est catholicos. At ejus filii **Hermenegildus** et **Reccaredus** ad veram fidem reversi sunt. Prior martyris honore colitur († 585), alter populi sui apostolus fuit<sup>5)</sup>. Magnifice ibidem Ecclesia floruit, quod frequentes synodi Toletanae testantur<sup>6)</sup>.

---

Denkmäler der gothischen Sprache, neu herausgegeben; Text und Wörterbuch von *M. Heyne*, Grammatik v. *F. Wrede*, Paderborn 1896. *W. Streitberg*, Gothicisches Elementarbuch, II<sup>e</sup> Aufl., Heidelberg 1906. *Duchesne*, Hist. a.d. l'E., II, 566 sq.

<sup>1)</sup> *Socrat.*, II, 41. *Revillout*, De l'Arianisme des peuples Germains, Paris 1859.

<sup>2)</sup> *Grisar*, I, 61 sq.

<sup>3)</sup> *Orosius*, VII, 37—39, ed. *Zangemeister*, p. 544.

<sup>4)</sup> *H. Leclercq*, p. 230 sq.

<sup>5)</sup> *Gregorius M.* eum laudat quod per eum „cuncta Gothorum gens ab errore Arianae haeresis in fidei rectae soliditatem translata sit.” *Jaffé*, ed. II, N. 1757. *Pius Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, Regensburg 1864. *H. Leclercq*, p. 275 sq.

<sup>6)</sup> *Gregor. Tur.*, Hist. Franc., II, 25. *Sidonius Apoll.*, Epist., lib. VII, 6, *H. Leclercq*, l.c.

**2º.** **Burgundi** e sedibus suis ad fluvios Viadrum et Vistulam migrarunt in terras Rhenanas. Inde a saeculo quinto fuerunt christiani facti. Irrumpentes in Galliam condiderunt regnum inter fluvios Rhodanum et Ararim, cujus regni Lugdunum fuit caput. Eorum rex **Gundobaldus**, arianorum errori inhaerens catholicis tamen benevolus fuit. Filius ejus et successor **Sigismundus** anno 517 ad rectam catholicam fidem rediit. At jam anno 534 Burgundia fuit Francorum regno adjecta<sup>1)</sup>. **Gundebaldi** aetate floruit **S. Avitus**, celeberrimus episcopus Viennensis, quo praesertim auctore Burgundi ad humanitatis rationem et catholicam fidem pervenerunt<sup>2)</sup>.

**3º.** **Vandali** regiones Danubii inhabitabant susceperantque Arianismum. Ineunte saeculo quinto migrarunt in Galliam et Hispaniam, cum Alanis et Suevis<sup>3)</sup>. Quos **Bonifatius**, Graecus gubernator, ut regionem ab invadentibus Gothis tutaret, arcessivit in Africam, quam mox subjugarunt, feceruntque Carthaginem regni sui sedem. Reges eorum **Gensericus** (427—477) **Hunnericus** (477—484) et **Trasamundus** (496—523) crudelissime persecuti sunt christianos. Anno 533 **Belisarius** eos subjugavit<sup>4)</sup>.

**4º.** **Ostrogothi**, e Russia meridionali profecti, in Italiam **Odoacro**, qui anno 476 Romulum Augustulum regno dimoverat, imperium ademerunt, conditique regni Ostrogothici sedes fixerunt Ravennae et Veronae (493—555). Manserunt Ariani. **Theodoricus magnus** (493—526) florentissimum rerum statum invexit. Consiliariis utebatur Boëcio et Cassiodorio, quorum prior morte multatus est (525), quod conjurationis cum **Justinio** imperatore fuerat insimulatus. Anno 555 **Narses**

<sup>1)</sup> *Socrates*, VII, 30. *Oros.*, VII, 32—38. *Migne*, P. L., Tom. 59: collatis episcop. coram Gundobaldo rege. *Hefele*, II, 629 sq. *Hauréau*, l'Eglise et l'Etat sous les premiers rois de Bourgogne. Mém. de l'Institut 1867.

<sup>2)</sup> Vide *Kurth*, Clovis, 5<sup>me</sup> éd., Paris 1903. *F. Vernet*, Art. *Avit* in Dict. de théol. cath. *U. Chevalier*, Œuvres complètes de Saint Avit, Lyon 1890.

<sup>3)</sup> *H. Leclercq*, l'Espagne chrétienne, Paris 1906, p. 213 sq. Betica expugnata a Vandalis, Vandalusiae postea Andalusiae nomen habuit.

<sup>4)</sup> *H. Leclercq*, Tom. II, ch. VII; *Procopius*, De bello Vandalico. *Victor Vit.*, Hist. persec. Vandal. Ed. *Petschenig*, Miraculum martyrum Tipasae apud Vict., V, 8. *Procop.*, I, 8. *Evagr.*, H. E., IV, 14. *F. Martaye*, Genseric, La conquête Vandale en Afrique, Paris 1907. — *Diehl*, Etudes sur l'histoire de la domination byzantine en Afrique, Paris 1896, p. 533—701.

everso Ostrogothorum regno, exarchatum Ravennatensem instituit<sup>1)</sup>.

5º. **Longobardi** quoque arianismo nomen dederunt. Anno 568, duce Alboino e Pannonia profecti, auxiliantibus Saxonii et Slavonibus, Italiam septentrionalem occupaverunt. Fecerunt Paviam regni caput. Duabus annis post rapinis Italiam depopularunt, usque ad moenia Romana. Anno 585 factus est eorum rex **Autharis**, qui **Theodelindam** principis Bavariae filiam uxorem duxit. Tum populi ad catholicam fidem reversio inchoata est, quae **Grimoaldo** regnante (671) est consummata. Metus tamen eorum diu Romanos exagitavit<sup>2)</sup>.

6º. **Franchi**<sup>3)</sup> habitabant ad rivos Rheni et Vahalis. Medio saeculo quinto ad meridiem migrantes, terra Belgica potiti, duce **Clodovaeo** apud Suessionem (486) aciem Romanum **Sagri** fugaverunt, propuleruntque Visigothos trans montes Pyrenaeos. Celeberrimus eorum rex **Clodovaeus**<sup>4)</sup> anno 493 Sanctam **Clotildam**<sup>5)</sup>, Burgundiae principum filiam, uxorem duxit. Quo factum est, ut melius religionem christianam cognosceret. Proelio Tolbiacensi, petito auxilio a Deo uxor sua solvens, multo numerosiores Alemanno devicit promissaque sua solvens, in festo Nativitatis Domini, anno 496, a **S. Remigio**, episcopo Rhemensi, baptizatus est cum ter mille militibus<sup>6)</sup>. Diurna

<sup>1)</sup> *Procop.*, De bello Gothicō, Ed. Dindorf, Corpus Script. Byzant., I, 1 sq. *Cassiodorus*, Epist. lib. XII; Chron. *Migne*, P. L., Tom. 69. Hist. Jahrb., Politische Stellung des Papsttums zur Zeit Theodorichs, 1888, 251 sq.

<sup>2)</sup> *Paul Warnefr.*, Hist. Longob. (568—744) apud *Muratori* Rer. Ital. Script. I, 1. Monum. Germ., Hann. 1878. *Migne*, P. L., Tom. 95.

<sup>3)</sup> *A. Molinier*, Les sources de l'hist. de France des origines aux guerres d'Italie, 5 fasc., Paris 1901 sq. *Ozanam*, Civilisation chrétienne chez les Francs, Paris 1849. *Prou*, La Gaule Mérovingienne, Paris 1898. *Daris*, Hist. du diocèse de Liège, Liège 1890.

<sup>4)</sup> *G. Kurth* 1. c. 2me éd., Paris 1901; *Tournier*, Clovis et la France au baptistère de Rheims, Paris 1898.

<sup>5)</sup> Ed. *Paulin*, Paris 1889. *G. Kurth*, Ste Clotilde, 4e éd., Paris 1898.

<sup>6)</sup> Scribit R. Hedde ad haec: Evénement important dans l'histoire de l'église... car il décida du triomphe de l'orthodoxie sur l'arianisme en Occident. Il y avait jusque-là pour ainsi dire deux christianismes, celui des Romains et celui des barbares; celui d'une civilisation expirante et d'une race vouée à la défaite et celui des peuples jeunes et vainqueurs, réserves de l'avenir. La Providence permit le succès des barbares ariens, puis, l'envahissement achevé, leur conversion à l'orthodoxie des vaincus. Cent ans après Clovis, on ne rencontrait

tamen fuit christiana eruditio populi; sed Arianismus paulatim evanuit e Gallia meridionali et occidentali<sup>1)</sup>.

---

### § 26. Christianismus in Britania et Germania.

*Hunt*, The English church from its foundation to the Norman conquest, London 1899. *Spence*, The church of England. Vol. I. London 1897. *J. Lingard*, History and antiquities of the Anglo-Saxon church, London 1845. *Ferguson*, Ecclesia antiqua; or the history of the ancient church, London 1906. *Dom Fernand Cabrol*, L'Angleterre chrétienne avant les Normands, Paris 1908. *A. Bellesheim*, Geschichte der kath. Kirche in Irland, Mainz 1890 sq. 3 Bde. *Idem*, Geschichte der kath. Kirche in Schottland, Mainz 1883, 2 Bde. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, Bd. I, 2<sup>e</sup> Aufl., Leipzig 1898. *J. Habets*, Geschiedenis van het tegenwoordig bisdom Roermond, Roermond, s.a.

Jam primis temporibus **Britanni** fidei christiana nomen dede-  
runt. Neque persecutio Romani imperii, neque ipsius **Dio-  
cletiani** videntur ad Britanniam adeo esse extentae. Anno 410  
praesidia Romana e Brittania deducta sunt. Quo facto quum  
rapaces Picti Scotique perpetuis incursionibus terram infestarent,  
anno 449, Anglo-Saxones, a Britannis in auxilium arcessiti  
(Hengist et Horsa?), christianos Britannos summoverunt et  
heptarchiam instituerunt. Diu manserunt ethnici. Anno demum  
596 **S. Gregorius I** papa **S. Augustinum**<sup>2)</sup> cum 40 sociis  
monachis in eam insulam misit. Ethelbertus rex cum  
magna gentis parte tum ad fidem conversi sunt. Ante annum  
790 regio erat catholica. **Gregorius I** Eboracum et Cantu-  
ariam metropolis constituerat. Certum est, apud antiquos Britan-  
nos discrimina quaedam exstisset de celebrando *Paschate*, de  
*tonsura* et *liturgia*, sed nulla de *doctrina fidei*. Certum quoque  
est, nomen *Culdei* non significasse sectam fidei diversam, neque  
quidquam indicare eorum originem ex Asia Minore<sup>3)</sup>.

plus une seule nationalité arienne en Occident. On dut travailler longtemps encore pour faire pénétrer la vie chrétienne et déraciner les restes du paganisme; mais l'attachement des Francs pour l'Eglise romaine ne se démentit pas, p. 173.

<sup>1)</sup> Recueil des hist. de la Gaule, Tomi 21, Paris 1739—1855. *G. Kurth*, Clovis, 2 vol., 2<sup>me</sup> éd., Paris 1901.

<sup>2)</sup> *Brou*, S. J., S. Augustin de Cantorbéry et ses compagnons, Paris 1897.

<sup>3)</sup> *Beda*, Hist. Eccl. Gentis Angl., *Migne*, P. L., Tom. 95, p. 21—290; *Funk*, Zur Geschichte der altbritischen Kirche, Abh. u. Unters., I, 421 sq.

2º. **Hiberniae** incolae antiquitus fuerunt Scotti. Jam saeculo quarto ad eos Ecclesiae aditus patuit et **Coelestinus I** papa (422—432) **Palladium** misit, primum episcopum „ad Scotos Christo credentes”. Sed Hiberniae apostolus est **S. Patricius**. Qui natus in Scotia, multas aerumnas perpessus, venit in Galliam, ubi **Germanus Antisiodorensis** eum docuit. Episcopus consecratus in Hiberniam trajecit, anno 432, fixitque sedem metropolitanam in loco ubi paulatim civitas Ardimacha est aedificata. Sensim tota gens a **Patricio** conversa est. Quo tempore cessit e vita, anno 465 vel ut alii volunt 493, multi erant episcopi, numerosi sacerdotes et monachi. Monialium claustra erexit **S. Brigid a** circa annum 490<sup>1)</sup>.

3º. **Picti**, qui ex Norvegia migrarant in Scotiam, anno fere 410 a **Ninian** episcopo ad fidem sunt adducti. Caledonii autem, incolantes partes Scotiae septentrionales, altera dimidia parte saeculi sexti demum fidem acceperunt. **Columbanus**, celeber monachorum pater, anno 563 monasterium postea notissimum aedificavit in insula Hy vel Iona. Simul cum fidei doctrina inde dispersa est cultioris vitae humanitas. Diuturna fuit hujus monasterii in Scotos et Pictos, quin etiam in eorum episcopos ampla jurisdictione<sup>2)</sup>.

4º. Indigenae **Germaniae** incolae diu ethnico suorum cultui adhaeserunt. Sexto et septimo saeculo inveniuntur christiani habitantes ad rivos Danubii Rhenique. In Norico et Raetia **Christum** praedicavit **S. Severinus** († 482), in montibus Tirolensisibus **S. Valentinus**. Episcopatus fuerunt Laureaci et Pettavii. Alemannis praedicavit **S. Fridolinus** († 530). Argentoratum et Rhaetorum Curia suas habebant saeculo sexto sedes episcopales. Ad lacum Constantiae, ineunte saeculo septimo, fidem nuntiabant, ex celebri monasterio Hibernico Bangor, monachi **Columbanus** et **Gallus**. Bavariae praincipui missionarii fuerunt **Agilus** et **Eustasius** (615—650), **Rupertus Salisburgensis** (690—696), **S. Emmeranus** (716) et **Corbinianus** († 730), Herbipoli **S. Kilianus** († 689). Ad

<sup>1)</sup> *De Smedt et de Backer*, Acta SS. Hiberniae, Insulis 1891. Opera S. Patricii apud *Migne*, P. L., Tom. 53, p. 801 sq. Libri S. Patricii, Ed. *Newport* 1905; *Burg*, Life of S. Patrik and his place in history, London 1905; *E. J. Newell*, S. Patrik, his life and teaching, 2<sup>e</sup> ed., London 1907.

<sup>2)</sup> Vita S. Columbani, Act. SS. Boll., Tom. 9 Junii; Acta SS. s. Bened., Tom. I; *Brown*, History of Scotland, Cambridge 1900—1902.

Rhenum, Mosam et Mosellam saeculo sexto redintegrata est fides laboribus et industria S. Nicetii Trevirensis († 556) et Cuniberti Coloniensis (623—663), S. Goari Babardiae et S. Disibodi apud Treviros. S. Servatii Trajecti ad Mosam successorum ingens fuit ad tutandam extendendamque fidem auxilium. Horum celeberrimi fuerunt S. Monulphus († 570), qui „templum magnum in ejus (S. Servatii) honorem construxit, composuit ornavitque”<sup>1)</sup>. S. Amandus, quem laudat Martinus I papa; S. Lambertus, inter annos 705—708 martyrio coronatus, et S. Hubertus, qui anno 722 sedem Leodium transtulit<sup>2)</sup>.

---

<sup>1)</sup> *Greg. Turon.*, De gloria confess., 71 (72). *Pertz*, Mon. germ., hist., Tom. I, p. 790, Cf. *Dr. P. Doppler*, Le „grand temple” de S. Monulphe, l'église de S. Servais à Maestricht. Extrait du Bulletin 32, de la Gilde de S. Thomas et de S. Luc.

<sup>2)</sup> *L. van der Essen*, Etude critique et littéraire sur les vitae des Saints mérovingiens de l'ancienne Belgique, Paris-Louvain 1907.

## CAPUT SECUNDUM.

### HAERESES, SCHISMATA, ISLAM.

§ 27—§ 38.

#### § 27. Conspectus generalis.

*Schwane*, Dogmengeschichte der patristischen Zeit, Münster 1867.  
*Harnack*, Dogmengeschichte, I—II. *Hefele*, Conciliengeschichte, Tom. I - III; *Duchesne*, Hist. ancienne de l'Eglise, Tom. II, Paris 1907. *Dr. H. Kihn*, Patrologie, II Band, Paderborn 1908.

Sensim ad fidem Christi adducti populi, non ideo ethnicas omnes opiniones neque usu confirmatos errores statim deposuerunt. Falso putabant multi, posse mysteria fidei intelligi explicarique intellectis iis quae, a natura profecta, vera perspiciuntur. Platonicam praesertim et Neo-Platonicam doctrinam de *Logo* aegerrime depellebant, atque adeo sacrilege abjiciebant D. N. J. C. ad *aeonum* ordinem aut *demiurgi* rationem. Cohaerebant aliquo modo errores periodi alterius cum prioris, atque etiam hac altera periodo una haeresis generavit alteram.

Antiquus Novatianorum error recreatus est Donatismo, Manichaeismus Priscillianismo, dum lites de Origenis doctrina novo ardore redintegrabantur. Maximaे calamitatis auctor fuit Arius, qui iterum Christi divinam naturam negavit impioque suo errore pluribus haeresibus fundamenta jecit.

Inficiabatur Arius Filii unam cum Patre naturam, τὸν Λόγον creaturem dicens; qui *Arianismi* error damnatus est Niceae, anno 325. Nonnulli impudentem errorem hunc mitigarunt, qui *Semiariani* appellantur; alii idem negarunt de Spiritu Sancto, qui *Macedoniani* dicuntur, damnati Constantinopoli anno 381; alii vero errorem oppositum docuerunt, Filium unam esse cum Patre personam, quibus nomen *Photinianis* inditum.

Vixdum Arii haeresi ab episcopis Nicaenis damnata, alii errores excogitati, de modo quo in Christo natura divina cum

humana consociatur. Orthodoxi, traditam doctrinam tenentes, profitebantur in Christo naturas duas, personam unam. Alii autem vel duas naturas vel unam personam negabant. Priorem viam ingressus *Apollinaris*; τὸν Λόγον putabat in Christo animae humanae locum tenere, mutilans humanam naturam. Alterum iter cepit *Nestorius*, negans in Christo naturam humanam substantialiter cum divina esse unitam, adstruensque duas personas humanam et divinam. Qui *Nestorianismus* damnatus est *Ephesi*, anno 431. Quum *Eutyches* inscite impugnaret doctrinam *Nestorii*, ipse in errorem oppositum impegit, unam tantum naturam in Christo professus, eo quod naturam humanam a divina absorptam censebat. Qui *Monophysitismus Chalcedone*, anno 451, damnatus est. Postea inde profluxit *Monotheletismus*, unam tantum in Christo voluntatem docens, quae haeresis damnata est *Constantinopoli* anno 680.

In occidente interea diffundebatur *Pelagianismus*, qui quidem error, tacens de Christi natura, tamen supervacaneam docens humani generis redemptionem, eo ipso magnum illud nostrae religionis mysterium, Incarnationem, suffodiebat. Etenim, si homo lapsus non est, neque Adami peccatum transiit in posteros, si suis ipse viribus ad altissimam perfectionem attingere ac gratiam divinam et beatitudinem caelestem mereri homo potest, frustra Verbum Aeternum Patris descendit de caelo, ut redimeret homines. Negabat *Pelagius* peccatum originale, negabat quoque donum immeritum esse gratiam hominique ad salutem necessariam. Liberum hominis arbitrium dicebat potis esse, jam in hac vita omne peccatum omnemque malam ad peccatum inclinationem praevertere. Saepius ac praesertim anno 529, Synodo Arausicana damnatus, error diuturnus fuit, ut tantum post longum tempus extremae *Semipelagianismi* reliquiae evanuerint.

2º. Controversia autem quam Ecclesia trecentos annos cum haeresibus orientibus sustinuit certo multo minus ardua fuisset, nisi causae, e quibus schisma postea orientale natum est, eaedem jam saeculis IV—VII perniciosa vim habuissent. Quae quamvis multae sint, possunt tamen ad duo capita reduci:

*a. Caesaropapismus imperatorum Byzantinorum.* Splendore luxuque nova Roma, Byzantium, nihilo cedere debuit veteri. Quin imo aliquando fore sperabant, ut antecelleret. Quo studio insita diuturno usu ethnica persuasio, universalem esse impera-

toriam auctoritatem, eo demum devenit, ut imperator orientis papa putaretur: „Imperator sum et sacerdos”. Loco movebat episcopos. creabat alios, tyrannice dominabatur conciliis Ecclesiae, ferebat leges ecclesiasticas, quin imo decreta fidei edebat. „Quidquid voluero canon erit”, exclamavit Constantius anno 355, Mediolani<sup>1)</sup>. Qui persequendo orthodoxos, dominando in Liberium papam et synodos, praescribendo formulas dogmaticas multum obfuit Ecclesiae, multasque sibi ipse molestias creavit. Minoris momenti actus arbitrarios praetermittimus. Valens imperator episcopos sedibus dimovit, exsulem ejecit Athanasium et Ecclesiae negotia vi ad arbitrium suum compонere satagebat. Arcadius, ceteroquin pius, in exsilium propulit S. Joannem Chrysostomum. Ipse Theodosius II, inconsulta Roma, missos fecit episcopos. Zeno coegit episcopos, ut tuerentur *Henoticon*, quod fuit dogmaticum decretum monophysitis favens, continensque hanc damnationem: „omnem vero aliter sentientem, sive nunc, sive quandoque, sive Chalcedone sive in quacumque synodo, anathematizamus”. Basiliscus imperator praescripsit *Encyclicon* ac paulo post *Anti-Encyclicon*. Notum est, Justinianum semel et iterum damnasse tria capitula, abduxisse Vigilium papam Constantiopolim, eum coegisse ut, quae imperator vellet, decerneret, demum in exsilium ejecisse. Heraclius edidit *Ecthesin*, qua monotheletismus confirmabatur, Constans II aliquot annis post *Typum*, quo idem intendebatur. Quid mirum, S. Athanasium rogasse: „Quis canon praecipit ut e palatio mittatur episcopus? Quis canon jubet milites invadere ecclesias? Quis tradidit comites inconsideratosque spadones ecclesiasticis praeesse rebus aut edicto judicia eorum qui episcopi vocantur promulgare”<sup>2)</sup>?

b) Dum in Ecclesiam orientis dominabantur imperatores sibi-que tractabiles reddebat patriarchas, quasi mera instrumenta imperatoriae majestatis, majore in dies splendore fulgebat primatus pontificius in occidente. Inde haud pauci **patriarchae invidia commoti**. Jam synodus Constantinopolitana anni 381 conata est, canone tertio, „Novam Romam” Antiochiae et Alexandriae preferre, quod tamen Romae non est confirmatum. Ulterius progressa synodus Chalcedonensis anno 451, canone

<sup>1)</sup> Athanasius, Hist. Arian. ad mon., c. 33. Jaffé, Reg., ed. 2, II, N. 2182.

<sup>2)</sup> Athan. l. c. c. 51.

28 „adserit Ecclesiae Constantinopolitanae, eo quod Imperio et senatu quemadmodum Roma decoratur, simile cum Romana Ecclesia privilegium et dignitatem, cum sit illi secunda, ideoque Ponticam et Asianam et Thraciam diocesin throno Constantinopolitano subjectam esse oportere, earumque Metropolitanos ab Episcopo Constantinopolitano esse deinceps ordinandos”. Quem canonem etsi rejecerit plane Leo, papa I, eo tamen arrogantia progressa est, ut schisma per 35 annos fuerit inter Romanam et Contstantinopolim (484—519). Facto tum jam patriarchae Constantinopolitani se pro capite spirituali Imperii orientis gerebant, patriarcham Antiochenum creabant, contumaciter Papam spernentes. Acrius intenta oppositio est, cum Joannes IV Constantinopolitanus anno 518, sibi nomen *patriarcha oecumenicus* daret, quod facile ut „episcopus universalis” intelligi poterat, ac certo injuria afficiebat sedes patriarchales multo antiquiores. Cum honorifica ista appellatione consonus fuit Ecclesiae splendor. Justiniani I aetate diversorum ordinum clerici numero 585 Hagiae Sophiae erant adjuncti. Qui numerus postea adhuc accrevit, ita ut Heraclius decreto caesaropapistico, anno 627, constituerit esse debere 600.

Luctuosius etiam patriarchae Constantinopolitani saepius in rebus fidei a Romana doctrina discrepant. Pro cuius rei memoria nominetur eorum conniventia cum Constantio imperatore, haeresis detestabilis Nestorii patriarchae, monophysitismus Acacii, monotheletismus Sergii, Pyrrhi, Pauli et Petri, qui omnes, patriarchae Constantinopolitani, a concilio sexto universali damnati sunt. Vere igitur dicitur, *caesaropapismum* multorum imperatorum Byzantinorum, atque nonnullorum patriarcharum in Romanorum pontificum auctoritatem *invidiam*, eorum quoque *servile* imperatoribus exhibitum *obsequium* atque a fide *defectionem*, robur multum addidisse commotionibus haereticorum.

## § 28. Arianismus et concilium Nicaenum.

*Arii* Thaliae fragmenta apud Athanasium, *De synodis*, c. 15; *Contra Arianos*, I, c. 2 sq; *De sententia Dionysii*, c. 6; *Migne*, P. G., Tom. 25—26. *Athanasi scripta*, praesertim: *Contra Arianos* ll. 4; *Apologiae* ll. 3; *De decretis Nicaenae Synodi*; *De synodis Arimini et Seleuciae celebratis*; *Historia Arianorum ad monachos*. *Hefele*, *Conciliengeschichte* Tom. I—II. *Schwane*, *Dogmengeschichte der patristischen Zeit*, Freiburg 1895. *Bardenhewer*, *Patrologie*, Freiburg 1894. *A. Harnack*, *Lehrbuch der Dogmengeschichte* T. II, Freiburg 1888. *H. Grisar*, *Geschichte Roms und der Päpste*, Freiburg 1901. *Snellmann*, *Der Anfang des Arianischen Streites*, Göttingen 1904. *Göttinger Nachr.*, 1905, p. 257 sq. *S. Rogala*, *Forsch. zur Litt. und Dogmengeschichte*, T. VII. Cf. *Hugger* s. j., Tüb. Quart., 1909, 66 ff. *F. Cavallera*, *S. Athanase*, Paris 1908. *Duchesne*, *Hist. anc. de l'E.*, T. II, Paris 1907.

1º. **Arius**, Lybius, Antiochiae magistro Luciano usus, schismati Meletii se adjunxit, ac demum Alexandriam venit, ubi Achillas patriarcha, ei ad sacerdotium evecto, ecclesiam administrandam commisit. Gracilis et statura procerus, Epiphanius auctore, fuit gravis, sed comis et affabilis, disertus, astutus et ambitiosus. Fuit omni facultate instructus ut simpliciores moveret sibique sectatores compararet<sup>1)</sup>. Dum in synodo, anno 318, qui Achillae successerat Alexander sermonem haberet de mysterio S. Trinitatis, arroganter Arius suum episcopum Sabellianismi incriminavit, suumque ipsius errorem exposuit. Initio facto a doctrina Ecclesiae, Patrem ingenitum, Filium autem genitum esse pronuntiavit; sed qua doctrina Ecclesia Personarum discrimen significabat, ipse naturae differentiam astruxit, atque, generatione divina humanae aequiparata, e primo hoc errore alios multos deduxit:

2º. Quodsi Pater ingenitus, Filius sit genitus, hoc intercedit inter eos magni momenti discrimen, quod Filius initium ceperit, Pater non ceperit. Qui autem cepit initium, non est ens infinite perfectum neque ipse est Deus. Solus Pater Deus est, Filius prima et praecellentissima creatura, quem, sicut reliquas creaturem omnes, Pater voluntate sua procreavit<sup>2)</sup>. Per Filium autem

<sup>1)</sup> *Haer.*, c. 69, 3. *Migne*, P. G., Tom. 42, p. 206—207. Multo deteriorem eum depingit Constantinus in epistola ad ipsum Arium. *Mansi*, Coll. Conc., Tom. II, 930, 938.

<sup>2)</sup> οὐκ ὄντων = e nihilo. Unde initio jam haeretici ariani appellabantur exoukontiani; cf. *Theodoreetus*, H. E., I, 4.

Pater creavit mundum, eo quod visibilis iste mundus operationem Dei proximam suscipere nequit. Filius Dei jure merito appellatur „Primogenitus omnis creaturae” eo quod reliquas omnes creaturas longe antecedit excellentia.

Quod si Filius est creatura, alterius est naturae quam Pater, nec potest Patrem perfecte intelligere seu intelligendo comprehendere. Si procreatus seu factus est Filius, ejus procreator ante eum fuit; adeoque fuit tempus, quo Deus nondum fuit Pater, adeoque Filius non est ab aeterno<sup>1)</sup>.

Quum vero Deus vocatus est Filius non vere propriaque sententia ita dictus est, sed eo solum quod supra creaturas omnes emineat sitque Filius Dei adoptivus<sup>2)</sup>.

3º. Impiam hanc doctrinam, vicinam Platonis et Philonis Λογιών, Arius publice profitebatur annis 318—320. Non solum errorem suum praedicabat in ecclesia, verum etiam in circulis domesticis de ea sermonem instituere solebat. Imo etiam ostiatim percurrebat civitatem, sectatores sibi quaerens. Conatus est Alexander episcopus, „Apostolicae doctrinae tutor ac defensor”, cohortando atque instruendo errantem ad bonam frugem reducere. Quae quum frustra fierent impiusque error in dies latius manaret, synodus episcoporum fere 100, Alexandriae coacta, Arium Ecclesiae communione ejecit. Non tamen se subjicit, sed rebus divinis sicut prius operam dedit, adjuvantibus nonnullis episcopis Aegyptiacis et Syriacis, praesertim Eusebio Nicomediensi, qui benevole eum hospitio accepit et ecclesiae suae societati restituit<sup>3)</sup>. Multi jam sacerdotes et diaconi ejus causam sequebantur<sup>4)</sup>. Ipsi monachi populusque mox in duas partes discesserunt. Epiphanius refert septingentas Deo dicatas virgines ab Ario ad suam causam tractas<sup>5)</sup>. Nicomediae degens librum, cui inscriptio *Thalia*, composuit soluta oratione et versibus, plura

<sup>1)</sup> Ἡν ποτὲ οὔτε οὐκ ἦν: erat quando non erat. *Socrates*, I, 6.

<sup>2)</sup> *Ephiph.*, Haer., c. 69, N°. 6—8, ubi epistolae Arii ad Eusebium Nicomed. et ad Alexandrum Alexandrinum.

<sup>3)</sup> In epistola sua ad Euseb. Nicom. Arius fautores suos enumerat Eusebium Caesareensem, Theodotum Laodicensem, Paulinum Tyrensem, Athanasium Anazarbanum, Gregorium Berytanum et Aetium Lyddensem. Vide epistolam apud Theodoretum, H. E., I. 5.

<sup>4)</sup> *Theodor.*, I, 4—5, ubi Alexander Alexandrinus eorum nomina refert.

<sup>5)</sup> Haeres., c. 69, 3.

insuper cantica, ut doctrinam suam populo ad intelligendum planam redderet<sup>1)</sup>). Paulo post Alexandriam reversus est. Constantinus autem quum Licinium vicisset, venit Nicomediam ad amicum Eusebium, a quo ei relatum est de lite Alexandrina. Quam, etsi inanem inutilemque controversiam arbitrabatur, tamen Hosium cum epistolis Alexandriam misit, litis componendae causa<sup>2)</sup>). Quae coepta quum non processissent, videtur Hosius apud Constantimum auctor fuisse, ut concilium episcoporum cogeretur.

4º. Aestate anni 325, Nicaeae in Bithynia congressum est **primum universale concilium Ecclesiae**. Universos imperii episcopos per litteras invitaverat imperator. Sensim accrexit numerus congregientium ad 318, quorum plurimi ex Ecclesia orientis<sup>3)</sup>. Venerabilis valde hic conventus. Multi patres adhuc gerebant in corpore cicatrices tormentorum persecutionis. Sylvestri papae legati fuerunt celeberrimus Hosius Cordubensis cum duobus sacerdotibus Romanis, Vito et Vincentio. Auctores praecipui et defensores rectae doctrinae mox notabantur Eustathius Antiochenus, Marcellus Ancyranus et praesertim Athanasius, tum temporis adhuc diaconus Alexandrinus<sup>4)</sup>.

Auro et margaritis insignitus Constantinus ipse interfuit conventibus et saepius verba fecit. Ario potestas defendendi suam doctrinam facta. Acriter Athanasius restitit. Tripartito divisae sententiae: Ægyptiaci et occidentis episcopi rectam doctrinam tenebant; plurima pars orientalium profitentes Christum Deum esse, cunctabantur tamen Eum omnino Patri aequalem agnoscere; fere 20 Arii fautores *Logon* creaturam appellabant.

Horum princeps fuit Eusebius Nicomediensis. Quare

<sup>1)</sup> *Philostorgius*, H. E., II, 1. *Athanasius* (*Or. contra Arianos*, c. 5, 6, 10) dicit: est autem genus dicendi molle et dissolutum.

<sup>2)</sup> *Euseb.*, Vit. Const., II, c. 64—72.

<sup>3)</sup> Patrum Nicenorum nomina latine, graece, coptice, syriace, arabice, armeniace, sociata opera ediderunt *H. Gelzer*, *H. Hilgenfeld*, *O. Cuntz*, Lipsiae 1898. Solus index arabicus fere completus est referens numero 316. Reliqui omnes numerum 221 non superant; cf. *Zeitschr. für K. Theol.*, 1906, p. 172 sq. *Duchesne*, II, 143 sq.

<sup>4)</sup> *Socrates*, H. E., I, 8: „Athanasius fortiter dimicabat.” *Rufinus*, H. E., I, 14: (Athanasius) „cujus suggestionibus haereticorum doli ac fallacie vigilanter detegebantur.”

ab eo inde tempore **Eusebiani** vocati sunt<sup>1)</sup>. Quum hi omnia Scripturae vocabula sensu ariano explicarent, proposita est vox ὁμοούσιος, consubstantialis, de qua voce postea tantopere est disputatum. Vehementer repudiantibus eam haereticis eorumque fautoribus, Athanasius demonstravit genuinum hujus vocis sensum e scriptura esse deductum. Quare synodus in symbolum induxit: *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem (ὁμοούσιον) Patri.*

Cui nitidissimae definitioni initio non omnes subscribere voluerunt. Eusebius Caesareensis ut subscriberet per motus est. Brevi post etiam Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicaenus et Maris Chalcedonensis. Theonas vero et Secundus eodem adduci non potuerunt. Quare sunt cum Ario in exsilium missi. Post aliquod tempus eandem sortem subierunt Eusebius Nicomediensis et Theognis, eo quod pergerent errori adhaerere et praesidium praebere haereticis<sup>2)</sup>.

Concilium conatum quoque est tollere schisma Meletii Lycopolitani, definivit celebrationem Paschatis et viginti alios canones edidit. Sylvester papa acta confirmavit, quamquam documentum confirmationis notum non est.

### § 29. Arianismus postnicaenus.

*Gummerus*, Die homöusianische Partei bis zum Tode des Constantius, Leipzig 1900. *Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, II Band, p. 137—309. *Hefele*, Conciliengeschichte, I, p. 444 sq. *Athanasius*, De morte Arii (cf. supra § 25). *P. Barbier*, Vie de S. Athanase, patriarche d'Alexandrie, Paris 1881. *Duchesne*, Hist. anc. de l'E., T. II, p. 158 sq. *Cavallera*, Le schisme d'Antioche, Paris 1905. *H. Leclercq*, l'Espagne chrétienne, Paris 1906 p. 90 sq.

1º. Potentiores erant quam ut se statim darent victos Eusebiani. Dein Constantia, soror Constantini praesidio eis fuit et, morti proxima Arii sectatorumque veniam deprecata est. Cum imperatoris gratia spes iis iterum affulsit. Ubi Eusebius Nicomediensis, Theognis anno 328 ex exilio revocati sunt et

<sup>1)</sup> Philostorgius nominat 20, Rufinus et Gelasius tantum 17.

<sup>2)</sup> Cf. *Funk*, Kirchengesch. Abh. und Unters., I, 87—121.

in dioeceses suas restituti, omnia haeretici commoverunt, ut etiam Ario revertere liceret. Timebant tamen Athanasiū, anno eodem 328, in sedem Alexandrinam evectum. Frustra conati sunt Eusebiani ejus electionem et consecrationem contra leges factam esse probare. Episcoporum Ægyptiacorum constantia irrita reddidit ea conamina. Melius iis successit tentata expulsio Eustathii Antiocheni, quem falso ab iis insimulatum Constantinus in Illyriam relegavit. Idem sortiti sunt Asclepius Gazanus et Eutropius Adrianopolitanus. Audacius in dies egerunt Eusebiani. Postulavit ab Athanasio Eusebius Nicomediensis, ut Arius iterum in Ecclesia Alexandrina susciperetur. Quo constanter negante, imperatorem appellarunt, qui Arium accivit. Astute conficta confessionis formula, is imperatori satisfecit. At iterato negavit Athanasius, etiam imperatori petenti, qui tum urgere destitit. Tum jurando eum ruinae devovit Eusebius. Homicidii, libidinis aliisque criminibus sanctus patriarcha insimulabatur. Caesareae, anno 334, coacta est synodus, ut damnaretur. Non se stetit Athanasius. Denuo, anno 335, Tyri congressum est, coram quo conventu luculenter Athanasius purgavit se et Constantinopolim profectus est, imperatoris praesidium petiturus. Acciti ab imperatore Eusebiani novis criminibus Athanasiū accusarunt, quem demum Constantinus exsulem Treviros relegavit<sup>1)</sup>. Arius autem, cum triumphantis modo in ecclesiam Constantinopolitanam introduceretur, subita morte correptus est, quod multi juste in poenam a Deo effectum putarunt<sup>2)</sup>.

2º. Die 22 Majo 337 Constantinus, suscepto baptimate ab Eusebio Nicomediensi, defunctus est<sup>3)</sup>. Cujus filii Constantinus II, Constans et Constantius communibus litteris ex exilio episcopos revocarunt. Constantino II mox defuncto, Constans, imperator occidentis, Nicaenam fidem professus est. Constantius vero favit in oriente Arianis. Quibus cum esset libere agendi potestas, Paulum a sede

<sup>1)</sup> *Socrat.* H. E., II, 3. Ex hoc auctore improbabile non est, Constantimum voluisse potius Athanasium in tuto collocare. Cf. *Sozom.*, II, 28. *Athan.*, Hist. Arian. ad mon., c. 50.

<sup>2)</sup> *Socrat.*, I, 28. *Sozom.*, II, 30.

<sup>3)</sup> Patres omnes reverenter de eo sermonem habent nec dubitant de ejus orthodoxia. *Hefele*, I, 480—481. *Athan.*, Hist. Arian. ad mon. c. 50. *Hieron.*, Chronicon, ad a. 340: „ad Arianum dogma declinat.”

Constantinopolitana moverunt, quam occupavit Eusebius Nicomediensis. Athanasius, denuo accusatus penes ipsum Julium I (336—352), Papam, Alexandriae coegit synodum episcoporum fere 100, qui omnes innocentiae testimonium dederunt. Inde profectus est Romam, ubi anno 341 declaratus est culpa vacuus. Nihilominus eo ipso anno Eusebiani eum Antiochiae (*in encaeniis*) sede demoverunt ejusque loco Gregorium Cappadocem elegerunt. Postero autem anno 342, Eusebio Nicomediensi defuncto, sedem patriarchalem suam quidem Paulus recepit, non vero Athanasius.

3º. In occidente Eusebiani etiam Constantem sibi conciliari conati sunt. Is vero, repudiatis legatis, Roma Athanasiū Mediolanum accivit. Dein petiit a Constantio, ut synodus cogeretur Sardicam in Illyria orientali. Cui petitioni obsecundante Constantio, concilium Sardicense anno (342) 343, ex Summi Pontificis desiderio, convenit. Aderant episcopi fere 170. Quum autem Athanasius quoque accessisset<sup>1)</sup>, mox Eusebiani 76 discedentes separatim congressi sunt Philippopoli et Julium Papam, Hosium et alios plurimos episcopos damnaverunt. Sardicae praesedit Hosius cum sacerdotibus duobus Romanis. *Symbolum Nicaenum* iterato est confirmatum, Athanasius ceterique episcopi culpa liberati, Arianorum factio damnata. Post sexenne exsilium Athanasius, anno 346 in sedem suam redux, cum magno gaudio exceptus est. Gratulatus est Alexandrinae civitati Julius Papa<sup>2)</sup>.

Attamen, interempto anno 350 a Magnentio Constante, qui fuerat catholicis defensor, spes nova Arianis affulsit. Incredid deinceps eorum audacia, quum Constantius, devicto Magnentio, solus esset factus imperator. Statim principes Ariani in occidente consilium ceperunt fidei Nicaenae eruendae. Convenerunt Sirmium in Pannonia (351), damnarunt Photinum, qui personam Λόγον non distinguebat a persona Patris, confeceruntque **1<sup>am</sup> formulam Sirmensem**. Qua formula receperunt quidem a doctrina Ariana strictiore, vocem autem ὀμοούσιον repudiabant. Mens erat, ut tum occidens tum oriens

<sup>1)</sup> Hoc factum fuit, petente Constante, qui fratri Constantio vel bellum minitatus est. *Theodor.*, H. E., II, 8. *Tillemont*, *Memoires pour servir etc.* Tom. VIII, nota 62 de Athanasio. De hujus synodi tempore, cf. *Göttinger Nachr.* 1904, p. 341.

<sup>2)</sup> *Jaffé*, Reg., ed. 2, N. 188.

Arianismo dederetur. In oriente Athanasius obstabat. Quare apud Papam et imperatorem criminabantur, quod favisset Magnentio. Liberius, qui interea successerat Julio Papae, coegit synodum Arelatensem, anno 353. Cujus episcopi atque ipse Vincentius, legatus pontificius, metu Constantii damnarunt Athanasium. Quam sententiam rejicit Liberius petiitque ab imperatore, ut altera convocaretur synodus, quae anno 355 Mediolani convenit. Ibi impotens sui Constantius dominator praefuit: „*quod voluero*”, exclamavit, „*Canon erit*”. Qui noluissest damnare Athanasium, sede demotus, in exsilium ejectus est. Inter quos fuerunt celeberrimi episcopi catholici: Lucifer Calaritanus, Eusebius Vercellensis, Dionysius Mediolanensis, Hilarius Pictaviensis, Hosius Cordubensis, ipse quoque Liberius Papa. Athanasius, capta fuga, abscondit se apud monachos Ægypti<sup>1)</sup>.

4º. Videbantur Ariani vicesse cunctaque obstacula evertisse. At Ecclesiam suam tuitus est Deus. Intestina exorta discordia factionem Arianam gradatim dissolvit. Aetius, Antiochenus diaconus, et Eunomius, deposita simulatione, qua Eusebiani usque ad id tempus impietatem suam absconderant, Λόγον omnino dissimilem (ἀνόμοιον) Patri dixerunt. Appellati sunt strictiores Ariani, Anomoei, Heterusiastae, Eunomiani etc. Alii multi usque eo progredi non ausi, viam medium exquisierunt, dicentes Filium Dei nec *creataram* nec *ipsum Deum* esse. Isti Semiariani vocati sunt. Qui iterum in duas sectas sunt digressi; quorum alteri Filium sola voluntate similem (ὅμοιον) Patri fatebantur, parum per a strictioribus Arianis discrepantes; alteri etiam natura fatebantur Filium Patri similem (ὅμοιούσιον). Quorum semiarianorum principes prodierunt Basilius Ancyranus et Auxentius Mediolanensis.

Anno 357 strictiores Ariani congressi sunt Sirmii confe- runtque **2<sup>am</sup> formulam Sirmensem**, rejicientem vocabula ὁμοιούσιος et ὁμούσιος, atque adeo semiarianos non minus quam catholicos damnantem. Semiariani econtra coierunt Ancyrae, anno 358, duodeviginti thesibus Anomoeos damnaverunt<sup>2)</sup> et imperatorem ad suam sententiam adduxerunt. Qui tertiam Sirmii

<sup>1)</sup> Ammian. Marcel., Rer. gest., XV, 7. Socrat., II, 26—36. Sozom., IV, 9—11. Sulpit. Sev., II, ed. Halm, p. 92—93. Cf. Duchesne, Hist. anc. d. l'E., I, Ch. VII.

<sup>2)</sup> In duodeviginti istis thesibus Hilarius duodecim orthodoxas censuit.

synodum curavit cogendam et conficiendam **3<sup>am</sup> formulam Sirmensem**, quae quidem vocabulum ὁμοούσιος non continet, ceteroquin orthodoxa est.

5º. Pauco tempore post, eodem anno 358, Liberio facultas facta Beroea Thraciae Romam revertendi. Qua autem de causa haec ei licentia data sit, incertum est, neque convenientiunt auctores. Plures saeculo 4º et 5º paulo clarius scripserunt, Liberium nonnihil consensisse atque ideo ex exilio revocatum<sup>1)</sup>. Quod si haec consensio subscribendo data fuit, non potest esse sermo nisi de **3<sup>a</sup> formula Sirmensi**. Exeunte saeculo quarto Rufinus non ausus pro certo quidquam affirmare: „*Liberius, inquit, urbis Romanae episcopus, Constantio vivente, regressus est; sed hoc utrum quod acqueverit voluntati suae ad subscribendum, an ad populi Romanī gratiam, a quo proficisciens fuerit exoratus (Constantius) indulserit, pro certo compertum non habeo*<sup>2)</sup>“. Theodoretus<sup>3)</sup>, Socrates<sup>4)</sup> et Sulpitius Severus hoc ultimum referunt, nempe Constantium, exoratum a civibus Romanis, Liberio libertatem reddidisse. Cui sententiae grave pondus addit id quod Theodoretus narrat: Felicem loco Liberii impositum Ecclesiae Papam Nicaenam quidem fidem sectatum, tamen communicasse cum iis, qui eam rejiciebant; ideoque neminem in ecclesiam ingressum in qua adisset Felix, ac cives Romanos petiise, ut Liberio daretur licentia revertendi, eumque redeun-

<sup>1)</sup> Athan., Apol. c. Arianos c. 89; Hist. Arian. ad Mon. c. 41. (At utrumque opus e nonnullorum sententia scriptum est ante Liberii reditum; cf. Act. ss. Boll., VI Sept., 572 sq.). Hilar., c. Constantium, c. 11; Philostorg., H. E., IV, 3. (Arianus fuit). Sozom., IV, 15. Faustini et Marcellini libellus precum, Praefatio. Hieron., Chron. a. ad 354, De vir. illustr., c. 97 (sed nonnihil sibi contradicit). Saltet, Les lettres du pape Libère de 357, Bulletin de litt. ecclés. Déc. 1907. F. Savio S. J. La questione di Papa Liberio, Roma 1907. Idem in Civiltà catt., 1908, Vol. 3—4. Hi ultimi epistolas *Quia scio vos, Pro deifico timore, Non doceo et Studens paci* ut suppositas rejiciunt. Duchesne econtra (Mélanges d'Archéologie et d'histoire publiés par l'école Francaise de Rome, Roma, 1908, p. 31—78) has epistolas ut genuinas habet, quod tamen, praesertim quoad *Stuaens paci*, non omnino videtur probare. Cf. Duchesne, Histoire ancienne de l'Eglise II, 254, (1907), ubi *Studens paci* adhuc rejicit. Dictae epistolae apud Migne, P. L., Tom. X, p. 678, 680, 693, 695.

<sup>2)</sup> H. E., I, 27.

<sup>3)</sup> II, 17.

<sup>4)</sup> II, 37.

tem cum ingenti gaudio suscepisse<sup>1)</sup>). Idem significatur a Socrate<sup>2)</sup>. Num tam venerabundi exceperint virum indulgentiorem, qui acquievisset voluntati Constantii? Anastasius quoque Papa (399—401) laudat Liberium, quod fidem Nicaenam servaverit<sup>3)</sup>. Attamen etiam hodie die cum Rufino dicendum, rem in comperto non esse. Nec juvat, quod a J. B. de Rossi<sup>4)</sup> inventum est, *Elogium*; utut, existimantibus, probabili valde conjectura, H. Grisar S. J.<sup>5)</sup> et Louis Duchesne<sup>6)</sup>, Liberii laudem celebret. Hosium autem senem, aetate confectum, eodem tempore Sirmii parumper Constantio acquieuisse, non quidem plane certum, tamen verisimile est<sup>7)</sup>.

6<sup>o</sup>. Habita tertia Synodo Sirmensi, ubi causam obtinuerant Semiariani, Constantius conatus est unam toti imperio fidem invehere, omnesque episcopos ad semiarianismum adducere. Quum autem Ursacius et Valens, strictiorum Arianorum principes, timerent ne damnarentur, Semiarianos orientales separatos retinuerunt ab occidentalibus effeceruntque, ut duplex cogeretur Synodus, altera Ariminii in Italia, altera Seleuciae in Isauria. Dein Constantio persuaserunt, ut utriusque synodo eamdem proponeret fidei formulam, qua strictior Arianismus non damnabatur. Haec **quarta formula Sirmensis** confecta a Marco Arethusa no, Filium dicit aequalem (*ὅμοιον*) Patri κατὰ πάντα κατὰ τὰς γραφὰς. Synodi coactae sunt anno 359. At Constantio postulante, ut formulam subscriberent, episcopi orthodoxi Ariminenses abnuerunt miseruntque legatos Constantinopolim. Qui accepti non sunt, sed a strictioribus Arianis adducti, ut propositae formulae subscriberent etiam omissis verbis κατὰ πάντα.

Quamvis Ariminenses episcopi aegre ferrent, quae a legatis essent acta, fidelesque interim fidei Nicaenae manerent, tamen insimulando adhibitisque fraudibus et comminationibus paulatim

<sup>1)</sup> Chron., II, 39.

<sup>2)</sup> II, 37.

<sup>3)</sup> Jaffé ed. II. Addenda, T. II, p. 691—692.

<sup>4)</sup> Elogio anonimo d'un papa, Buletino 1883. F. Savio, l. c. T. IV, p. 566 ss.

<sup>5)</sup> Analecta Romana, Roma, 1899, I, p. 43, 661.

<sup>6)</sup> Le Liber Pontificalis, I, p. 209.

<sup>7)</sup> P. Gams, Die Kirchengeschichte von Spanien, Regensburg 1864, II, p. 219 sq. Cf. Saltet, Bulletin de litt. eccl. de Toulouse, Oct.—Nov. 1906. H. Leclercq, l'Espagne chrétienne, Paris 1906, p. 116 sq.

fractus est episcoporum animus. Existimantes, formulam etiam sensu catholico intelligi posse, animum sibi confirmabant, praesertim quum **Taurus**<sup>1)</sup> praefectus illacrimans conquereretur, ipsos fore omnis discordiae auctores. Subscriperunt omnes, etiam ii, qui diutissime restiterant, **Restitutus Carthaginensis**, **Phoebadius Agennensis** et **Servatius Tungrensis**. Episcopi numero 320 acquieverunt Arianis 80, quibuscum stabat **Constantius**<sup>2)</sup>.

Seleuciae ubi Semariani numerosiores erant, propter discordias nihil constitutum est. Constantius tamen apud synodi legatos id effecit, ut exeunte anno 359 eidem formulae atque Ariminensi subscriperint. Tum imperator poenam exsilii constituit episcopis omnibus qui nollent subscribere. Solus **Liberius Papa** cum aliquot aliis abnuerunt. Quae omnia cogitatione complectens **Hieronymus** nonnihil exaggerans: *Tunc usiae nomen, exclamat, abolitum est; tunc Nicaenae fidei damnatio clamata est; ingemuit universus orbis et Arianum se esse miratus est*<sup>3)</sup>. Tamen toto suo libro **Hieronymus** patres tanquam recta fide sentientes defendit.

7º. Hoc tamen fraudis et violentiae opus diuturnum non fuit. Defuncto **Constantio** (361), exsules omnes episcopos **Julianus** revocavit. Sperabat enim fore, ut intestinis litibus Ecclesia destrueretur. At frustra. Multo major episcoporum pars formulas, vivo **Constantio** acceptatas, repulerunt. Anno 362 **Athanasius Alexandriae** synodum coegit, cuius decretis adhaeserunt omnes, qui vi ac metu ad haereticorum sequendas partes adducti fuerant. **Athanasius**, iterum in exsilium abire coactus, **Joviano** imperante denuo rediit. Dein **Valentis** aestate postremum refloruit Arianismus. At vulgari nequivit, eo quod multi celeberrimi viri id impedirent, **Damasus Papa**, **Basilius**, **Gregorius Nyssenus**, **Ambrosius**, **Hilarius**, **Gregorius Nazianzenus**, **Chrysostomus** aliquique. Inde a **Gratiano** et **Theodosio**, saluberrime imperantibus, haeresis Ariana, ad Germanos conversa, saeculo VI prorsus evanuit.

<sup>1)</sup> Mandatum huic fuit „ut collectos in unum non ante dimitteret, quam in unam fidem consentirent, promisso eidem consulatu, si rem effectui tradidisset”. *Sculp. Sev., Chron., II, 41.*

<sup>2)</sup> Idem ibidem.

<sup>3)</sup> Ad Luciferianos, c. 19, *Migne*, P. L., Tom. 23, p. 172.

**§ 30. Schismata et haereses ex Arianismo nata.  
Concilium II<sup>am</sup> oecumenicum.**

*Hefele*, Conciliengeschichte, Bde. I—II. *Athanasius*, Epist. 4 ad Serapionem. (*Migne*, P. G., Tom. 26, p. 529 sq.). *Sozomenus*, H. E., VI, 27. *Voisin*, La doctrine trinitaire d'Apollinaire de Laodicée (Revue d'hist. eccl., 1901, p. 32—55; 239—252). L'Apollinarisme. Etude d'hist. littér. et dogm. sur le début des controverses christol. au 4<sup>me</sup> siècle, Louvain, 1901. *Lietzmann*, Apollinaris von Laodicea und seine Schule, Tübingen 1904. *Grisar*, Gesch. Roms. u. der Päpste, Bd. I, Freiburg 1901. *Krüger*, Lucifer von Calaris und das Schisma der Luciferianen, Leipzig 1886. De Macedonianis: *Harnack*, Lehrbuch der Dogmengeschichte, II (2), p. 275—301. *Duchesne*, Hist. anc. d. l'E., Tom. II, Paris 1907.

**1<sup>o</sup>. Schisma Meletianum**, Antiochiae natum anno 330, duravit usque ad annum 415. Illo enim anno Eustathius episcopus ab Arianis pulsus est ejusque loco haereticus institutus. Anno 360 Meletius successit haereticis praecessoribus. Quem, cum catholicum se declararet, Constantius expulit. At Juliano imperante in sedem rediit, ita ut fuerint partes tres: *Eustathiani*, *Meletiani* et *Ariani*. Mortuo Eustathio, haud minor facta divisio, quum Lucifer Calaritanus statim Paulinum mortui loco constituendum curaverit. Defuncto, anno 381, Meletio Flavianus successit. Mortuo, anno 388, etiam Paulino Evagrium successorem dederunt, qui defunctus est anno 415. Nihilominus nonnulli Eustathiani separati manebant donec tertius a Flaviano episcopus Alexander cum suo coetu sacris eorum interfuit atque ita pacem reddit<sup>1</sup>).

**2<sup>o</sup>. Schisma Luciferianum** excitavit Lucifer Calaritanus nimia sua in sones severitate. Aegre ferens Athanasii moderamen, qui synodo sua Alexandrina, anno 362, nonnullos ad Ecclesiam redeuntes semiarianos communione susceperebat, segregavit se. Schisma manavit in Sardiniam et Hispaniam, at ineunte saeculo quinto interiit. Contra hos schismaticos Hieronymus scripsit opus: *Altercatio Luciferiani et Orthodoxi*<sup>2</sup>).

**3<sup>o</sup>. Schisma Romanum** inchoavit Felix, qui abducto in exilium Liberio, anno 355 se Papam pronuntiavit. Liberio

<sup>1</sup>) *Cavallera*, Le schisme d'Antioche, Paris 1905.

<sup>2</sup>) *Migne*, P. L., Tom. 23, p. 155—182. *Saltet*, Les fraudes littéraires des schismatiques Lucifériens, Bull. de Toulouse, Oct.—Nov. 1906.

reduce, ab omnibus fere derelictus Felix mortuus est, anno 365. Defuncto tamen, anno 366, Liberio, commotio denuo excitata. Ursinus oppositus est Pontifici legitimo Damaso (366—384). Quamquam Ursinus jam anno 367 a Valentianino in exsilium missus est Coloniam Agrippinam, regnante tamen Damaso, perturbatio duravit. Postea *Liber Pontificalis*, putans Felicem antipapam eumdem esse atque S. Felicem *viae Portuensis*, illum damno Liberii valde laudavit. *Acta Felicis e Libro Pontificali* excerpta sunt<sup>1)</sup>.

4º. **Marcellus Ancyranus** strenuus fuit Arianorum oppugnator, Nicaeae in honore positus. Postea in aliqualem Sabellianismum dilapsus est, discrimen tollens inter Patrem et Filium<sup>2)</sup>. A Photino, ejus discipulo, haeresis nomen duxit.

5º. **Appollinaris** jacturam humanitatis intulit Christo, ut ejus divinitatem contra Arianos tutaretur. Homo constat, ita is docuit, anima, mente et carne (*Platonis trichotomia*). Loco mentis (*νοῦς*) in Christo fuit divinitas. Unde consequitur Christum non esse completum hominem. Hinc Appollinaris eum non dicit hominem factum sed carnem. Neque etiam eo auctore Christi caro communis fuit. Caelestem eam et divinam vocat. Christus peccare nequivit, eo quod deerat *νοῦς*, quae sedes est peccati. Identidem error Alexandriae (362) et alibi damnatus est<sup>3)</sup>.

6º. Consequens fuit, ut ex Arianismo deduceretur **Macedonii haeresis**. Etenim si Filius Deus non est, neque Spiritus S., qui ex doctrina catholica a Patre Filioque procedit, Deus esse potest. Si *Logos* creatura est, qui ex eo procedit creatura non esse nequit. Sic collegit Macedonius. Mortuus est 362 Constantinopolitanus patriarcha semiarianus. „*Spiritum Sanctum*, dicebat, *non esse ejusdem cum Patre et Filio honoris participem sed utriusque ministrum*”. Vocabantur ejus sectatores *Macedonianii* vel *Marathoniani*, a Marathoni Nicomediensi, primo Macedonii discipulo, aut *Pneumatomachi*. In Thracia praecepit et Bithynia divulgatus est error, eo quidem facilis, quod plurimi isti haeretici austera vitam ducerent. Strenui tamen prodierunt oppugnatores S. Athanasius, S. Basilii, S.

<sup>1)</sup> Duchesne, *Le liber Pont.*, p. CXX sq. et 207 sq. Döllinger, *Die Papstfabeln des Mittelalters*, 2<sup>e</sup> Aufl., p. 126—145.

<sup>2)</sup> Th. Zahn, *Marcellus v. Ancyra*, Gotha 1867.

<sup>3)</sup> Cf. Funk, *Abh. u. Unters.*, II, p. 347—359.

Ambrosius aliique. Multis synodis fuit error damnatus, praesertim Romana, anno 374 Damaso Pontifice, et **2º concilio oecumenico** Constantinopolitano, anno 381. A Theodosio I hoc concilium convocatum est, ut eligeretur patriarcha, concilium Nicaenum confirmaretur et semiariani ad rectam fidem reducerentur. Intererant episcopi orthodoxi 150 et Macedoniani 36, qui tamen mox e concilio discesserunt.

In symbolo a patribus confecto vel potius confirmato, quoniam Epiphanius in libro suo *Anchoratus* (374) et Cyrillus in *Catechesibus* suis illud fere ad verbum referunt, accurate descripta est doctrina de Spiritu S°. Post verba: „*et incarnatus est*” additum: „*per Spiritum Sanctum ex Maria Virgine*”; et post: „*credimus in Spiritum Sanctum*” prosequebantur: „*Dominum et Vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas*”.

Sufficienter igitur, Spiritum Sanctum Deum esse, defendit hoc concilium, quod approbantibus Summis Pontificibus et totius occidentis episcopis factum est oecumenicum<sup>1)</sup>. De *Spiritus processione* autem varie loquebantur in occidente et oriente. Illic dicebant: „*a Patre Filioque procedit*”, hic vero „*a Patre per Filium procedit*”. Prior illa formula mox jam in occidente in *symbolis* accepta est: in Toletano, annis 447 et 589; postea etiam in *symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum* transiit<sup>2)</sup>.

*Symbolum Athanasianum*<sup>3)</sup> quo explicatius haec doctrina exponitur, primum invenitur in synodo quarta Toletana anni 633, videturque in Hispania saeculo sexto confectum<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Septem tamen ultimos canones papa non approbavit, nec praesertim canonem tertium, ubi sedes Constantinopolitana post Romanam proxima enumeratur.

<sup>2)</sup> De discrimine inter Nicaenum et Constantinopolitanum vide *Funk*, Lehrbuch, ed. 5, Paderborn 1907, p. 128. *Schermann*, Die Gottheit des h. Geistes nach den Griechischen Vätern des 4en Jahrhunderts, Leipzig 1901.

<sup>3)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 28, p. 1567—1604.

<sup>4)</sup> Cf. praesertim *Dr. K. Künstle*, Eine Bibliothek der Symbole und theologischer Tractate, in *Forschungen zur christlichen Litter. und Dogmengeschichte* Bd. I, Heft IV, p. 35—42.

### § 31. Ejusdem temporis schismata, lites et errores.

*Völter*, der Ursprung der Donatisten, Freiburg 1883. Cf. Tüb. Quartalschr., 1884, p. 500 sq. *Optatus Milevitanus*, De schismate Donatistarum. *Hefele*, Conc., I Bd. Chronologie des Origenistenstreites, apud *Rauschen*, Jahrbücher der christlichen Kirche, Freiburg, 1897 p. 552 sq. De Priscillianismo, *Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, Bd. I—II. *Merkle*, Der Streit über Priscillian, Tüb. Quart., 1896, p. 630—649. De minoribus sectis, *Hefele* Bd. II—III. *Hieronymus*, Adv. Helvidium; Adv. Jovinianum; Liber c. Vigilantium. *Duchesne*, Hist. anc. d. l'Eglise, Tom. II. *H. Leclercq*, l'Afrique chrétienne, I, p. 335 sq. *Id.* l'Espagne chrétienne, Paris 1906.

1º. **Donatismus** excitatus est defuncto, anno 311, Mensurio Carthaginensi episcopo. **Caecilianus** diaconus, non exspectatis episcopis Numidicis legitime electus, valide consecratus fuit a Felice Aptungitano. Tum, duorum sacerdotum invidorum, Botri et Coelestii, ambitu valida factio novo episcopo se opposuit. Sectae opem tulit **Lucilla** dives femina, cuius superstitiosum reliquiarum cultum **Caecilianus** reprehenderat. Ut se purgarent crimine injustae oppositionis suo episcopo factae, inficiabantur jure eum consecratum esse a *Traditore*. Episcopi Numidici, jam antea offensi in Mensurium episcopum, tum vero magis ira commoti, quod electio non fuisset in adventum suum dilata, congressi sunt numero 70, **Caeciliatum** jure electum negarunt et **Majorinum**, lectorum, episcopum elegerunt (312). Hunc consecravit **Donatus Casae-Nigranus**. Qui autem **Majorino** († 315) successit, **Donatus Magnus**, forte idem, ac **Donatus Casae-Nigranus**, ab eo appellatum schisma est. Mox Ecclesia Africana in duas partes divisa, quarum utraque conabatur fautores sibi comparare.

**Constantinus** **Caeciliatum** probavit ejusque causam agendam tradidit Melchiadi Papae, in Synodo Romana, 1 Oct. 313. In qua synodo causa ceciderunt Donatistae, sicut etiam in Arelatensi (341). Praeter haec **Aelianus** proconsul, examinatis actibus, **Felicem Aptungitanum** crimine *traditionis* liberavit. Non tamen acquieverunt Donatistae, sed ad imperatorem provocarunt, qui anno 316, interrogatis Mediolani utrisque partibus, **Caeciliatum** culpa vacuum declaravit, Donatistis, reluctari pergentibus, ecclesias ademit et ex iis paucos in exsilium ejecit. Commotio tamen in dies durior. Rapina

et caede implebant Donatistae provinciam (*circumcelliones*), infestaque multa loca faciebant. Mortuo Constantino (337) vi schismaticos repressit Constan<sup>t</sup>s tranquillitatemque restituit, quac duravit Constantio regnante.

Juliano (361—363) exsules redire permittente, commotio redintegrata est. Inflictam sibi persecutionem ulciscentes, Donatistae ecclesias diripuerunt, altaria everterunt, calices fregerunt, sacra olea et ipsum SS. Sacramentum per fenestras foras projecerunt. Ad 400 numero aucti sunt eorum episcopi, eo quod, quae Valentinianus I, Gratianus et Theodosius I severe jusserant, donastisticis aulicorum studiis irrita manserunt. Anno fere 370 Optatus Milevitanus celebre suum opus scripsit *De schismate Donatistarum*<sup>1)</sup>. Impigre laboravit Augustinus inde ab exeunte saeculo IV, multa edens opera contra schismaticos<sup>2)</sup>. Synodi Carthaginenses VIII et IX (403—404) frustra coactae sunt. Honorio imperatore iterum severe eos tractante, demum Donatistae ad saniora redierunt, ita ut anno 411, centesimo post inchoatum schisma, ad consultandum congressum sit. Convenerant episcopi catholici 286 Donatistae 279. S. Augustini doctrinae et eloquentiae nullus restitit. Manus dare, omnesque ablatas reddere ecclesias debuerunt Donatistae. Frustra ad imperatorem provocarunt, qui contumaces voluit infamia notatos. Tum multi gremio Ecclesiae denuo recepti. Alii schismati adhaerere perrexerunt vel consequentibus eos Vandalis, usque ad expugnatam a Mahumetanis Africam<sup>3)</sup>.

Donatistae schismatici paulatim etiam in errores haereticos impegerunt. Dicebant enim: a) eam solam veram Ecclesiam esse, quae peccatores publicos in gremio suo non toleret, ideoque ecclesias omnes, communicantes cum Felice Aptungitano et Caeciliiano, contaminatas esse, neque ad veram Ecclesiam pertinere. b) Sacmentorum operationem non in sola recta fide, verum etiam constare in vitae puritate et sanctitate individua ministrorum. Solos autem Donatistas puros esse sanctosque<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. II, p. 883—1104.

<sup>2)</sup> Haec habes apud Migne, P. L., Tom. 43.

<sup>3)</sup> Vide Mansi, Collect. Conc., Tom. III, p. 175, 517, 843, 855, 1023, 1336. Hefele, I, p. 217 sq. 232 sq.

<sup>4)</sup> Martroye, Revue des quest. hist. Oct. 1904; Jan. 1905: Une tentative de révolution sociale en Afrique. Donatistes et circoncellions.

**2º. Origenistarum lites.** De **Origene**<sup>1)</sup>, illustri Ecclesiae doctore, vivo et mortuo, varie existimatum est. Lites de doctrina ejus durarunt a saeculo III ad IV. Alexandriae ipse docuit annis 203—230 in mediis ethnicis et gnosticis. Illi Platonem sequebantur; hi lamentabilem generis humani conditionem suo solo systemate explicari posse profitebantur. Quare **Origenes** Judaeis, ethnicis et gnosticis satisfacturus simulque catholicam doctrinam tutaturus, hoc novum sistema excogitavit:

- a. Logos (Verbum) est Patre inferior, sicut etiam Spiritus S.
- b. Animas omnes ab aeterno creavit Deus. Aliae perseverarunt esse bonae (angeli); aliae defecerunt (daemones); aliae non adeo gravissime peccarunt, inclusaeque sunt corporibus variis pro varia gravitate peccati. Una mansit perfectissima atque ideo juncta fuit Verbo incarnato. Qua doctrina non solum peccatum originale evanuit, sed etiam ea, quae S. Scriptura narrat de primorum parentum peccato, alio modo explicanda fuerunt. Quod fecit **Origenes**, allegorice ea interpretans.
- c. Vult Deus ut animae omnes ad primam conditionem redeant. Ergo omnes, etiam daemones, aliquando salvi fient: *Apocatastasis universalis*.
- d. Corpora non resurgent; sed animae in altera vita recipient ethericum corpus, forma rotunda.

Hi errores praesertim in libro *De principiis* expositi fuerunt. Jam anno 230 nonnulli ex iis Alexandriae damnati sunt. Universale ecclesiasticum judicium tamen notum non est ante annum 400. Hinc opinionum discriminem. **Marcellus Ancyranus** **Origenem** „Arianismi parentem“ appellabat. Arianismo favens **Eusebius Caesareensis** eum defendit, quo major in **Origenem** suspicio excitata. **Basilius**, **Gregorius Nyssenus** et **Gregorius Nazianzenus** solum ingens ejus ingenium spectabant, artemque sibi ex ejus scriptis efformantes, anthologica (*Philocalia*) ex iis confecerunt. **Hieronymus** et **Chrysostomus** existimabant **Origenem** esse omnium S. Scripturae interpretum magistrum. Monachi plerumque contra **Origenem** fuerunt. **Epiphanius** in suo libro eum inter haereticos recenset<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> *Diekamp*, Die Origenistischen Streitigkeiten im 6 Jahrh., Münster 1899.  
*Prat*, **Origène**, Paris 1907.

<sup>2)</sup> *Adv. haer.*, *Migne*, P. G., Tom. 41, p. 1062—1200.

Saeculo IV ad finem vergente, inceperunt Ariani provocare ad illustrem magistrum Alexandrinum, unde orta est vehemens controversio. Quum Hierosolymitanus episcopus pergeret commendare ejus scripta, Epiphanius eo adivit atque omni ope in contrariam sententiam laboravit. Acrior facta concertatio, quum Hieronymus oppugnaret Origenistas, Rufinus vero, Aquilejensis presbyter, eos defenderet. Hic, in Italiam redux, librum *De principiis* in latinum sermonem transtulit, sed ita ut errores omnes expuncti essent. Tum Hieronymus confecit versionem accuratam eamque misit ad Anastasium I (399—401) Papam, qui, anno 400, errores Origenis damnavit. Vehementi inter Hieronymum et Rufinum lite composita, tranquillitas rediit<sup>1)</sup>.

Eodem fere tempore discordarunt inter se monachi Ægyptiaci. Aliis, Origenem oppugnantibus, fuit de Deo opinio anthropomorphica<sup>2)</sup>. Alii, Origenem sequentes, verius de Deo sentiebant. Nonnulli e prioribus, egressi ex eremo, mortem minitantes postularunt a Theophilo Alexandrino, ut Origenem damnaret. Qui, obviam factus, eorum animos mitigavit, dicens: „in vobis cerno imaginem Dei”. Plene satisfacti abierunt, quum Theophilus Origenem damnasset<sup>3)</sup>. Dein a monachis Origeni faventibus valde abalienatus, hic patriarcha contra eos synodos coegit eosque ex eremo expulit. Hi, ducibus suis superioribus, Diocoro, Ammonio, Eusebio et Euthymio, quibus nomen *quatuor fratres proceri* inditum, magnam partem in Palaestinam et postea Constantinopolim profecti, auxilium a Chrysostomo et ab imperatore petierunt. Chrysostomus cum caritate accepit monachos, non tamen permisit communicare cum Ecclesia, eo quod a suo episcopo essent exclusi. Arcadius imperator (395—408) accivit Theophilum Alexandrinum, ut in synodo rationem redderet. Qui, venire ipse renuens, misit Epiphanium, qui Constantinopoli Origenistas et Chrysostomum impugnaret. Epiphanius, a Theophilo circumventus, Origenistas damnavit seseque a Chrysostomo separavit. Demum Theophilus ipse adve-

<sup>1)</sup> Hieronymi Lib. adv. Rufinum; *Rufinus*, Apologia ad Anastasium Papam; *Hieron.*, Apol. adv. libr. Rufini; *Rufinus*, Apol. in Hieron. *Migne*, P. L., Tom. 21 et 23. Cf. *Brochet*, S. Jérôme et ses ennemis, Paris 1906.

<sup>2)</sup> Serapion: „Deum corporeum esse.” Socrates, VI, 7.

<sup>3)</sup> Socr., VI, 7. Sozom., VIII, 11.

niens tempus prosperum nactus est dejiciendi Chrysostomi. Etenim Eudoxia imperatrix, patriarcham oratione sibi injuriam intulisse rata, conquesta de eo est apud imperatorem. Quare Theophilus coacta synodo *ad Quercum* prope Chalcedonem, Chrysostomum a sede movendum curavit, quem tunc in exsilium misit imperator. Precibus instante populo redire permissus, paucos reliquos menses ecclesiam suam gubernavit, et iterato in exsilium profectus in itinere defunctus est 14 Sept. 407<sup>1)</sup>. Constantinopoli autem tranquillitas non est restituta prius quam anno 438 ejus reliquiae ibidem conderentur. Altera lis exarsit de doctrina Origenis inter monachos Palaestinae (520). Quae adeo efferbuit ut, defuncto S. Saba († 532), Origenistae adversariorum monasteria everterint. Ephrem Antiochenus tunc damnavit Origenismum (542), pacem non tamen restituit. Sabaitae, seu Origenistarum adversarii, persecutionibus obnoxii Justinianum imperatorem adierunt, qui epistolam generalem misit, Origenis errores refutantem et rejicientem. Subscripserunt Pontificis legati et orientis episcopi, ac Mennas Constantinopolitanus, eodem anno coacta synodo, eosdem errores canonibus 15 damnavit. Quod judicium postea, concilio oecumenico Constantinopolitano, anno 553, est confirmatum<sup>2)</sup>.

3º. **Priscillianismus.** Exeunte saeculo IV, Marcus quidam in Hispania errores Gnostico-manichaeos divulgavit, quos avide Agape, Elpidius et **Priscillianus** hauserunt. Ab hoc secta nomen habet. Principium supremum duplex profitebantur, alterum Veteris Testamenti, Novi alterum; de S. Trinitate nihil noverant neque Christi verum corpus admittebant. Negabant insuper mundum creatum esse mortuosque resurrecturos; animam humanam Dei partem dicebant, vetabantque nubere et carnes manducare. Usurpabant libros apocryphos et multum occupabantur astrologia. Crescebat haereticus rumor, cum Instantius et Salvianus episcopi suffragarentur. Jam in synodo Caesaraugustana, anno 380, damnatus est. At non acquiescentibus haereticis, controversia exarsit, in qua multum valuit aurum Priscilliani. Gratiano interfecto, Maximus

<sup>1)</sup> Funk, Joh. Chrysostomus und der Hof von Constantinopel, Abh. u. Unters., II, 23 sq.

<sup>2)</sup> Diekamp, Die Origenistischen Streitigkeiten im 6 Jahrh. und das algem. Conc., Münster 1899. Cf. Histor. Jahrbuch, 1900, p. 743 sq. Densinger, N. 203 sq.

usurpator, occasionem nactus sui in Ecclesiam ostendendi studii, **Priscillianum** et aliquot ejus fautores capite plecti jussit (385). Quod acriter improbarunt **Martinus Turonensis**, **Ambrosius** et **Siricius** Papa. At vel mortuis ducibus error in totam Hispaniam dimanavit. Toleti, anno 447, adversus eum symbolum confectum est. Demum post Synodum Bracarensem 563 disparuit<sup>1)</sup>.

**4<sup>6</sup>. Sectae minores et errores reliqui. Massaliani** (Euchitae) fuerunt quidam quietistae. Docebant habere singulos homines in se diabolum, sola oratione expellendum. Expulso hac ratione diabolo, sentitur Spiritus S., in animam introiens et cum eo perfecta quies et futurorum cognitio. Cultum externum omnem repudiantes, omne tempus orando et dormiendo impendebant. In oriente ab **Adelpho** monacho instituta secta saepius, sed praesertim concilio Ephesino (431) damnata est<sup>2)</sup>. **Collyridiani** S. Virginem colebant offerendo panem vel placentam (*collyris*), quae sacrificia per mulieres conficiebantur. E contra **Antidicomarianitae** negabant, S. Virginem virginem mansisse, sed a S. Josepho alios quoque liberos genuisse asserebant. Quam haeresin oppugnarunt **Epiphanius**<sup>3)</sup> et **Hieronymus**<sup>4)</sup>. **Jovinianus** negabat tum peccata inter se discriminari tum virtutes. Homines vel aequaliter sanctos vel aequaliter peccatores dicebat. Negabat virginitatem nuptiis praestare, docebatque S. Virginem, gignendo **Christum**, virginitatem amisisse. Contra quem scripsit praesertim **Hieronymus**<sup>5)</sup>. Qui etiam refutavit **Vigilantium**, reprobantem sanctos coli et invocari, profitentemque virginitatem pari honore habendam ac nuptias, paupertatem voluntariam inutilem esse et alia hujusmodi<sup>6)</sup>. Idem fere docuit **Aerius**, qui insuper discrimen esse inter episcopos et sacerdotes negabat<sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> *Sulp. Sev.*, H. E., II, c. 46—51. *Mansi*, Coll. Conc., III, 667 s., 671 s. 673 sq. *Priscilliani* opera, ed. *Scheppe*, Viennae 1889. *Künstle*, Dogmengeschl. Unters. und Texte aus dem Streite gegen Priscilians Irrlehre, Freiburg 1905.

<sup>2)</sup> *Epiphan. Haer.*, 80.

<sup>3)</sup> *Haeres.*, 77, N. 25 sq. 78, N. 1 sq. 79, N. 1 sq.

<sup>4)</sup> *Adv. Helvidium*. *Neubert*, Marie dans la theologie anténicéenne, Paris 1908. Cf. H. Quillet, art. Antidicomarianites in *Dict. de théol. cath.*

<sup>5)</sup> *Adv. Jovinianum*. *Duchesne*, Hist. anc. de l'E., Tom. II, p. 560.

<sup>6)</sup> *Contra Vigilantium*. *H. Leclercq*, L'Espagne chrétienne, p. 210 sq.

<sup>7)</sup> *Epiph. Haer.*, 75, N. 1, sq.

### § 32. Nestorianismus et concilium oecumenicum III.

Sermones et epistolae Nestorii apud *Marium Mercatorem, Migne*, P. L., Tom. 48, p. 757 sq.; etiam apud *Cyrillum, Migne*, P. G., Tom. 77 p. 44 sq. *Mansi*, Coll. Concil., Tom. IV—VII. *Hefele*, Concil., II, 140 sq. Die Christologie des h. Cyrillus von Alex. in der Röm. Kirche, Tüb. Quart., 1895, p. 421 sq. *Schwane*, Dogmengeschichte, II Aufl., p. 325—348. *Chabot*, Synodicon orientale ou recueil des synodes Nestoriens, texte syriaque et traduction, Paris 1903. *Harnack*, Dogmengeschichte, Bd. II (2<sup>e</sup> Aufl.) p. 325—348.

1<sup>o</sup>. *Unitio substantiva* naturae divinae et humanae in Christo adhuc impugnata non fuerat, verum a primis patribus potius *implicite* et *explicite* expressa: „*Quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui habitavit in nobis, idem ipse est Verbum Dei*”<sup>1)</sup>. Patres posteriores usque ad Nestorii aetatem non minus perspicue idem docuerunt<sup>2)</sup>. Ad finem saeculi IV et initio V<sup>i</sup> primus **Theodorus Mopsuestenus** traditae doctrinae repugnavit, docens, *Logon* in homine Jesus inhabitare veluti in templo (*inhabitatio*). Eo auctore, quod idem discipuli ejus tuebantur, moralis tantum exstitit unio utriusque naturae in Christo, servabatque utraque propriam suam personalitatem<sup>3)</sup>. Quo anno 428 Theodorus obiit, **Nestorius**, ejus discipulus, factus est patriarcha Constantinopolitanus inchoavitque mox haeresin explicare et divulgare.

2<sup>o</sup>. Formavit Deus, sic ille, per Spiritum Sanctum in utero Mariae hominem completum, in quem descendit Filius Dei, humanum genus redempturus. Hoc homine veluti instrumento utebatur, eum duxit in mortem crucis, extulit eum in caelum collocavitque ad dexteram Patris. Filius Dei et homo Jesus duae distinctae personae sunt, intime quidem, sed non substantialiter unitae<sup>4)</sup>. In Christo divina actio nulla homini, nec humana ulla divinitati ascribi potest. Adeoque qui natus e Virgine Maria est, non est Deus, sed homo, in quo Deus habitat. Maria appellari nequit mater Dei (*Θεοτόκος*), sed mater illius

<sup>1)</sup> *Irenaeus*, De haer., I, 9. *Migne*, P. G., Tom. VII, 542. Cf. *Symbol. Apost.* et *Tertull.*, c. *Prax.*, *Migne*, P. L., Tom. II, p. 157 etc. etc.

<sup>2)</sup> *Franzelin*, De Verb. Incarn., thes. 16—20. *L. Janssens*, Tractatus de Deo homine, Friburgi i/Br. 1904, I, 107.

<sup>3)</sup> Excerpta Mopsuestena, *Migne*, P. G., Tom. 48, 1051 sq.

<sup>4)</sup> S. Thomas Aq. hanc unionem vocat: „secundum inhabitationem, per unitatem affectus, secundum operationem, secundum dignitatem honoris, secundum aequivocationem”. *Summ. Theol.*, P. III, q. 2, art. 6.

hominis, in quo Deus inhabitat (*χριστοτόκος*). Deus non est pro nobis passus nec mortuus, sed tantum ille homo, in quo Deus habitabat veluti in templo<sup>1)</sup>.

3º. Primus hanc doctrinam praedicavit Constantinopoli Anastasius sacerdos, quem Nestorius secum Antiochia adduxerat. Negabat Mariam Virginem posse dici matrem Dei. Multi, audientes et aegre ferentes conquesti sunt apud Nestorium, qui Anastasio se assentiri respondit. E suggestu ipse defendit Mariam hominis Jesus (*ἀνθρωπότοκος*), summum Christi esse matrem (*χριστοτόκον*). Vehemens tum fidelium reclamatio exorta est, qui inter ipsos sermones patriarchae restiterunt. Nestorius vicissim eos homines nequam vocabat, jussitque castigari et in vincula conjici. Proclus, Cysicanus episcopus, Constantinopoli morans, publica oratione Nestorio sese opposuit, qui tamen perrexit disertis sermonibus haereticam doctrinam defendere. Quos sermones in oriente divulgatos etiam monachi avide legebant. Tum S. Cyrillus, Alexandrinus episcopus, scripto Matrem Dei defendit ejusque praecellentiam monachis defendendam commendavit. Nestorius autem, quem quoque conatus est ad recte docendum perducere, aspere ei respondit. Cum ergo Cyrillus imperatori et Pulcheriae errorem exponeret, causamque Coelestino I Papae (422—432) commendaret, etiam Nestorius hunc in suam trahere sententiam molitus est. Quod tamen non successit. Etenim, synodo Romae anno 430 habita, impiam doctrinam Papa damnavit ac, dimissionem minitans Nestorio injunxit, ut intra dies decem post acceptum damnationis judicium errorem revocaret. Cyrillus jussus est mandata exequi. Qui, coacta Alexandriae synodo, Incarnationis doctrinam denuo explanavit et anathematismos confectos duodecim ad Nestorium subscribendos misit. Is parere noluit atque, iracundissime ferens, totidem, anathematismis Cyri lo respondit<sup>2)</sup>.

4º. Joannes Antiochenus et Theodoreus Cyrensis, stomachantes Cyillum usurpasse vocabulum *εὐστογίς*

<sup>1)</sup> F. Loofs, Nestoriania. Die Fragmente des Nestorius. Gesammelt, untersucht und herausgegeben. Mit Beiträgen von Stanley, Cook und Kampfmeier, Halle 1905. Cf. postissimum J. F. Bethune-Baker, Nestorius and his Teaching. A fresh examination of the evidence, Cambridge 1918, ubi tentat probare, Nestorium non tam esse Mopsuesteno errore delusum, quam ambiguitate verborum abreptum.

<sup>2)</sup> Mansi, IV, 1021. Cf. Denzinger, ed. 10, N., 113 sq. Rehmann, Die Christologie des Cyrill von Alexandrien, Hildesheim 1902.

**Φνσική** (unio naturalis) Nestorio se adjunxerunt. In gravescente in dies perturbatione, Theodosius II (408—450), consentiente Papa, **III concilium oecumenicum** convocavit Ephesum (431). Episcopi fere 200, circa festum Pentecostes diem convenerant. Advenit Nestorius, militum cohorte stipatus, Johannes Antiochenus adire distulit. Ejus autem nuntio accepto, licere synodum inchoare, Cyrillus praeses disquisitionem ineundam declaravit.

Quum autem jam in prima sessione demonstrassent doctrinam Nestorii esse falsam, ipsumque Nestorium a sede demisissent, jubilans prae gaudio populus facibus colluentibus patres domum reduxit. Brevi tamen post adveniens, Johannes Antiochenus cum episcopis 43, e contrario synodum coegit, cuius vicissim judicio demissi sunt Cyrillus et Mennas Ephesinus. Theodosius II autem initio utriusque synodi decreta confirmavit, suumque Joannem cancellarium misit, qui partes conciliaret. Quod quum frustra esset factum, legatos utriusque partis accivit Chalcedonem, dein accessit recte credentibus, judicium in Cyrrillum et Mennam abolevit et Nestorium, exsulem, in monasterio prope Antiochiam prius inclusit, sed postea, pergentem defendere erroneam suam doctrinam, relegavit in oasin Ægyptiacam.

5º. Nondum tamen discordia extincta est, eo quod episcopi nonnulli haeresin fovebant, alii, ut Theodoreus Cyrensis, recte quidem credentes, tamen impugnabant Cyrrillum et Ephesinum, dum Johannes Antiochenus aegerrime ferebat demissionem amici sui Nestorii. Anno tandem 433 conventio facta est. Cyrillus subscrispsit *symbolo* orthodoxo, a Joanne confecto, qui vicissim acquievit iis, quae severe contra Nestorium acta erant. Hoc symbolum Sixtus III Papa (432—440) confirmavit.

Nestoriani tum recesserunt in Persiam aliasque terras. Barsuma Nisibenus, eorum princeps, coelibatum abrogavit. Postea Babaeus Nestorianam ecclesiam fundavit. Ab ea inde aetate latius manavit haeresis in Asiam, viguit usque in saeculum XIV, at, invadente terras Tamerlan, magis magisque colapsa est<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. J. B. Chabot, *Synodicon orientale ou recueil de synodes Nestoriens*, Paris 1908. W. Kraats, *Koptische Acten zum Ephes. Concil. Texte und Untersuch.*, N. F., XI, 2 (1904). Laboury, *Le christianisme dans l'empire Perse*, Paris 1904, p. 131 sq.

### § 33. Monophysitismus et concilium oecumenicum IV.

*Mansi*, Collect. Conc., Tom. VI—VII. *Hefele*, II, p. 313 sq. *Epistolae Leonis I apud Migne*, P. L., Tom. 54. Cf. *Grisar*, Zeitschrift für kath. Theol., 1882, p. 191 sq. *Blötzter*, Der h. Stuhl und die oecumenischen Synoden des Althertums etc. Zeitschrift für kath. Theol., 1886, p. 67 sq. *Martin*, Le pseudo-synode connu sous le nom de Brigandage d’Ephèse, étudié d’après ses actes retrouvés en syriaque, Paris 1875. *Harnack*, Dogmengeschichte, II, 2, pag. 348—401.

1<sup>o</sup>. **Eutyches**, archimandrita monasterii alicujus Constantinopolitani, acerrime impugnavit Nestorium, sed ita ut in oppositum errorem impegerit (448). Non intellexit, in Christo, si est verus Deus et verus homo, duas re distinctas esse debere naturas, divinam et humanam<sup>1)</sup>. Ante Verbi incarnationem, sic ille opinabatur, duae istae naturae separatae exstiterunt; sed a quo temporis momento Verbum naturam humanam assumpsit, adeo sunt intime unitae, ut una tantum sit in Christo natura<sup>2)</sup>.

Unde consequitur, aut Christum passum non esse, aut naturam divinam pati posse. Diu latere iste error nequivit. Flavianus, Constantinopolitanus patriarcha, hoc ipso anno 443 congregavit in civitate praesentes episcopos et Eutychetis haeresin damnavit. Qui non acquiescens, ad Papam provocavit conatusque est Petrum Chrysologum Ravennatensem in partes suas perducere. Flavianus quoque Leonem I appellavit, qui respondit celeberrima *Epistola dogmatica ad Flavianum*<sup>3)</sup>, qua recta doctrina egregie explicatur.

2<sup>o</sup>. Tum Eutyches praesidium imploravit Theodosii II, qui, precibus indulgens, anno 449 synodum coegit Ephesinam. Ibi haeretico homini cuncta favebant. Diocorus, patriarcha Alexandrinus monophysita, praesidebat. Aulici potentes cum cohorte militari et degeneres monachi patribus minitabantur. Eutyches declaratus est culpa vacuus, eo quod se diceret sequi synodos Nicaenam et Ephesinam (431). Flavianus aliique, qui Eutychetem oppugnarant, damnati et a sedibus moti sunt.

<sup>1)</sup> A. Leone magn. vocatur Eutyches „imprudens, imperitus” ejusque haeresis: „error... de imperitia magis quam de versutia natus” (Epist. 28, 30 et 35).

<sup>2)</sup> Eutyches non enucleat, quomodo hae duae naturae deveniant una, *confusione, conversione, absorptione aut compositione*. Inclinare videtur in opinionem *absorptionis*.

<sup>3)</sup> *Mansi*, X, 1366 sq. *Denzinger*, N. 143—144.

Flavianus adeo male tractatus est, ut tribus diebus post sit mortuus. Jure merito hic congressus nominatus est *Latrocinium Ephesinum*. Ubique indignatio orta est, quae monophysitarum causae minime profuit<sup>1)</sup>.

3º. Theodosio II successit Marciānus (450—457), illustris vir atque non minus quam uxor ejus S. Pulcheria, eximie catholicus. Tum rerum status confestim mutatus est. Anatolius, qui Flaviano successerat, confirmavit in synodo *Epistolam dogmaticam*; Flaviani reliquiae honorifice Constantinopoli sepultae sunt; episcopi ex exsilio redierunt. Marciānus novam synodum convocavit, quam, etsi non jam necessariam arbitrabatur, tamen coire permisit Leo I Papa<sup>2)</sup>.

Ad quod **concilium oecumenicum IV Chalcedonense** anno 451, convenerunt episcopi fere 630, praesidentibus Pontificis legatis. Acclamantibus patribus probata est *Epistola dogmatica*, symbolumque confectum, quo profitebantur patres „*unum eundemque Christum, Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum*”<sup>3)</sup>.

Reprobatis *latrocinii Ephesini* decretis, Diōscorū Alexandrinū sede motus est. E reliquis canonibus notandus est XXVIII, quo sedes Constantinopolitana, sepositis antiquioribus, ordine et honore proxima post Romanam ponitur, imo vero etiam eidem Constantinopolitanae eadem tribuuntur jura ac Romanae, eo quod sit eadem quoque civitas imperatoria. Quem canonem Leo I Papa, quum decreta concilii omnia approbaret, disertis verbis exceptit<sup>4)</sup>.

4º. Non tamen statim nec brevi tempore quies rediit. Imo vero post concilium Chalcedonense perturbatio augeri videbatur. Monophysitae ipsas sedes patriarchales occuparunt. Fretus

<sup>1)</sup> Acta Latrocinii Ephesini syriaca apud *Perry*, The second synod of Ephesus, London 1877.

<sup>2)</sup> *Mansi*, VI, 114 sq. 251 sq.

<sup>3)</sup> *Denzinger*, No. 148, cf. *J. Bois*, art. Chalcedoine (concile de) in Dict. de théol. cath.

<sup>4)</sup> Cf. *Hefele*, II, 527 sq.

auxilio Eudoxiae imperatricis et monachorum Palaestinensis, Theodosius monachus sedem Hierosolymitanam occupavit, expulso Juvenali patriarcha. Proterium Alexandrinum interfecit Timotheus Aelurus<sup>1)</sup> (*αἴλουρος* = felis), ut sedem patriarchalem sibi compararet. Martyrius Antiochenus cedere debuit Petro Fulloni.

Utraeque partes praesidium Leonis I (457—474) imperatoris inquisierunt, qui, orthodoxis favens, Aelurum et Fullonem expulit. Leonii II (473—474) successit, post brevissimum regnum, Zeno (474—491), cui Basiliscus (476—477) usurpator imperium abstulit. Is, praesidio monophysitarum utens, Aelurum et Fullonem sedibus restituit, imo vero etiam *Encyclicon* edidit, quo *Epistola dogmatica* decretaque concilii Chalcedonensis rejiciebantur et monophysitismus praescribebatur. Cui edicto, etsi episcopi 500 ei subscripsissent, tamen monachi (Daniel Stylites) et populus fortiter refragati sunt, quibus consentiebat Acacius Constantinopolitanus. Qua oppositione pressus Basiliscus, suum edictum abrogavit, edito *Anti-encyclicon* (477), quo non solum Eutyches, verum etiam Nestorius damnatus est. Mox tamen caeso Basilisco et Zenone restituto, Fullo abiit in exsilium et defunctus est Aelurus (477—478).

Tamen nequaquam invalidi jacebant monophysitae. Ad duas vices suum candidatum, Petrum Mongum, patriarcham Alexandrinum elegerunt. Qui Acacium Constantinopolitanum, animo debilem, seduxit ac cum eo simul symbolum composuit, quo non solum Nestorium et Eutychetem verum etiam decreta Chalcedonensia damnabant, profitentes fidem Nicaeno-Constantinopolitanam, *Anathematismos* 12 Cyrilli et decreta Ephesina. Cui perfido symbolo Zeno imperator, anno 482, nomen indidit *Henoticon*<sup>2)</sup>, id fidei regulam legemque declarans. Hoc tamen imperandi modo optata Ecclesiae pax redi non potuit, imo vero invalescebat Monophysitarum in pugando ardor. Dein Felix II Papa (483—492) rejicit *Henoticon*, Acaciumque excommunicavit. Cui judicio quum contumaces imperator et patriarcha refragarentur, ortum est *schisma Acacianum* (484—518), quo orientalis Ecclesia sejuncta est ab

<sup>1)</sup> J. Lebon, La christologie de Timothée Aelure, d'après les sources syriaques inédites. Revue d'hist. eccl., 1908, p. 677 ss.

<sup>2)</sup> Evagrius, H. E., III, 14.

occidentali, usque ad Justiniani I tempora. Anno demum 519, episcopi orientalis Ecclesiae subscriperunt *Regulae fidei Hormisdae papae*<sup>1)</sup>, quo facto schisma finitum est.

5º. His autem litigantibus, vehemens insuper exorta est controversio de *communicatione idiomatum*. Monophysitarum doctrinæ favens, patriarcha Antiochenus trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis* addiderat: *qui crucifixus est pro nobis*. Quam formulam, etsi non haereticam, monophysitæ in suam sententiam ita explicabant, ut ab orthodoxis *Theopaschitae* vocati sint. Anno 519, monachi aliqui Constantinopolim venerunt, petentes ut fidei confessioni adderetur: „*unus ex Trinitate crucifixus est*”. Quae verba, quoniam a monachis monophysitico sensu intelligerentur, rejecta sunt a legatis Pontificiis, ac Hormisdas Papa eadem inutilia atque periculosa, non tamen haeretica declaravit. Quum vero postea mala fides et periculum perversæ interpretationis jam abesset, Joannes II, anno 534, formulam orthodoxam esse declaravit, conciliumque Constantinopolitanum oecumenicum V hunc confecit canonem (10); „*si quis non confitetur, Crucifixum carne Dominum nostrum Jesum esse Deum verum et Dominum gloriae et unum de Sancta Trinitate, talis anathema sit*”<sup>2)</sup>.

6º. Ut monophysitismus in antiquum vigorem reduceret, semel adhuc conata est Theodora, Justiniani I imperatoris uxor, adjuta ab Anthimo Constantinopolitano patriarcha, quem tamen mox Agapetus Papa officio dejicit. Rem tentatam non dimisit Theodora. Retractandam eam commisit Vigilio, ambitioso diacono Romano, qui quum, sublato Silverio Papa, sedem papalem injuste occupasset, nihil tamen patravit in favorem monophysitarum.

In varias sectas disjuncta, haeresis ista in oriente usque in nostram aetatem subsistit. In Ægypto monophysitæ posteriori tempore appellati sunt *Kopti*, in Syria et Mesopotamia *Jacobitæ*. Abyssinia universa detestandæ haeresi dedita mansit<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Denzinger, No. 171—172.

<sup>2)</sup> Denzinger, No. 222.

<sup>3)</sup> De scriptis monophysiticis vide A. Ehrhard apud H. Krumbacher, Geschichte der Byzant. Litteratur (2 Aufl.), München 1897, p. 51 sq.

§ 34. **Controversia de tribus capitulis.**  
**Concilium oecumenicum V.**

Acta Concilii V apud *Mansi*, Tom. IX, p. 163 sq. *Hefele*, Conc. II.  
*L. Duchesne*, Vigile et Pélage in Revue des quest. hist., Tom. 36 (1884) p. 369 sq. *Chamard*, ibd., p. 540 sq. *Grisar*, Geschichte Roms und der Päpste, No. 371 sq. *Lévéque*, Etude sur le pape Vigile, Amiens 1887.  
*F. Savio* S. J. Il papa Vigilio, Roma 1904. cf. Civiltà Catt., Dec. 1903, 5—19.

1<sup>o</sup>. Primam huic controversiae ansam dedit Theodorus Ascidas, Caesareensis in Cappadocia episcopus. Origenis doctrinae inhaerens, studuit imperatoris animum ab Origene avertere. Monophysitae, sic ille dicebat, facile cum Ecclesia reconciliari possunt, si damnantur a) Theodorus Mopsuestenus suaque scripta; b) scripta Theodoreti Cyrensis contra Cyrillum et concilium Ephesinum; c) epistola Ibae Edesseni ad Marim Persam. Attulitque rationem, haec **tria capitula** favere Nestorianis atque ideo Monophysitis infensa esse. Cui consilio, eo libentius imperator assentiens, quod satagebat illo ipso tempore *acephalos*, monophysitarum sectam, Ecclesiae reconciliare, tulit anno 543 vel 544 edictum, quo tria capitula damnabantur<sup>1)</sup>. Tergiversati nonnihil, subscripsérunt Mennas, Constantinopolitanus patriarcha, et orientis episcopi omnes. Occidentalis vero Ecclesia approbare edictum noluit, eo quod concilium Chalcedonense Theodoreum et Ibam, ejuratis erroribus, in sedes suas restituerat et de Theodoreto, in pace cum Ecclesia defuncto, sapienter tacuerat. Nolebant nec poterant negare, haec tria capitula favere Nestorianismo. At inopportunam atque injuriosam hanc iteratam damnationem existimantes, a sententia orientalium discrepabant.

2<sup>o</sup>. Citissime fuisse sedata turbatio, si Justinianus Vigiliūm Papam ad controversiam non admiscuisset. Imperatoris jussu Constantinopolim deductus, initio Papa acriter damnationem improbavit, ac propterea ad instar captivi custodiebatur<sup>2)</sup>. Dein coactus et, ne schisma oriretur metuens, Vigilius, 11 Aprili 548, edidit **Judicatum**, quo tria capitula

<sup>1)</sup> Fragmenta edicti, quae supersunt, vide *Facundum*, Pro defensione trium capitulorum, II, 3, IV, 4, *Migne*, P. L., Tom. 67, p. 566, 567, 628.

<sup>2)</sup> „Etsi me captivum tenetis, beatum Petrum apostolum captivum facere non potestis”. Epist. cler. Ital. ad legatos Francorum, *Migne* P. L., Tom. 69, 116.

damnabantur<sup>1)</sup>, adjectis his verbis: „*salvis omnibus atque in sua perpetua firmitate durantibus, quae in Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino primo atque Chalcedonensi venerandis constat conciliis definita et praedecessorum nostrorum auctoritate firmata*”. Tum universus occidens stetit adversus Papam, quem Africani excommunicaverunt. Ex iis quos secum habebat ei adversabatur etiam Rusticus diaconus, Romae Pelagius diaconus, vir magnae auctoritatis. Tum Vigilius cogitare coepit de synodo universali cogenda et repetit a Justiniano *judicatum*. Post longas moras id reddidit imperator, sed, detrimentum sibi compensaturus, novum adversus tria capitula tulit decretum (551), quod, adversante pontifice, episcopi orientales approbarunt.

Vigilius reclamavit. Tum incolumitate pericitata, aufugit in S. Petri ecclesiam primum, deinde, male tractatus, 23 Dec. 551 Chalcedonem. Unde facta est Justiniani conditio anceps valde. Imploravit Vigilium, ut Constantinopolim rediret. Qui, hortante instanter Belisario, in hac re imperatori obsecundans, noluit tamen interesse synodo, eo quod episcopi, qui aderant 151, exceptis Africanis 6, omnes imperatoris arbitrio regerentur. Hujus **concili oecumenici V<sup>2)</sup>** tempore Vigilius suum obtulit **Constitutum**, 14 Maii 553, quo vetuit damnari tria capitula. Tum Justinianus jussit nomen Papae a congregatis epis copis e *dyptichis* deleri, servata communione cum S<sup>a</sup> Sede<sup>3)</sup>. Sessionibus octo synodus, contra expressum Papae mandatum, tria capitula damnavit, tulitque *anathematismos* 14, quibus variae haereses et haeretici condemnati sunt<sup>4)</sup>.

3º. Refragantes clericos Justinianus in exsiliū expulit. Videtur etiam tandem Vigilium minitando et promissionibus blandiendo ad suam sententiam perducere voluisse. Constat Vigilium tandem obsecundasse. Jam 8 Dec. 553 iterumque 23 Febr. 554 confirmavit decreta concilii oecumenici V, adeoque probavit tria capitula damnata esse. Aegerrime sane ferendum fuit, a pontifice ter suam sententiam esse mutatam.

<sup>1)</sup> Fragmenta quae supersunt apud Hefele, II, 821—824, Jaffé, ed. 2, II, N. 922.

<sup>2)</sup> Postea factum est oecumenicum accidente Ecclesia occidentali.

<sup>3)</sup> Dixit imperator ad episcopos: unitatem vero ad Apostolicam sedem et nos servamus et certum est quod et vos custodiatis”. Cui episcopi responderunt: „*Servemus itaque unitatem ad Apostolicam sacro-sanctae ecclesiae sedem antiquioris Romae.*” Mansi, IX, 367; Hefele, II, 887 sq. Duchesne, Revue des quest. hist., 1884, II, 420.

<sup>4)</sup> Denzinger, N. 212 sq. Hefele, II, 892 sq.

Angustiis et difficultatibus gravissimis pressus, Vigilius paene novem annos Constantinopoli degerat, periculaque undique mota, quantum potuit, averterat. In fide profitenda firmus et constans, debilis fuit et anceps in negotio opportunitatis. Dubius haerebat, an opportunum aut necessarium esset, viros condemnare, quibus synodus Chalcedonensis pepercera, atque judicium ferre, quod monophysitae suam victoriam, episcopi vero occidentales injuriam synodo Chalcedonensi inflictam, existimare potuissent. Eum non sine causa schisma metuisse, eventu posteriore comprobatum est<sup>1)</sup>.

Vere anni 555 redditum aggressus, Syracusis 7 Junio obiit.

### § 35. Monotheletismus et concilium oecumenicum VI.

*Mansi*, Coll. Conc., Tom. X et XI. *Hefele*, Conc. III (2e Aufl.), p. 121 sq. 328 sq. *Grisar*, S. J. *Analecta Romana*, Roma 1899, p. 385 sq. *Schneemann*, Studien über die Honoriusfrage, Freiburg i/Br. 1864. *L. Duchesne*, Le Liber Pont., Tom. I, p. 323 sq. *Harnack*, Dogmengesch., II, (2e Aufl.) p. 401—412, *Bottemanne*, De Katholieke, Tom. 69 (1876), p. 52 sq. *Pargoire*, l'Eglise byzantine de 527 à 847, éd. 2, Paris 1905, p. 157 sq.

Quum Heraclius imperator (610—641) timeret ne monophysitae, sicut Nestoriani, Persarum praesidio munirentur, quaesivit qua via possent ad Ecclesiam reduci. Viam aperuit **Sergius** Constantinopolitanus patriarcha (610—638). Proposuit fidei symbolum, quo „peracta unione hypostatica duarum naturarum in Christo, una tantum voluntas et una operatio” perstare dicebatur: *una Θέλησις seu Θέλημα = una volendi facultas, uniusque indolis volitiones; una ἐνέργεια = una operandi vis et unius ordinis operationes*. Instaurabatur, subtiliore hac forma, monophysitismus. Grate asciscens doctrinam, Heraclius jam inde ab anno 622 inchoavit sollicitare monophysitarum animos. Episcopi multi, e quibus praecipuus Cyrus Alexanderinus, obsecuti sunt. Hic, doctrina accuratius articulis 9 circumscripta, anno 633 monophysitas Aegytiacos Ecclesiae adunavit. Haeresi primus opponens se S. Sophronius, tum adhuc monachus Alexan-

<sup>1)</sup> *Hergenröther-Kirsch*, I, p. 612. Cf. *A. Ehrhard*, *Krumbacher*, Gesch. der Byzant. Litteratur, p. 58. *Ch. Diehl*, Justinien et la civilisation au VI siècle, Paris 1901.

driae, quum non audiretur a Cyro, Constantinopolim adiit Sergium rogaturus. Qui, rectam fidem simulans, nec de una nec de duabus voluntatibus loquendum esse respondit; quod se facturum noluit promittere Sophronius.

2º. Paulo post Sophronius, ad sedem patriarchalem Hierosolymitanam evectus, sicut ex antiquo more faciebant ineuntes officium patriarchae, epistolam synodalem misit ad reliquos patriarchas et Summum Pontificem. At etiam Sergius, ut exponenda doctrina Sophronium praeveniret, anno 634 litteras dedit ad Honorium I, quibus controversiae exordium non ad rerum veritatem exposuit, S. Sophronii auctoritatem extenuavit, scripsitque summatim: „*quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est patribus, tamen peregrina videatur et perturbare aures quorumdam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse atque secundum subsistentiam in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est unquam, nec fiat. Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizat, utpote a nullo sanctorum et probabilium ecclesiae institutorum edita. Insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes*”<sup>1)</sup>.

Epistola tota Sergius se unam tantum in Christo admittere voluntatem ostendit, sed dicit se desiderare, ut nec de una nec de duabus voluntatibus sermo fiat.

Dolendum sane est, Honorium non distulisse responsionem usque ad acceptas litteras synodales S. Sophronii. Rescripsit, circumductus astutia Sergii. Hunc laudavit, quod ad Sophronium „*satis provide circumspecteque*” scripsisset, suadetque ut vitet „*novitatem vocabuli*”, quae possit „*scandalum simplicibus generare*”, ut taceatur tum de una tum de geminis operationibus, ne parvuli hisce aut Nestorii aut Euthychetis doctrinam tradi putarent.

De dogmate vero ipso scripsit: „*unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata... Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis...*” Dixit

<sup>1)</sup> Mansi, Tom. XI, p. 534. Hefele, III, 141 sq.

dein in eadem epistola, juxta rectam Ecclesiae fidem se confiteri unum Operatorem. Dominum Jesum Christum, Filium Dei Vivi, operantem duabus naturis quum quae Deo tum quae homini propria sunt<sup>1)</sup>). His dictis salva certe fides fuit.

Non diu post devenerunt Romam Sophronii legati. Epistola sua synodali defendit rectam doctrinam duplicitis operationis<sup>2)</sup>. Honorius tamen silentium imposuit Sophronio, scripsitque alteram ad Sergium epistolam, qua idem fere repetitur et vetatur „unam vel duas operationes definientes praedicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, i. e. divinitatis et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum propria operantes”<sup>3)</sup>. Tertio post anno (638) Honorius mortuus est.

3º. Ob has duas Honorii epistolas Constantinopoli consumacia in dies acrior facta est. Anno 638 Heraclius imperator tulit Ecthesin, quod fuit monotheliticum symbolum, magnum scandalum generans et post annos decem, anno 648 a Constante II (641—668) imperatore abrogatum<sup>4)</sup>.

**Typus**, eodem anno editus, mandavit, ut sileretur, quum de una tum de duabus operationibus, idque vel gravibus propositis poenis. Quas jam statim incurrit Martinus Papa, qui quod, in synodo sua Lateranensi anni 649<sup>5)</sup>, duplicem esse in Christo voluntatem et duplicem operationem declarasset, in exsilium ejectus est. Postea quoque alii plures propter eandem confessionem mulcati: imo vero S. Maximo<sup>6)</sup> ejusque discipulis lingua excisa et dextra abscissa est (662). Neque vero pax restituebatur.

4º. Tum Constantinus Pogonatus (668—685) ad Agathonem Papam appellavit, ut concilium cogeretur. Libenti

<sup>1)</sup> Mansi, XI, 538 ss. Denzinger Ed. X, N. 251.

<sup>2)</sup> Mansi, XI, 461—508.

<sup>3)</sup> Mansi, XI, 579 (fragmenta). Denzinger, No. 252.

<sup>4)</sup> In epistola aº 641 ad Constantimum imperatorem Joannes IV papa Honorium defenderat. Cf. Denzinger, No. 253.

<sup>5)</sup> Denzinger, No. 263—270.

<sup>6)</sup> H. Straubinger, Die Christologie des H. Maximus Confessor, Bonn 1906.

animo is, in praeparatoria romana synodo (680), cum episcopis 125, vera doctrina confirmata, legatos misit Constantinopolim, qui **concilio oecumenico VI** praesiderent. Aderant fere 170 episcopi. Symbolo Chalcedonensi haec addita sunt verba: *Et duas naturales voluntates in eo et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum SS. Patrum doctrinam adaeque praedicamus; et duas naturales voluntates, non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinae ejus atque omnipotenti voluntati*<sup>1)</sup>. Acclamando confirmarunt patres *epistolam dogmaticam Agathonis Papae*, dammaruntque omnes haereticos, inter quos nominatim „*Honorius(m), qui fuit Romae praesul, qui eos in his secutus est*”.

5º. Leo II (682—683) confirmavit concilii decreta, sed damnationem Honori i correxit dicens: *Nec non (anathematizamus) et Honorium, qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est* ( $\pi\alpha\rho\epsilon\chi\omega\rho\gamma\sigma\epsilon$  = subverti permisit<sup>2)</sup>). Vel sicut idem scripsit ad Ervigium, Hispaniae regem: „*De Catholicae Ecclesiae adunatione projecti sunt... una cum iis Honorius, qui immaculatam Apostolicae traditionis regulam, quam a praedecessoribus suis accepit, maculari consensit*”<sup>3)</sup>; et iterum ad Hispaniae episcopos: „*Honorio, qui flammarum haeretici dogmatis, non, ut decuit Apostolicam auctoritatem incipientem extinxit, sed negligendo confovit*”<sup>4)</sup>. Igitur a Summo Pontifice, cuius est suprema auctoritas, Honorius non ob haereseos culpam damnatus est, sed quod negligentia sua haeresi opem tulerat<sup>5)</sup>. Valde multa de Honorio scripta sunt<sup>6)</sup>, potissimum tempore ultimi Vaticani concilii. Ejus autem gesta infallibilitati adversa non sunt, quod neque erravit in fide nec locutus est *ex cathedra*. Fuerunt quoque, qui nimium solliciti acta Synodi

<sup>1)</sup> Denzinger, No. 291.

<sup>2)</sup> Mansi, Tom. XI, 167, 1047.

<sup>3)</sup> Jaffé, Reg., ed. 2, No. 2120.

<sup>4)</sup> Ibid. No. 2119.

<sup>5)</sup> Cf. Liber Diurnus, No. 84.

<sup>6)</sup> Döllinger, Papstfabeln, 2 Aufl., p. 154 sq.

VI adulterata putaverint<sup>1)</sup>. At hujus judicii nulla ratio est<sup>2)</sup>.

Eo quod V et VI concilio *canones disciplinares* nulli lati essent, anno 692 Constantinopoli *Trullana Synodus* seu *Quinisexta*<sup>3)</sup> coivit, quae canones confecit 102, solam orientalem Ecclesiam spectantes et a nullo unquam Papa confirmatos. Monotheletismus paulatim desedit, perstitit autem apud solos Maronitas in monte Libanon<sup>4)</sup>.

### § 36. Pelagianismus.

*Marius Mercator*, Commonitoria, *Migne* P. L., Tom. 48, p. 63 sq. *Pelagius*, Commentarii in epist. S. Pauli; Epistola ad Demetriadem, *Migne*, P. L., Tom. 30, p. 645—902; 14—45. Libellus fidei, *Migne*, Tom. 45, 1716—1718. *Augustinus*, Tom. 44—45. *Wörter*, Der Pelagianismus nach seinem Ursprung und seiner Lehre, Freiburg i/Br. 1882. *Ernst*, Pelagianische Studien, Der Katholik, 1884, II, 225 sq. 1885, I, 241 sq. *Hefele*, Conc. II (2e Aufl.), 104 sq. *A. Bruckner*, Quellen zur Geschichte des Pelagianischen Streites: Tübingen 1906. *Rivière*, Le dogme de la rédemption, Paris 1905. *Klasen*, Die innere Entwicklung des Pelagianismus, Freiburg i/Br. 1882. *Portalié*, art. S. Augustin in Dict. de Théol cath.

I<sup>o</sup>. Pelagianismi auctor fuit **Pelagius** monachus Britannus, qui ineunte saeculo quinto Romam profectus, decem ibi annos magister fuit, nimiumque versabatur in volvendis Theodori Mopsuesteni, Nestorianismo faventibus scriptis. Caelestius quidem, ejus discipulus, Pelagi doctrinam elaboravit atque accuratiore forma circumscripsit, attamen strenuissimus ejus defensor fuit Julianus, ingenio acutissimo atque animo ad litigandum alacri, episcopus Eclanensis.

<sup>1)</sup> *Baronius*, Annales a. ann. 680, N. 19—34; 682, N. 3—9; 683, N. 2—22; *C. Bottemanne*, De Honorii papae epistolarum corruptione, Buscoduci 1870, cf. *De Katholieke*, D. 57, p. 219 sq. *Dom John Chapman*, The condemnation of pope Honorius, London 1907, qui exponit, Synodum occumenicam 680, Honorum damnantem, tamen illustre testimonium ferre de infallibilitate Ecclesiae Romanae adeoque non existimasse eam damnationem huic infallibilitati adversari.

<sup>2)</sup> Cf. praesertim *Hefele*, III, p. 142, 172, 299 sq. *Grisar*, Analecta, p. 389.

<sup>3)</sup> *Hefele*, II, 328 sq.

<sup>4)</sup> De litteratura vide *A. Ehrhard* apud *K. Krumbacher*, Gesch. der Byzant. Litteratur, p. 60 sq.

Docebant, hominem posse omnia paecepta exsequi, non adjuvante gratia Dei. Interrogatus, Pelagius declaravit gratiam ad hoc solum esse ut *facilius* mandata perfici possint. Gratia, sine qua nihil boni facere valemus (*sine me nihil potestis facere*<sup>1</sup>), Pelagio est liberum arbitrium. Opem nobis paebet Deus sola lege sua et doctrina, qua quid agendum, quid sperandum sit, dignoscimus. Id quo juvamus ad legem implendam, donum Dei non est. Precari pro infidelibus, ut convertantur ad fidem, pro fidelibus, ut in fide confirmentur, inutile esse dicebant, eo quod utriusque sponte sua id efficere valeant. Adam mortalis creatus est, et mortuus esset etiamsi non peccasset. Peccatum autem ejus ipsi soli nocuit, generi humano non nocuit. Infantes omnes nascuntur in eodem statu, quo fuit Adam ante peccatum. Sicuti homines non moriuntur propter Adam mortem, ita non resurgent propter resurrectionem Christi. Infantes, non suscepto baptismate mortui, tamen et ipsi vita aeterna potentur. Aequa ad caelum conductit lex atque Evangelium<sup>2</sup>).

2º. Primum in occulto haec doctrina sparsa est Romae. Expugnata urbe, anno 410, Pelagius et Caelestius fugerunt in Africam. Inde prior in Palaestinam profectus est, alter vero Carthagine errorem docuit. Cui se opposuit Paulinus, diaconus Mediolanensis, ejusque propositiones sex detulit ad Aurelium Carthaginem, qui eas in synodo anni 411 damnavit. Ob contumaciam excommunicatus, Caelestius aufugit Ephesum, ubi ordinatus est sacerdos.

Interea in Palaestina errorem docebat Pelagius. Tum Augustinus, anno 412, scripsit librum *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvolorum*<sup>3</sup>), quo defendit peccatum originale; eodem anno scripsit *De spiritu et littera*<sup>4</sup>), quo probat, internam gratiam necessariam esse; anno 415, *De natura et gratia*<sup>5</sup>), quo egregius doctor exponit justificari hominem non posse sine gratia, quae non meritis sed gratis datur. Insuper Orosium, discipulum suum, misit monitum, ut caverent ab haeresi. Quo facto confessim Joannes Hierosolymitanus synodum

<sup>1</sup>) Joan., XV, 5.

<sup>2</sup>) August., De gr. Christi et de pecc. orig., lib. II, c. 2, 3, 4. *Marius Mercator*, Comm. super nom. Caelestii, c. 1. *Migne*, P. L., Tom. 48, p. 69—70; cf. p. 115.

<sup>3</sup>) *Migne*, P. L., Tom. 44, p. 109—200.

<sup>4</sup>) *Migne*, P. L., Tom. 44, p. 201—246.

<sup>5</sup>) Ibid., p. 247—290.

coegit, anno 415, qua tamen nihil definitum est. Imo vero Diospoli Eulogius, Caesareensis metropolita, cum epis copis 14, circumventi a Pelagio, culpa vacuum eum declararunt (415). Quod ubi nuntiatum est, synodi Carthaginensis et Milevitana, anno 416, iterato haereticos damnaverunt; quod judicium anno 417 confirmavit Innocentius I Papa<sup>1)</sup>.

3º. Penes Zosimum (417—418), qui Innocentio successerat, periculum defendendi se facturus, Caelestius venit Romam, dum scripto sedem romanam adiret Pelagius. Praylus quoque Hierosolymitanus in gratiam Pelagi ad Papam scripsit. Dolo deceptus, Zosimus improbavit credulitatem episcoporum Africanorum, promisitque se ulterius de hac re inquisitum, non tamen revocavit latam in Africa contra haereticos excommunicationem. Episcopi autem, Carthagine congregati, cito rescripserunt, imploraveruntque a Zosimo, ne absolveret Pelagium et Caelestium, sed Innocentii I judicium tueretur. Dein, anno 418, ampla synodus episcoporum 200 Carthagine coacta, lucem mentibus praferente S. Augustino, doctrinam, denuo examinatam, canonibus octo rejicit. Tum Zosimus quoque, iterata sua inquisitione, *Epistolam tractoriam* composuit<sup>2)</sup>, qua rectam Ecclesiae fidem exponi omnes laeti agnoverunt. Julianus Eclanensis cum 17 aliis episcopis, subscribere recusantes, ab Honorio imperatore in exsilium missi sunt. Pelagius et Caelestius, litigando destiterunt. Julianus vero, princeps adversarius, *Epistolam tractoriam* et Augustinum impugnare perrexit. Anno 419 hic scripsit librum *De nuptiis et concupiscentia*<sup>3)</sup>, nec desiit decertare contra haeresin nisi morte interceptus (430). Concilium Ephesinum quoque, anno 431, Pelagianismum damnavit<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Denzinger, No. 101 sq.

<sup>2)</sup> Migne, P. L., Tom. 45, in appendice, p. 1730. Cf. Denzinger, 101—107; 134—135. F. Savio, Il papa Zosimo, Roma 1906.

<sup>3)</sup> Migne, P. L., Tom. 44, p. 413—475.

<sup>4)</sup> Hefele, I, 209, sq. Denzinger, No. 129 sq.

### § 37. Semipelagianismus.

*Wörter*, Beiträge zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus, Paderborn 1898/1899. — Zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus in Kirchengesch. Studien, Münster 1900. De Vincentio Lirinensi et Mario Mercatore vide Tübinger Quartalschrift 1899, p. 396 sq. Brunetière et de Labriolle, S. Vincent de Lérins, Paris 1906. Koch, Vincenz von Lerin und Gennadius, Leipzig 1907. Valentin, St. Prosper d'Aquitaine, Toulouse 1900. H. v. Schubert, Der sogenannte Praedestinatus. Ein Beitrag zur Geschichte des Pelagianismus. Texte u. Unters., N. F., IX, Leipzig 1903. Jacquin O. P., La question de la prédestination au V et VI siècles, Revue d'hist. Ecclés., Avril 1904. H. Leclercq, l'Afrique chrétienne, II, p. 127 sq.

1<sup>o</sup>. Existentiam et naturam peccati originalis et supernaturalis gratiae, quam mereri nemo potest, quae tamen absolute necessaria est pro quopiam opere meritorio, invictis rationibus S. Augustinus adversus Pelagianos probaverat. Sed non omnes perceperant, quae abstruse doctor eximius disputaverat, eo vel minus quod, copiose argumentando, severiores nonnullas opiniones immiscuerat de operatione gratiae et de pradestinatione electorum. Unde ortae sunt non solum lites satis acres de scriptis Augustini, sed nova etiam systemata, ut gratiae necessitas cum libertate humani arbitrii sociaretur.

Hoc fieri posse negabant monachi e monasterio Hadrumetano, in Africa, et plane asserebant Augustini doctrinam libertati arbitrii nocere. Quos ut instrueret, egregius magister librum scripsit *De gratia et libero arbitrio* (426—427)<sup>1)</sup>. Insuper monachus unus, ex eo quod gratia necessaria sit, exsistere putabat, ut frustra superiores cohortarentur, juberent et reprehenderent, quum abbati haec sola via aperta maneret, petendi nimirum a Deo gratiam sufficientem pro subditis suis. Tum ad hos misit Augustinus librum *De correptione et gratia* (427)<sup>2)</sup>, quo exponeret, ad bonam vitam non solam gratiam requiri, sed hominis quoque cooperationem.

Hic liber videtur turbasse animos in Africa et magis etiam in Gallia<sup>3)</sup>. Praesertim monachi Massiliensis monasterii S. Victoris cum celeberrimo suo abbe Joanne Cassiano ad errandum versi sunt. Generatim necessariam esse gratiam agnosc-

<sup>1)</sup> Ad Valentimum et cum illo monachos, Migne, P. L., Tom. 44, 881—912.

<sup>2)</sup> Ad eundem Valentimum et cum illo monachos Hadrumeticos, ibid., 915—946.

<sup>3)</sup> Augustini Epist. 217. Cassianus, Collationes, XIII, 7. Ed. Petschenig, p. 368—369.

entes, negabant eam requiri ad initium fidei, ad desiderium salutis. Appellati sunt eo tempore a sede sua **Massilienses**, et nonnisi a saeculo XVI **Semipelagiani**.

2º. Non quidem tantum ac Pelagiani, tamen ipsi quoque nimium tribuebant viribus liberi arbitrii. Docente Ecclesia, sine gratia Dei hominem quidquam salutare pro vita aeterna nec cogitare nec facere posse, ponebant Semipelagiani, suis ipsius naturae viribus hominem valere atque debere pervenire ad initium fidei, ad desiderandam salutem, ad petendum Dei auxilium; bene utendo libero arbitrio, eum gratiam Dei *mereri*; perseverare autem in bono usque ad mortem, non esse donum gratiae divinae, sed solius humanae voluntatis opus. E quibus omnibus consequens fuit novus error, praedestinationis. Asseverabant enim, praedestinatos *ad gratiam esse*, quos Deus praevideat solis liberi arbitrii naturalibus viribus gratiam divinam recepturos; praedestinatos autem *ad gloriam* solos eos, quos Deus praevideat iisdem liberi arbitrii naturalibus viribus in gratia recepta perseveraturos. Praedestinationem igitur in solius humani liberi arbitrii potestate esse docebant<sup>1)</sup>.

3º. Quum Joannis Cassiani collationes anno 426 essent editae, haec doctrina latius in Gallia manans, per Hilarium et Prosperum Aquitanum etiam ad Augustinum pervenit. Qui nulla interposita mora, scripsit duos libros, *De praedestinatione Sanctorum*<sup>2)</sup> et *De dono perseverantiae*<sup>3)</sup> (428—429), quibus Massiliensium errorem refutat. Poco tempore post, defuncto Augustino (430), Prosper Aquitanus controversiam persecutus est. Princeps ejus opus inscribitur *De gratia Dei et libero arbitrio, liber contra Collatorem*<sup>4)</sup>. Cum Hilario Prosper Romam profectus est, ut certiores facerent Caelestinum I (422—432). Qui scripsit ad episcopos Galliae<sup>5)</sup>, silentium imposuit errantibus, tutavit memoriam Augustini<sup>6)</sup>, laudavitque Prosperti ejusque docti amici zelum. Perduravit tamen controversia, neque eam terminavit synodus Arelatensis (475).

<sup>1)</sup> *Cassiani collationes*, XIII, 8, 9, 11.

<sup>2)</sup> Liber ad Prosperum et Hilarium primus, *Migne*, P. L., Tom. 44, 959—992.

<sup>3)</sup> Liber ad Prosperum et Hilarium secundus, ibd. 992—1034.

<sup>4)</sup> Ibid. Tom. 51, p. 213—276.

<sup>5)</sup> Ibid. Tom. 50, 528—530.

<sup>6)</sup> Ibid. et *Denzinger*, No. 128.

Praecellens deinde rectae doctrinae defensor fuit Fulgentius Ruspensis, qui contra Faustum Rejensem<sup>1)</sup> celeberrimam *epistolam Synodicam*<sup>2)</sup> et *Contra Faustum libr. VII* conscripsit. Hoc ultimum opus deperditum. Superest autem celebratum opus: *De veritate praedestinationis et gratiae Dei ad Joannem et Venerium*<sup>3)</sup>.

4º. Haud longo tempore post, Caesarius Arelatensis coegit **Synodus Arausicanam II** (529). Mirifico acumine lucentibus *canonibus* 25, plus minusve ad verbum ab Augustino et Prospero mutuatis, et a Felice III Papa ad synodum missis, Pelagianismus et Semipelagianismus damnatus, rectaque doctrina est exposita atque ita diuturnis litibus finis impositus<sup>4)</sup>. Bonifatius II (530—532) confirmavit synodum, quae paulatim magna auctoritate est insignita.

### § 38. Islamismus.

Het Islamisme door Dr. R. Dozy, 2 ed., Haarlem 1880. De Koran, voorafgegaan door het leven van Mahomed met opheld. aanmerkingen en hist. aanteekeningen van Kasirmiski en anderen bewerkt door S. Keyser, 2e dr., Arnhem 1878. Grimme, Mohammed, Leben und Lehre, 2 Bnde, Münster 1892—1895. Carra de Vaux, Le Mahométisme, Paris 1898. A. Klein, The religion of Islam, London 1906. O. Hondas, L'Islamisme, nouv. éd., Paris 1908.

1º. Dum in omnes in circuitu terras christiana doctrina permanarat, pars major incolarum Arabiae, ineunte saeculo septimo, nondum ethnicis doctrinis ritibusque valedixerant. Supremus iis Deus Allah, inferiores divinitates hujus Dei filiae putabantur. Mecorabae, quod centrum cultus in Arabia Media, collocata erat Kaba, veluti pantheon existens innumeris incolarum tribubus. Pauci quoque degebant ibi christiani, dum Judaei inde ab

<sup>1)</sup> Liber De gratia Dei et humanae mentis libero arbitrio (Migne, P. L., Tom. 58, p. 783—836) scriptus est contra severiorem praedestinatianum Lucillum nomine.

<sup>2)</sup> Ibid., Tom. 45, p. 1779—1785.

<sup>3)</sup> Ibid., Tom. 65.

<sup>4)</sup> Ibid., Tom. 45, p. 1785. Mansi, Tom. VIII, 712 sq. Hefele, II, 726 sq. Malnory, S. Césaire, évêque d'Arles, Paris 1894. Dom G. Morin, Un travail inédit de S. Césaire, revue Bénédictine, Juillet 1904. P. Lepay, Le rôle théologique de S. Césaire d'Arles, Paris 1906.

H adrian i aetate frequentes aderant. Separato cultu utebantur *Hanifitae*, unum Deum adorantes, remuneratorem boni et mali, servantesque religionem *Abrahami*, sui per *Ismaelem* patris, quem *Mecorabae Kabam* aedificasse narrabant. Haec religio, doctrinae firmitate et regiminis ordine a **Mohammed** instructa, factus est **Islamismus**. E mahumetica traditione, **Mohammed**, natus 571, anno aetatis 25 uxorem duxit *Chadidja*, viduam divitem. Solutus omni vitae alendae cura, studiis suis animoque obsequebatur. Fuit indole meditabundus, neurasthenicus, melancholicus, inquietus, natura recondita, excelsitatis verae sensum non habens, studens vero verborum magnificentiae. Jam dudum hysterico morbo temptatus<sup>1)</sup>, annos fere natus 40, in monte *Hira* sibi visus est portenta videre, audire ter verbum: *lege!*, Spiritum, angelum *Gabrielem* conspicere, dicentem sibi, natum se esse ad magnum quid faciendum, magnamque sibi mercedem praeparari. Qui fidem ei habuerunt primi, fuerunt *Chadidja* uxor, *Abubekr* socer ejus, nonnullique ex iis, qui cum ipso erant. **Mohammed** suas revelationes praedicavit, quae ab *Abubekr*, ab *Omar* et postea ab aliis collectae, **Koran** efficiunt. Qui liber constat capitibus 114 (Sura), saepissime eadem repetit et pugnantia loquitur estque valde inscite compositus. Sicut *Koran* est fidei regula, ita *Soma*, dicta gestaque prophetae continens, norma est cultus et vitae privatae publicaeque.

Systema autem **Mohammed**, ex Hanifismo, Judaismo, veteri Arabica religione et christianismo compositum, hoc est: Unus Deus est *Allah* ejusque propheta **Mohammed**. Revelavit *Allah* per prophetas, quorum praestantissimi sex sunt: *Adam*, *Noach*, *Abraham*, *Moses*, *Christus*<sup>2)</sup> et **Mohammed**. Utrumque istud agnovisse, tum precari, jejunare, dare eleemosynas et peregrinari *Mecorabam*, quinque columnae sunt Islamismi. Precandum quinques de die, facie *Mecorabam* versa, die autem Veneris facienda magna communis precatio. Dies sabbatinae quietis non est. Jejunium praescriptum est per totum mensem Ramadhan: ante solis occasum demum licitum non

<sup>1)</sup> *Dozy*, p. 13 sq.

<sup>2)</sup> *Sayous*, Jésus Christ l'après Mahomet, Paris 1880. Auctore Mahomed Christus supernaturali modo conceptus est et natus, multaque patravit miracula sed non crucifixus in coelum assumptus est. Etudes rel., 5 Déc. 1904.

est, manducare quidquam aut bibere. De *vita futura* Islamismus profitetur, corpora resurrectura, esse infernum, et caelum voluptate sensuali abundans<sup>1)</sup>.

Sicuti jam ex expositis patet, religio haec tota externa est. Praecepta internae virtutis, interiorisque sanctitatis non dat; vetat tantum edere sanguinem aut carnes porcinas, bibere vinum, facere imagines et ludere aleis. Retinuit M o h a m m e d etiam circumcisionem.

Anno 622 M o h a m m e d aufugit Medinam (Hedschra). Ab hoc eventu Mohammedani computant annos. Exinde quoque M o h a m m e d contendit, ut dolo armisque suam pervulgaret doctrinam. Jam 630 expugnavit Mecorabam, imaginibus cunctis purgavit Kabam, eamque fecit cultus Mahumetici centrum. Defunctus anno 632, successorem habuit A b u-B e k r (632—634), qui urbibus terrisque potiri perrexit. O m a r (634—644) expugnavit Hierosolymam, anno 637, Syriam et Palaestinam 639, Ægyptum 640. Persia occupata est annis 642—651. Bibliotheca Alexandrina incendio deleta, Ctesiphontina in Tigridis flumen abjecta est. Ubi pedem posuit Islamismus, ibi christiani oppressioni persecutionique obnoxii facti sunt, ut vix christiana Ecclesia superesse potuerit.

---

<sup>1)</sup> Koran, Sura 56, apud Keyser, p. 740. *A. Palmieri*, art. Coran (sa théologie) in Dict. de théol. cath. *Chantepie de la Saussaye*, Manuel d'histoire des religions, Paris 1904.

## CAPUT TERTIUM.

### HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§ 39 - § 46.

#### § 39. Primatus et Summi Pontifices.

*L. Duchesne*, Le Liber Pontificalis, Texte, Introduction et Commen-taire, Tom. I, Paris 1886. *Jaffé*, Regesta Rom. Pontif., ed. 2a, auct. *Löwenfeld*, *Kaltenbrunner*, *Ewald*, Leipzig 1885—1888. Cf. de his duobus fontibus, *H. Grisar*, Analecta Romana, Roma 1889, p. 1—25, 34—48. Il primato Romano nel secolo V secondo i detti di S. Leone Magno e dei suoi contemporanei in Analecta Romana, p. 307 sq. Roma e la chiesa dei Franchi principalmente nel secolo sesto, ibd., p. 333 sq. *H. Grisar* Geschichte Roms und der Päpste, I, N. 198 sq. *J. Wurm*, Die Papst-wahl, Köln 1902. *M. Vaes*, La papauté et l'Eglise francque à l'époque de Saint-Grégoire le Grand, Revue d'hist. ecclés., Juillet - Octobre 1905.

1º. Vix christiani imperatores pacem Ecclesiae reddiderant, cum **Primatus pontificius**, cuius antea docentis atque regentis vocem claram quidem, sed non ita frequenter neque fortiter editam audie-rant, tum in oriente tum in occidente personavit. Jam quo tempore litigabant Arianii, auctoritatem suam interposuerat, ita ut nonnulli, prae inscitia, ista aetate putent primatum exordium sumpsisse. Nicaeae per legatos suos *Sylvester* praeses fuit; Julius Papa, ab haereticis advocatus, ut arbitri partes susciperet, litem terminavit in favorem Athanasii; *Marcellus* quoque *Ancyranus*, *Paulus Constantinopolitanus*, *Asclepas Gzenus*, et *Lucius Adrianopolitanus* ad sedem apostolicam provocaverunt. Praesertim *Liberii* aetate luculentissime mani-festatus est primatus. „*Arbitrati sunt*, ait Athanasius, *impii homines* (episcopi Arianii), *se, si Liberium seducere possint, omnes illico superaturos*. Quare illum apud imperatorem calum-niantur. Ille, sperans se *Liberii* opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris spadonem quemdam, *Eusebius* nomine, mittit, dona ferentem, ut blandiretur donis, litteris vero

*minaretur*<sup>1)</sup>). Renuit Liberius. Propter quod Constantius eum in exsilium ejecit. Post synodum Ariminensem episcopis orientis regulam fidei, cui subscriberent, proposuit Damasus. Quod mandatum secuti sunt, in sola Antiochia, anno 378, episcopi numero 146, redeuntes ad unam veram Ecclesiam. Fortiter idem pontifex sese opposuit potentissimis omnium episcopis, Mediolanensi, Constantinopolitano, Alexandrino et Antiocheno. Theodosius imperator Nectarium Constantinopolitanum a Damaso confirmandum curavit<sup>2)</sup>. Ut Ambrosius merito dixerit: „*Ubi Petrus ibi ecclesia*”<sup>3)</sup>. Clarius etiam Damasus ipse, simul causam originemque exhibens, „*Quamvis, scripsit, universae per orbem catholicae diffusae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia nullis synodicis constitutionibus caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquit, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*”<sup>4)</sup>.

Synodus quidem Carthaginensis anni 393 vetuit presbyteros et inferiores clericos ad sedem Romanam provocare. Sed non omnes illi huic *canoni* obsecundarunt, quod sedes Romana probavit. Aetate Zosimi Papae, Apiarius Sicensis sacerdos, Romam appellavit, quod Roma non renuit. Imo vero postea Caelestinus I Papa legatum misit, qui causam illam judicaret. Non tamen profuit multum Apiaio appellasse Romam; jure enim fuerat in Africa damnatus. Jus tamen suum tutarunt Pontifices. Quamquam episcopi et synodi in Africa per aliquod tempus restiterunt, tamen aperta cuique semper via fuit ad Romam provocandi<sup>5)</sup>. Reverenter adibant Summum Pontificem, cui nomen vocabatur *Pater patrum, Caput omnium ecclesiarum, Caput omnium, Caput episcoporum, Petra, Petra fidei, Apostolicus universalis ecclesiae Papa*<sup>6)</sup>. De sede Romana prodit veritas; Petri primum jus, suprema potestas. Synodo valor non est, nisi confirmata sit a Pontifice. Papae ferunt Ecclesiae

<sup>1)</sup> *Athanasius, Hist. Ar. ad mon.*, c. 35.

<sup>2)</sup> Pulcherrimum hoc testimonium vide apud *Jaffé*, ed. 2, No. 365.

<sup>3)</sup> In Ps. 40, N. 30, *Migne*, P. L., Tom. 14, 1082.

<sup>4)</sup> *Mansi, Coll. Conc.*, VIII, 158; cf. *Hefele*, II, 620—621.

<sup>5)</sup> *Hefele*, I, 357; cf. II, 120—138. *Capelli*, *De appellat. eccles. Afric. ad Rom. sedem, Romae* 1722.

<sup>6)</sup> De his appellationibus vide *Hergenröther*, Tom. I, p. 263 sq., 443 sq., 682 sq.

leges, mittunt suos legatos ad cunctas ecclesias, judicant omnes, sed „*Prima sedes a nemine judicatur*”.

Stabilis certaque appellatio Pontificum nondum erat. Vocabula *Papa*, *Apostolicus*, *Summus Pontifex* etc. etiam ab aliis episcopis usurpabantur. Sexto demum saeculo solus Romanus Pontifex *Papa* vocari coepit. Humilitatis appellatio, *servus servorum Dei*, jam inde a Gregorii Magni (590—604) aetate in usu fuit.

**Electio Summi Pontificis** hac aetate nonnihil mutata: Loco populi, paulatim numerosioris quam ut posset electioni interesse, nobiles assumpti sunt et magistratus imperatorii, demum senatus. Imperatores ipsi quoque saepius auctoritatem suam interponere conabantur. His adversantibus haud facile quis electus est. Insolentissimo arbitratu usus est Constantius, qui Liberium ejicit in exsilium et Felicem constituit papam. Utrum jus confirmandae electionis sibi vindicarint imperatores, non satis certum est<sup>1)</sup>. Dubia electione intercedere solebant. Summi autem pontifices electionem suam imperatori nuntiabant. Formulae quoque certae constitutae sunt pro interventione aulae imperatoriaie. Non consecrabatur electus, nisi electione ab imperatore prius confirmata. Vocabatur interea: „*Electus futurusque per Dei gratiam hujus Apostolicae sedis antistes*”. Mortuo Simplicio (468—483), praefectus electioni intervenit. Felicem III (526—530) Theodoricus ipse constituit. Funesta tunc saepius fuit regnantium intercessio. Angustia temporum motus, Felix III successorem sibi *designavit*, non tamen, quod voluit, obtinere potuit, quum duplex tum facta sit electio. Qui ei successit, Bonifatius II, a presbyteris suis subscribendum decretum curavit, quo jus ei fieret, sibi successorem *constituere*; repugnantibus autem multis, coactus fuit altera synodo decretum abrogare. Utrum Papae potestas sit, aliquando sibi successorem creandi, certum non est. Recentiore tamen aetate satis multi sunt, qui ita defenderint<sup>2)</sup>.

**2º. Summi Pontifices ab anno 311 ad 692: Melchiades** (311—314) primum vidit christianum imperatorem, pacemque

<sup>1)</sup> Cf. Funk, Die Bisschofswahl im christlichen Altertum, und im Anfang des Mittelalters, Abh. u. Unters., I, 31—32. Hinschius, Kirchenrecht, II, 514.

<sup>2)</sup> Vide Sägmüller, Tüb. Quart., Jg. 85 (1903), p. 91 sq. G. Peries, L'intervention du Pape dans l'élection de son successeur, Paris 1902, ubi invenitur de eadem re litteratura.

Ecclesiae consalutavit. Jam potestatem ei fecerat Maxentius recuperandi *loca ecclesiastica* ablata. Ultimus Papa fuit, sepultus in catacumbis.

**Silvester I** (314—335) vidit multa inchoari, institui in Ecclesia, quae, aspirante libertate, explicare se suaque potuit; vidit postea exordium tristissimi Arianismi, sed etiam primum concilium oecumenicum, cui per legatos suos praefuit. Plurima confecit Silvester in gloriam domus Dei: eo auctore vetustissimae *basilicae S. Petri* et etiam *S. Pauli*, ad viam Ostiensem, aedificatae sunt. Difficillimum est componere ejus pontificatus historiam, quod non superest certa eventuum memoria, neque possunt vera a commentitiis discriminari. Ab eo Constantium esse baptizatum, certo fabulosum est<sup>1)</sup>.

**Marcus** (336) unum tantum annum rexit Ecclesiam.

**Julius I** (337—352) arduum sustinuit contra Arianismum certamen, strenue protegendo opitulans Athanasio, contumaces episcopos ad rectam disciplinam revocans, et per legatos suos synodum Sardicensem dirigens<sup>2)</sup>. Intra et extra urbem plures erexit basilicas.

**Liberius** (352—366) propter rectam fidem persecutioni et exilio obnoxius fuit. Utrum formulae Sirmensi subscriperit, dubium est. Firmus stetit adversus synodum Ariminensem. Supra<sup>3)</sup> jam dictum est, quo pacto memoriam ejus calumniati sint. Magno eminuit zelo domus Dei. *Basilicam Liberii*, ubi nunc *Maria Maggiore*, aedificavit restituitque *Sæ Agnetis*. Ipso absente regnavit antipapa **Felix** (355—365).

**Damasus** (366—384), rite electus, habuit adversarium anti-papam Ursinum (366—367) qui tamen recedere compulsus est. Eo regnante crevit externa primatus potestas: saeculo IV non fuit Papa potentior. Videtur instituisse vicariatum Thessalonicensem<sup>4)</sup>. Hieronymus, qui diu ejus scriba fuit, eum appellat „*doctorem virginem virginis Ecclesiae*”. In augendo urbis Romanae splendore nemo ei par. Etiam nostro tempore celebratur Damasus propter epitaphia sua, curamque quam habuit

<sup>1)</sup> Döllinger, Papstfabeln, 2 Aufl., Stuttgart 1890, p. 61—125. Ch. de Smedt, Principes de la critique hist., Paris 1883, p. 137 sq. Duchesne, Le Liber Pontif., I, p. 170—201.

<sup>2)</sup> Jaffé, ed. 2, N. 186. Cf. Duchesne, Hist. anc. de l'E., Tom. II, 281 sq.

<sup>3)</sup> Supra § 29. 5. Cf. Papstfab., 126—145.

<sup>4)</sup> Vicarius nomine papae regebat Illyriam orientalem.

de catacumbis<sup>1)</sup>. Ejus versus in marmore incisi sunt a Furio Dionysio Philocalo.

**Siricius** (384—399), praesertim notus propter quatuor ejus *Epistolas decretales*<sup>2)</sup>, vetustissimas ex iis, quae demonstratae sunt genuinae. Restauravit *basilicam S. Pauli* (postea, anno 1823 incendio deletam).

**Anastasius I** (399—401), ab Hieronymo eximus Papa laudatus, „quem diu Roma habere non meruit”<sup>3)</sup>.

**Innocentius I** (401—417) unus fuit e celeberrimis pontificibus. Maximi momenti sunt ejus *Decretales*<sup>4)</sup>: *Ad Vicitricum Rothomagensem* de disciplina ecclesiastica et quaestionibus juris; *ad Exsuperium Tolosanum* de re poenitentiaria et canone S. Scripturae; *ad Decentium Eugubiensem* de ritibus ecclesiasticis; *ad Felicem Nucerianum* de suscipiendis in clerum. Conatus est pacem componere inter Alarik et imperatorem et strenuus fuit defensor S. Chrysostomi.

**Zosimus** (417—418) edidit celeberrimam *Epistolam tractoriam* adversus Pelagianos<sup>5)</sup>.

**Bonifatius I** (418—422) impugnatus est ab antipapa Eulalio (418—419), tuitusque est jura sua in ecclesias Illyriae orientalis<sup>6)</sup>.

**Caelestinus I** (422—432) consecravit *basilicam Sæ Mariae in Trastevere* aedificavitque *Sæ Sabinae*. Liber Pontificalis narrat, eum primum jussisse ut psalmi, alternantibus choris, recitarentur ante S. Missæ Sacrificium. In qua re Duchesne opinatur ponendum esse exordium officii ecclesiastici<sup>7)</sup>.

**Sixtus III** (432—440) reaedificavit celebrem *basilicam Liberianam*, quae usque ad hodiernam aetatem fere integra superest (*Dedicatio S. Mar. ad Nives*).

**Leo I** (440—461), inter praeclarissimos Pontifices numerandus, Attilam adiit ac referre signa fecit (452), quod mirum

<sup>1)</sup> W. Rade, Damasus B. von Rom., Freiburg i/Br. 1882; Cf. Migne, P. L., Tom. XIII.

<sup>2)</sup> Jaffé, ed. 2. N. 255 sq. Denzinger, No. 87—91.

<sup>3)</sup> Hier., Epist. XVI ad Principiam.

<sup>4)</sup> Jaffé, ibd., No. 286, 293, 311, 314. Denzinger, No. 94—101.

<sup>5)</sup> Denzinger No. 101—108. Migne, P. L., Tom. 48, p. 90 sq., ubi de appellatione *tractoria*. Fragmenta, quae restant, ibd., Tom. XX, p. 693 sq.

<sup>6)</sup> Zeitschr. für kath. Theol. 1898. Rauschen, Jahrbücher der christl. Kirche, Freiburg 1897 p. 469.

<sup>7)</sup> Le Liber Pont., I, p. 231.

quantum profuit historiae humanitatis. Quod si prohibere nequivit quominus expilaret urbem Romam Genseric, valuit tamen praevertere incendia, carnificinas caedesque (455). Ejus pro Ecclesiae historia momentum in eo maxime fuit, quod collabentibus rebus publicis in occidente et litigantibus haereticis, in tanta temporum angustia integrum tuitus est Ecclesiae unitatem. Maximi momenti sunt ejus epistolae 143<sup>1)</sup>.

**Hilarus** (461—468) strenuus fuit Papa, continuit disciplinam ecclesiasticam, plura aedificavit *oratoria* et monasteria et valde exornavit Romam.

**Simplicius** (468—483) vidit imperium occidentale eversum (476). Ipse ejusque successores,

**Felix II** (483—492) et

**Gelasius I** (492—496), jura sua persecuti sunt adversus Constantinopolitanos. Hic quoque confecit, in synodo anni 494, catalogum *De libris recipiendis* pluraque gravis momenti edidit decreta contra Pelagianos, Nestorianos et monophysitas<sup>2)</sup>.

**Anastasius II** (496—498) Clodovaeo de conversione gratulatus est<sup>3)</sup>. Eum communicasse cum haereticis, falsum est<sup>4)</sup>.

**Symmachus** (498—514) antipapam Laurentium (498—505) oppugnandum habuit et a Theodoro rege visitatorem admittere debuit, sed synodus palmaris ejus innocentiam agnoscit (501)<sup>5)</sup>.

**Hormisdas** (514—523) et, qui ei successit,

**Joannes I** (523—526) certamen monophysiticum subierunt. Hic Constantinopoli Justinum I coronavit et, in redeundo, Ravennae a Theodoro in carcerem conjectus, interiit.

**Felix III (IV)** (526—530) a Theodoro oblatus et obtrusus, diu repulsus, tandem electus est<sup>6)</sup>. Designavit sibi

**Bonifatium II** (530—522) successorem, donando ei Pallium suum. **Dioscurus** (530) competitor, uno mense post, mortuus

<sup>1)</sup>; Migne, P. L., Tom. 54, p. 551—1213. Cf. Grisar, Geschichte Roms und der Päpste, I, 308—331.

<sup>2)</sup> Denzinger, No. 161—168. Roux, Le pape Gélase I, Paris 1880.

<sup>3)</sup> Jaffé, No. 745.

<sup>4)</sup> Döllinger, Papstfabeln, 2 Aufl., 146 sq. Dante, Inferno, 11, 9. Gratianus, I Dist. 19, 9.

<sup>5)</sup> Savio, Un antipapa e uno scisma al tempo di re Teodorico. Civ. C. 1908, II, p. 68—78.

<sup>6)</sup> Duchesne, Le Liber Pont., I, p. 280. La succession du Pape Félix IV, Rome 1883.

est. Bonifatius quoque successorem sibi (*Vigilium*) designaverat, sed decretum hoc postea revocavit<sup>1)</sup>.

**Joannes II** (533—535) primus, Papa electus, nomen mutavit; videtur id fecisse quia antea nomen habebat *Mercurium*<sup>2)</sup>. Usque ad Joannem XII reliqui hoc exemplum non sunt imitati.

**Agapetus** (535—536) prefectus est Constantinopolim, ut moneret *Justinianum*, ne bellum inferret Ostrogothis, ut consuleretur Romae et Italiae. Frustra tamen apud imperatorem intercessit. Postquam Constantinopoli loco *Anthimi* patriarcham constituerat *Mennam*, orthodoxae fidei deditum, ibidem defunctus est.

**Silverius** (536—537) a *Theodato* Gothorum rege constitutus, sed postea legitime electus. *Theodora* imperatrix, repetitura poenas de *Anthimo* dejecto, usa est *Vigilio* diacono, qui Constantinopoli degebatur. Hunc, proposita sibi papali dignitate et auri pondo 700, promisso se haeresin monophysitarum probaturum, non constat. Permisit quidem a *Belisario* antipapam se constitui loco *Silverii*, qui exsilio relegatus est in *Palmariam* insulam, sed defuncto *Silverio* a presbyterio probatus est.

**Vigilius** (537—555), tunc legitime electus, initio firmus stetit, neque *Anthimum* restituere neque haeresi suffragari voluit. Per vim deductus est Constantinopolim<sup>3)</sup>. Quae ibi acta sint, vide supra, § 34.

**Pelagius I** (556—561), probabiliter *Justiniani* imperatoris gratia electus, arduum gessit pontificatum. Dum antea damnationem trium capitulorum acerrimis scriptis improbarat nec *Vigilio* pepercera, nunc vero probavit Synodus Constantinopolitanam, aegerrime id ferentibus *trium capitulorum* defensoribus. Firmus tamen mansit. Qui successerunt

**Joannes III** (561—574),

**Benedictus I** (575—579) et

**Pelagius II** (579—590) frustra praesidium quaeviserunt ad-

<sup>1)</sup> *Jaffé*, No. 882. *Grisar*, p. 494—497.

<sup>2)</sup> Die Namensveränderung der Päpste von Dr. *A. Knöpfler*, Compte rendu du 4<sup>e</sup> congrès scientif., internat. des cath., Fribourg 1898, 5<sup>e</sup> sect., 158 sq. Cf. § 64, No. 2 in annotatione.

<sup>3)</sup> Cf. *Grisar*, p. 502—507 et *Duchesne*, Revue des quest. hist. 1884 tom. II, 369 sq.

versus Longobardos, qui fere totam Italiam expugnabant, atrocia multa patrantes<sup>1)</sup>.

**Gregorius I**, Magnus (590—604), omnium temporum laude celebrari meretur. Prius praetor, dein monachus, abbas, Romanae Ecclesiae diaconus et Constantinopoli legatus, mirabilem suam ad gubernandum naturam magis magisque in dies excolere potuit. Papa factus, propexit cunctis Ecclesiae necessitatibus. Angustis temporibus Romam cibariorum copia replevit. Vitae monasticae perficiendae studuit. Auxiliante Theode Linda regina conatus est componere pacem cum Longobardis. Optime meruit Gregorius de cantu rituali, de *Patrimonio Petri* ordinando, de fide defendenda et vindicanda disciplina ecclesiastica<sup>2)</sup>.

**Sabinianus** (604—606),

**Bonifatius III** (607),

**Bonifatius IV** (608—615),

**Deusdedit** (615—618) et

**Bonifatius V** (619—625) sapienter et satis cum pace ecclesiam gubernarunt.

**Honorius I** (625—638) negotium habuit cum monothelitis, quorum astutiae par non fuit. Reprehendit Scotos, quod non recte celebrarent Pascha<sup>3)</sup>.

**Severinus** (640), post sedisvacationem unius anni et dimidii, unum tantum alterumve mensem regnavit.

**Joannes IV** (640—642),

**Theodorus I** (642—649),

**Martinus I** (649—653) et

**Eugenius I** (654—657) etiamtum certare debuerunt adversus monothelitas. Imo vero Martinus martyr occubuit<sup>4)</sup>.

**Vitalianus** (657—672) Constantem II, imperatorem

<sup>1)</sup> Duchesne, Ecole française de Rome, Mélanges, Janv.—Juin 1896. Les évêchés d'Italie et l'invasion Lombarde.

<sup>2)</sup> C. Wolfsgruber, Gregor der Grosse, ed. 2a, Ravensberg 1896. F. Dudden, Gregory the great. His place in history and thought, London 1905, Tomi 2. H. Grisar, Storia di Roma e dei papi nel medio evo, Roma 1899, Tom. I, p. 3. (Haec italica operis editio uberioris elucubratam dat Gregorii historiam).

<sup>3)</sup> Jaffé, No. 2022: „Ne paucitatem suam, in extremis terrae finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis, quae per orbem terrarum sint, Christi ecclesias, aestiment; neve contra paschales computos et decreta synodalium totius orbis pontificum aliud pascha celebrent.”

<sup>4)</sup> (H. Grisar S. J.), Una vittima del despotismo Bizantino. Papa San Martino I, Civ. C, 1907, Tom. III.

recepit (663), cui consilium erat, ut Romam iterum faceret imperii caput.

**Adeodatus** (672—676) et

**Donus** (676—678) breve temporis spatium gubernarunt.

**Agatho** (678—681), virtute et merito clarissimus, edidit celeberrimam *Epistolam dogmaticam ad imperatores*: „*Petrus per Agathonem locutus est*“.

**Leo II** (682—683),

**Benedictus II** (684—685),

**Joannes V** (685—686) et

**Conon** (686—687) non diu regnarunt. Hujus electioni factiones negotium facesserunt, sicut etiam turbarunt electionem ejus qui successit:

**Sergii I** (687—701), electis antipapis duobus, **Theodooro** (687) et **Paschali** (687—692). Noluit probare nonnullos *Quinisexti* canones. Propter quod quum in eo esset, ut Constantinopolim abduceretur, tam acriter Romani restiterunt, ut *Zacharias spatharius* in fugam se recipere coactus sit. Memoria autem *Sergius* apud populum Neerlandicum immortali est, eo quod 21 Nov. 695 S. Willibrordum consecravit Frisonum archiepiscopum<sup>1)</sup>.

## § 40. Patriarchae et Metropolitae.

*Phillips*, Kirchenrecht, Tom. II en V, Regensburg 1846, 1857. *Lübeck*, Reichseintheilung und kirchliche Hierarchie des Orients bis zum Ausgang des 4 Jahrh., Kirchengesch. Studien, V, 4, Münster 1901. *Duchesne*, Origines du culte chrétien, Paris 1903, Chap. I. *Hatsch*, Die Grundlegung der Kirchenverfassung Westeuropas im frühen Mittelalter, Deutsch von *Harnack*, Giessen 1888. *Vacandard*, Etudes de critique et d'histoire religieuse, Paris 1905: Les élections épiscopales sous les Mérovingiens.

1<sup>o</sup>. Tres ecclesiae, **Romana**, **Alexandrina** et **Antiochena** prae reliquis principatu gaudebant, eo quod dicebantur a **S. Petro conditae**<sup>2)</sup>. Haud ita diu exspectatum, quum **Constantinopolitana**

<sup>1)</sup> *Duchesne*, Le Liber Pont., I, p. 382. Cf. De Katholieke, Deel 69 (1876), p. 213 sq.; Deel 108 (1895), p. 527 sq.

<sup>2)</sup> Conc. Nic., c. VI. Quomodo adversarii primatus Romani Pontificis abutuntur canone sexto Nicaeno, exinde inferentes, sedem Romanam nullam jurisdictionem habuisse in patriarchas Alexandrinum et Antiochenum, vide *Zaccaria*, Diss. de

eamdem sibi appellationem ob aliam causam postulavit. Constat ecclesias iisdem fere ac civile imperium partitionibus fuisse descriptas. Quare tertio suo canone synodus Constantinopolitana (381), si Roma vetus, ita ratiocinabatur, principatu prae reliquis ecclesiis eminet, certe Roma nova in oriente prima amplificanda est dignitate. Initio, patriarchatus Constantinopolitani nomen fuit jure vacuum. Paulatim tamen increvit jurisdictionio, haud parum suffragante, quae vocabatur σύνοδος ἐνδημοῦσα, quae Constantinopoli solebat esse congregata. Quum vero synodus Chalcedonensis (451), canone 28, episcopo Constantinopolitano demandasset negotium consecrandi metropolitas Ponti, Asiae et Thraciae, sedes Constantinopolitana facta est vero plenoque sensu patriarchalis, cui rei refragari exarchae Caesareensis, Ephesinus et Heracleensis diu non potuerunt<sup>1)</sup>. Leo nem I papam id renuisse, vix aut ne vix quidem Constantinopolitani attenderunt.

Sedi **Hierosolymitanae** datus fuerat canone 7 Nicaeno *principatus honoris*, manente sede subjecta metropolitae Caesareensi in Palaestina et patriarchae Antiocheno. Juvenalis tamen Hierosolymitanus obtinuit a Theodosio II et synodo Chalcedonensi, ut sibi daretur jurisdictionio in tres Palaestinae ecclesiasticas provincias et in Phoeniciam et Arabiam, atque ita haud diu post etiam patriarchae titulus.

Occidentis patriarcha fuit episcopus Romanus, cui tres e quatuor praefecturis divisionis Constantinanae subjectae erant. Postquam Gratianus imperator cesserat Illyricas provincias Theodosio, imperanti in oriente, Constantinopolitani episcopi eas suae jurisdictioni subjicere tentarunt. Cujus rei prohibendae causa videtur Damasus papa constituisse episcopum Thessalonicensem suum *Illyriae Vicarium*. Saeculo V<sup>o</sup> *Vicarius Arelatensis* quoque institutus est pro Gallia meridionali.

Universa igitur Ecclesia fuit in quinque patriarchatus divisa: *Romanum*, *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Constantinopolitanum* et *Hierosolymitanum*, seposita insula Cypro, quae sui juris mansit<sup>2)</sup>.

---

rebus ad hist. atque antiq. Eccl. pertinentibus, Tom. I, n. 6. *Bellarminus*, De Summo Pont. I, cap. 24. Praesertim autem *Hefele*, Nouvelle traduction française, Tom. I, II<sup>e</sup> partie, p. 1125—1138, Paris 1907.

<sup>1)</sup> Conc. Chalc., c. 9, 17. Harum civitatum episcopi vocabantur exarchae. Descripta erat eorum auctoritas dioecesi civili seu civilis provinciae parte.

<sup>2)</sup> *Le Quien*, Oriens Christianus, Tom. II—III.

Nonnumquam etiam alii episcopi nomine patriarchae donati sunt, sed solo titulo honoris. Qui titulus, quum mortuo episcopo deficere soleret, tamen occasione litis de tribus capitolis, duabus ecclesiis adjunctus mansit. Tempore enim schismatis *Aquilejae*, haec ecclesia in duas partes disjuncta est: in *Aquilejae* et *Gradonis*; quae ultima quum se cum Romana conciliasset, altera Aquilejensis aegre id ferens, titulum patriarchatus sibi sumpsit. Quo facto, Gradensis ecclesia, ne postponeretur Aquilejensi, a Romano Pontifice eodem honore donata est. Patriarchatus Aquilejensis Udinam translatus, anno 1751 defecit; Gradensis vero, jam anno 1415 Venetas delatus, nostris quoque temporibus exstat<sup>1)</sup>.

2º. Jam ante Nicaenae Synodi tempora episcoporum civitatis in provinciis praecipuae seu *metropolis*, nonnullis privilegiis<sup>2)</sup> utebatur, approbatis et ordinatis ab eadem synodo. Non raro postea lites obortae sunt de finium descriptione, quum provinciae civiles saepe in partes dividerentur. S. Basilius restitit Anthimo Tyaneo, quum Valens imperator Cappadociam in duas provincias partitus esset. Anno 415 Innocentius I decrevit: „*licet, divisis imperiali judicio provinciis, duae sint metropoles factae, episcopos tamen duos metropolitanos non esse creandos*”<sup>3)</sup>. In oriente jam saeculo IVº vigebat completa ordinatio *metropolitana*; in occidente vero sola Africa suos habebat metropolitas. Vocabantur nomine *Primas*, eaque dignitate ordinatus erat qui prior fuisset consecratus. In Africa vero proconsulari, Carthagine stabilis fuit primas, qui superiore jurisdictione in reliquas provincias utebatur, synodos cogebat, primates confirmabat et visitabat provincias. In Italia, Gallia et Hispania demum, exeunte saeculo IVº et saeculo V, ordinatio metropolitana est instructa. Migrationes populorum diu obstiterant.

<sup>1)</sup> Vide supra § 13.

<sup>2)</sup> Vide supra § 13. Cf. synod. Antioch. (314), c. 9; synod. Taurinens. (401), c. 2. Hefele, II, 85.

<sup>3)</sup> Jaffé, No. 310.

41. **Chorepiscopi et alii magistratus ecclesiastici.**

*Dom Parisot*, Les chorévêques, Revue de l'orient chrétien, Tom. VI (1901), p. 157 sq. *Dr. Fr. Gillmann*, Das Institut der Chorbischöfe im Orient, München 1903. *Jugie*, Les chorévêques en orient. Echos de l'Orient, Tom. VII (1904), p. 263 sq. *Bergère*, Etude sur les chorévêques, Thèse, Paris 1905. *Thomassinus*, Vet. et nov. eccles. discipl. P. I, lib. II, c. 21—23; 97—108. *Hefele*, Conc. Tom. I—II. *Hinschius*, System des kath. Kirchenrechtes, Berlin 1869 sq. § 74 sq. *St. Zorell*, Entwicklung des Parochialsystems bis zum Ende der Karolingerzeit, Heidelberg 1901. *Imbart de la Tour*, Les paroisses rurales du IV<sup>e</sup> au XI<sup>e</sup> siècle, Paris 1900. *Paul Thomas*, Le droit de propriété des laïques sur les églises et le patronage laïque au moyen âge, Paris 1906.

1<sup>o</sup>. Aucto numero fidelium auctus fuerat primis temporibus clericorum numerus in solis ecclesiis episcopalibus. Postea vero, praesertim in amplioribus civitatibus, opus fuit plures aedificare ecclesias (*titulos*). At manebant harum clerici episcopali ecclesiae ascripti, eo quod in sola hac sacra mysteria fiebant. Aliter vero rure. Jam saeculo III inveniuntur parochiae rurales<sup>1)</sup>. Primum tamen, manente veteri usu, his titulis praeficiebantur episcopi, qui nominabantur **chorepiscopi** (episcopi rurales), plena auctoritate episcopali instructi. Mox tamen censebatur ordinatio ecclesiastica hoc modo dispartita nimis ac minuta episcopalis dignitas<sup>2)</sup>. Quapropter synodus Sardicensis (343) vetuit constituere episcopos in minoribus locis, ubi sufficeret sacerdos. Synodus Laodicensis mandavit ne rure et in vicis crearentur episcopi, sed *visitatores* tantum; neve chorepiscopi jam instituti aut presbyteri quidquam grave susciperent nisi consentiente episcopo<sup>3)</sup>. In occidente vero chorepiscopi multo posteriore tempore (saec. VIII) instituti sunt, aliaque fuit ejus dignitatis ratio. Quid fuerint saeculo V in occidente *chorepiscopi* duo: Armentarius Rejensis et Eugraphus in Dalmatia, non patet<sup>4)</sup>. Sensim postea paroeciae rurales et **parochi** valde aucti sunt numero, quum in oriente<sup>5)</sup> tum in occidente (Ecclesiae dioecesanae, parochianae, parochiales).

Haud raro a divitibus, principibus aliisque, ecclesiae rurales

<sup>1)</sup> Vide supra § 13.

<sup>2)</sup> Cf. Synodos Ancyranam (314), can. 13; Antiochenam (341), can. 10. Idem consequitur e Synodis Sardicensi et Laodicensi.

<sup>3)</sup> *Hefele*, I, 773, can. 57.

<sup>4)</sup> J. Keller, Revue d'hist. ecclés. 1906, p. 27 sq.

<sup>5)</sup> Chalcedon, (451) can. VI.

aedificatae sunt. Hos propterea *dominium* ecclesiae postulasse et jus nominandi sacerdotes, qui ibi sacra facerent, mirum non est. Hoc dominium iis generatim remansit usque ad saeculum XI. Synodi quidem sese opposuerunt, id solum tali **patrono** concedentes, ut *offerent* sacerdotes, ab episcopo examinandos et nominandos<sup>1)</sup>. Tamen non multum obtinuerunt. Ab altera parte vetitum clericis, non consentiente episcopo petere beneficium aliquod ecclesiasticum<sup>2)</sup>. Quamquam augeri numero fecit parochias et ecclesias hoc **jus patronatus**, saepe tamen ansa abusuum fuit, praesertim ob patronorum contumaciam<sup>3)</sup>.

2º. Sponte sua effectum, ut parochi ecclesiarum ruralium episcopis suis manserint subjecti. Unde non nisi constitutis auctisque numero ecclesiis ruralibus cogitari poterat de dioecesibus certis finibus describendis. Antea episcopus regebat in civitate et in terra adjacente, non definitis terminis<sup>4)</sup>. Quo magis autem saeculis IV, V, et VI parochiae numero crescebant, eo accuratius fines fuerunt describendi. Semper tamen episcopus nominare perrexit parochos et presbyteros auxiliares. In amplioribus parochiis ruralibus haud raro occurrunt ecclesiae auxiliares et oratoria, subjecta, sicut sacerdotes ibi sacra facientes, loci parocho, cui ob ampliorem ejus jurisdictionem jam saec. VI nomen **archipresbyter** inditum est. Qui tamen ne idem putetur atque **archipresbyter**, qui in ecclesia episcopali primum locum inter presbyteros tenebat, et absente episcopo sacerdotalibus officiis fungebatur. Etiam honoratior isto tempore fuit primus diaconus, qui **archidiaconus** appellabatur. Is episcopo minister adjunctus fuit in exercenda jurisdictione et administratione ecclesiastica, ad quod in ecclesiis praesertim amplioribus opus erat aptitudine, scientia rerumque agendarum usu. Unde erat auctoritate post episcopum secundus, et saepe, Romae praesertim, eligebatur ut huic succederet.

Alia plura officia sunt instituta, praecipue in oriente: **oeconomus** (apud latinos **vicedominus**), bonis ecclesiasticis praefectus; **defensores**, qui ecclesiae episcopalnis causam tuerentur; **notarii**, qui acta libellosque conscriberent, conservanda ab **archivariis**. Tanquam consiliarii domesticique episcoporum, quo-

<sup>1)</sup> Toletan., IX, (655) can. 2.

<sup>2)</sup> Aurelian. (511), can. 7.

<sup>3)</sup> Paul Thomas. Le droit de propriété etc., Paris 1906.

<sup>4)</sup> Antioch. (341), can. 9.

rum famam tueri debebant, occurrunt **syncelli**, quos etiam *cubicularios* vocabant. **Cantores** cantabant psalmos aliaque cantica in sacris et **hermeneutarum** erat, interpretari S. Scripturam et praedicationem. **Mansionarii** erant custodes ecclesiae et coemeteriorum. Rem funerariam agebant **fossores** et aegrotorum curatio demandata erat **parabolani**. Quorum fuit sodalitum quoddam, cuius in nonnullis amplioribus civitatibus multi erant sodales; Alexandriae 500—600, Constantinopoli 950—1100 numerabantur. Post Justinianum esse desierunt. Desierunt etiam paulatim esse **diaconissae**, eo quod adulorum baptizandorum numerus decreverat<sup>1)</sup>.

**Apocrisiarii**, quorum munus fuit esse apud imperatorem vicarii Papae, patriarcharum et exarcharum, jam occurrunt prima media parte saeculi IV. Quod officium, prius temporarium, a Leone I perpetuum factum est. Primus, apud **Marcianum** imperatorem a Leone I creatus, **apocrisiarius** perpetuus fuit Julianus, episcopus Cossensis. Alia econtra officia in desuetudinem abierunt: in ecclesia orientali **exorcistae** et **ostiarii**; **acolythi** ibidem omnino non occurrunt. Non autem in solo oriente<sup>2)</sup>, verum etiam in occidente<sup>3)</sup> **ordines minores** illo tempore nondum certo numero neque ordine definiti fuerunt.

#### § 42. **Educatio, electio et sustentatio cleri.**

*Thomassinus*, Vet. et nov. discipl., P. I, lib. III; P. II, l. 2. *Hefele*, Beiträge zur Kirchengeschichte, I, 122 sq. *Funk*, Abh. u. Unters., I, 23—39, 121—155. *Allard*, Le clergé chrétien au milieu du 4<sup>e</sup> siècle, Rev. des quest. hist., Tom. 58, p. 5—40. Realencycl. der christ. Altert., II, 215—219. *Phillips*, Kirchenrecht, VII, I, 88—99. *F. A. Specht*, Geschichte des Unterrichtswesens in Deutschl., Stuttgart 1885, 1—4. *H. Thurston*, Stipends for Masses, The Month 1908, p. 13 sq.

**10. Plerumque ab ipsis episcopis, non raro tamen, etiam tum, in monasteriis **instituebantur** futuri sacerdotes. In oriente esse durabant aliquamdiu scholae Alexandrina, Antiochena,**

<sup>1)</sup> *Kraus*, Realencycl., I, 358 sq; II, 947 sq.

<sup>2)</sup> Const. Apost., VIII, 26; *Epiph.*, Contra haereses, III, 21. *Migne*, P. G., Tom. 42, p. 826.

<sup>3)</sup> *Gelasius I*, ep. IX, *Migne*, P. L., Tom. 59, p. 49. *Hieron.*, ibd. P. L., Tom. 30, p. 148—162.

Edessena. Nisibena et Rhinocorurana in Palaestina, a quibus tamen non raro haeresibus favebatur. In occidente Augustinus et Eusebius Vercellensis multam operam in instituendo clero contulerunt. Non solum eorum clerici vivebant consociati, sed etiam seminarium quoddam efformabant, in quo majores natu minoribus instructionem praestabant. Etiam in Hispania ejusmodi postmodum occurrunt sodalitia<sup>1)</sup>. Auctis numero parochiis ruralibus, paulatim magis magisque usus invaluit, ut parochi clericos juniores in domos suas reciperent scientia et usu instruendos. Quod ut facerent, synodus Vasconis Vocontiorum (529) parochos vel obligatione obstrictos voluit<sup>2)</sup>. Praestantissimi Ecclesiae patres tractaverunt de status ecclesiastici celsitudine et obligationibus<sup>3)</sup>. Tonsura cleri saecularis ortum habuit saeculo V, a monachis mutuata. Diu solum cum ordinibus minoribus praebebatur, postea separatim quoque; et hominem clericum speciali modo Ecclesiae devoveri significabat.

<sup>2)</sup> **Ordines** majores ministrabantur imponendis manibus et invocando Spiritu Sancto. In oriente et in Africa consecrando episcopo liber Evangeliorum ponebatur in capite<sup>4)</sup>. Neque ibidem neque in Hispania ulla memoratur unctionis. Prima ejus indicia occurrunt in Gallia. Romae fiebat Leone I papa. Ad consecrandos sacerdotes cum episcopo etiam qui aderant sacerdotes manus imponebant. Diaconi quoque imponendis manibus consecrabantur. Reliqui clerici omnes tradendo instrumenta, idque extra presbyterii locum. Episcopi, quantum fieri poterat consecrabantur diebus memoriae Apostolorum sacris vel certe diebus dominicis; presbyteros et diaconos, inde a Gelasii aetate, diebus quatuor temporum.

<sup>3)</sup> De **coelibatu** vigebat in *oriente* usus antiquus. Susceptis majoribus ordinibus, licebat nemini matrimonium inire, sed tantum uti matrimonio antea contracto. Trullana synodus (692)

<sup>1)</sup> Synod. Tolet., (527 vel 531) can. 1, pro tota Hispania.

<sup>2)</sup> Hefele, II, 741.

<sup>3)</sup> Chrysost., De sacerdotio; Greg. Naz., Orat. Apol. de fuga; Ephrem, Sermo de sacerdotio. Ambrosius, De officiis ministrorum; Hieron., Epist. ad Nepotianum etc.

<sup>4)</sup> Chrysost., apud Photium, Bibl. cod. 277. Migne, P. G., Tom. 104 p. 276. De consecratione episcopi vide Vacandard. Vie de S. Ouen, évêque (641—684) de Rouen, Paris 1902, p. 84—89. De validitate consecrationis cf. Saltet, Les réordinations, Etude sur le sacrement de l'ordre, Paris 1907. Pourrat, La théologie sacramentaire, Paris 1907.

praescripsit, ut episcopi omnes continentiam servarent<sup>1)</sup>, quod jam antea communis omnium fuit usus. Immo vero inferioris cleri magna pars sponte sua continenter vivebant. In *occidente* autem severior fuit coelibatus lex. Plures synodi Africaneae demovendos sanxerunt clericos, qui susceptis ordinibus majoribus, matrimonio uti pergerent. Paulo post matrimonio juncti non amplius consecrabantur. Quae quidem constituta quum non ubique observarenter, *Siricius* et *Innocentius I* pontifices urserunt exsequenda<sup>2)</sup>. Eandem legem *Leo I* ad subdiaconos extendit, ut post susceptum ordinem ad continentum se obligarentur. Plures synodi hoc mandatum iterarunt<sup>3)</sup>. *Mulieres subintroductae* (*συνεισαγότοι*), jam a Nicaeno vetitae erant.

**4<sup>o</sup>.** **Nominare** parochos aliosque clericos erat muneris episcopalibus. Episcopus ipse ex antiquo usu eligebatur; hinc inde tamen appareat, aliquos propensos fuisse ut successorem sibi constituerent. Electio fiebat a clero et populo; postea conabantur populi partes minuere. Jam synodus Laodicenses (360) nequicquam exclusit populum ab electione<sup>4)</sup>. *Justinianus* imperator solis *clericis et primatibus civitatis* jus eligendi reliquit<sup>5)</sup>. Attamen tres tantum candidatos iis proponere licitum erat, e quibus unum metropolita eligeret. In occidente jus suum populo integrum mansit, sed saepe principes potestate sua intercesserunt. Immo vero synodus Aurelianensis (549) jus confirmandae electionis regi adjudicavit. In Hispania episcopi, a rege nominati, dein a suo metropolita vel ab archiepiscopo *sanciti* consecrabantur<sup>6)</sup>.

**5<sup>o</sup>.** A quo tempore pax vigebat, **reditus ecclesiae** increverunt. Clerici tamen, quibus sua non erant bona, victimum sibi quaerere solebant. Negotiari, *Constantini* aetate, non solum licebat, sed etiam privilegiis propositis suadebatur<sup>7)</sup>. *Statuta ecclesiae antiqua*, saeculo 5<sup>o</sup> in Gallia et Hispania exarata, etiam doctos clericos ad opus obligabant, ut agricultura aut manu victimum

<sup>1)</sup> Can. 48. Cf. Nov. 6, cap. 1, 3, 4; Nov. 123, c. 1.

<sup>2)</sup> Ep. ad Himericum Tarrag. (386). *Jaffé*, No. 255. Epist. ad Victric. Rotom. (404). *Jaffé*, 286.

<sup>3)</sup> *Leo M.*, ep. 14, c. 4; Conc. Agath., (506) can. 39; Tolet., (527) can. 3. Aurel., (538) can. 2.

<sup>4)</sup> *Hefele*, I, 759.

<sup>5)</sup> Novella 123, cap. 1.

<sup>6)</sup> *Gams*, Kirchengesch. v. Sp., II, p. 215 sq. cf. *Hefele*, III, 317 sq.

<sup>7)</sup> Cod. Theod., XVI, II, 8.

vestitumque sibi quaererent<sup>1)</sup>). *Va l e n t i n i a n u s III* (425—455) econtra a clero mercaturam fieri vetuit. Plerumque tamen oblata, decimae et collationes sponte factae, satis erant ad sustentandos clericos.

Ob jus hereditarium, a *C o n s t a n t i n o* concessum, paulatim etiam bona immobilia sibi Ecclesia comparavit. Ex usu Romano redditus in quatuor partes dividebantur: ut una episcopo, altera clero, tertia pauperibus, quarta ecclesiae tuendae attribueretur<sup>2)</sup>. *Synodus Tarragonensis* tertiam oblatorum omnium partem episcopis tribuit<sup>3)</sup>. *Arelianensis* preecepit, ut etiam *parochiarum* oblatorum tertia pars episcopis daretur, cathedralium vero oblata aequaliter inter episcopum et clerum dispartirentur<sup>4)</sup>.

### § 43. Ecclesiae et imperii ratio.

*Riffel*, Darstellung des Verhältnisses zwischen Kirche und Staat, Mainz 1836. *Niehues*, Gesch. des Verhältnisses zwischen Kaisertum und Papsttum im Mittelalter, Tom. I, ed. 2a, Münster 1877. *Löning*, Gesch. des Deutschen Kirchenrechts, Tom. I. Das Kirchenrecht in Gallien von Konstantin bis Chlodovech, Strassburg 1878. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Tom. II, Paris 1907. *P. Allard*, Le christianisme et l'empire Romain 4<sup>e</sup> éd., Paris 1898.

I<sup>o</sup>. **Privilegia privata** clero concessa fuerunt, quod vacarent militia, magistratu, tutela etc. Jam *C o n s t a n t i n u s* iique, qui proximi ei successerunt, ita rerum externarum sollicitudinem a clericis aversam voluerunt<sup>5)</sup>. Saeculo IV episcopis concessum est *privilegium fori*, quo tum in litibus tum in causis publicis judicio laico subtrahebantur. *J u s t i n i a n u s*, saeculo VI, id extendit ad clericos omnes et monachos; ita tamen ut, qui ab ecclesiasticis judicibus causae capitalis convictus et damnatus esset, brachio saeculari traderetur<sup>6)</sup>. Episcoporum judicium fuit penes synodum provincialem, reliquorum clericorum vero penes episcopum.

<sup>1)</sup> *Mansi*, III, 945 sq. *Hefele*, II, 73, can. 51—53.

<sup>2)</sup> *Gelasius I*, *Jaffé*, No. 636, 740.

<sup>3)</sup> Anno 516; *Hefele*, II, 676.

<sup>4)</sup> Anno 511; *Hefele*, II, 663. Cf. *H. Thurston*, Stipends for Masses, The Month, 1908, p. 13.

<sup>5)</sup> *Euseb.*, H. E., X, 7. Cod. Theod., XIV, II, 1, 2.

<sup>6)</sup> Cod. Just., I, 4, 129.

Quoad **bona** quoque paulatim plura privilegia Ecclesiae obvenerunt. Primum accepit jus haereditarium factaque est immunis lege successionis. Clerici erant immunes tributi, quod extra ordinem imponebatur, non vero tributi ordinarii. Quum autem occurreret in clericorum numerum nonnullos admitti eo consilio, ut oneribus publicis eximerentur, vetuit Constantinus ne *decuriones* et fortunati in clerum admitterentur<sup>1)</sup>. Theodosius I autem tum solum *decuriones* consecrari concessit, quum eorum bona pergerent esse oneribus publicis obnoxia. In Gallia fere eaedem leges vigebant, ut patet e can. 4 et 5 synodi Aurelianensis (511)<sup>2)</sup>.

2º. Prae ceteris privilegiis salutare **jus asyli** de templis paganis ad ecclesias transmissum est. Theodosius II anno 431 jus illud extendit ad aedificia adjacentia. Quod si Ecclesia fortiter hoc suum jus est tuta, modum tamen ei fieri concessit, ne graviora scelera inulta essent. Non licere reum ex aedificiis ecclesiae abduci, impedimentum saepe fuit, quominus praecipiti atque injusto judicio damnaretur, aut privatae vindictae succumberet<sup>3)</sup>.

3º. Ampla praesertim in imperio romano fuit **episcoporum auctoritas**. Litigantibus licebat episcopum disceptatorem sumere, qui litem dirimeret cujusque arbitrium judex exequi debebat. Servus coram episcopo in ecclesia manumissus confessim jure civili potiebatur. Ipsi magistratus sub episcopi custodia fuerunt. Suis temporibus invisebant in vinculis positos, inquirebant, quo modo tractarentur ac saepe penes judices et imperatores pro iis intercedebant. In verba episcopi jurabant provinciarum praefecti, eique digressuri rationem dabant. Episcopi judicium lege sancitum tutumque fuit.

Hac Ecclesiae et imperii copulatione orta est **legislatio ecclesiastico-civilis**. Canones ecclesiastici plerumque pro legibus imperii valebant; e. c. synodi oecumenicae et provinciales, epistolae decretales summorum Pontificum et canonicae Patrum. Prae reliquis usitata collectio fuit Dionysii Exigu*i* († 536). Imperii leges de rebus ecclesiasticis numerosissimae erant: *Codex Theodosianus*, Theodosio II imperante (408—450) a juriscon-

<sup>1)</sup> Codex Theod., XVI, II, 6. *Pierre Fournieret*, Les biens d'Eglise d'après les édits de pacification. Ressources dont l'Eglise disposa pour reconstituer son patrimoine, Paris 1902.

<sup>2)</sup> *Hefele*, II, 662.

<sup>3)</sup> Cod. Theod., IX, 45.

sultis collectus, complectens leges 312—438 latas; *Codex Justinianeus* (534), qui decreta omnia pagana expunxit; numerosae *Novellae*; *Nomocanones*, leges continens tum ecclesiasticas tum civiles, collatas praesertim a Joanne Scholastico († 557), Constantinopolitano episcopo.

4º. Quibus Ecclesiae cum imperio consortii multis emolumentis plura tamen haud levia **nocumenta** opponebantur: imperii infinita potentia; famulatus synodorum, quas suis saepe sumptibus imperatores cogebant; servitus nonnullorum episcoporum, quos imperatores creaverant; edicta in negotio fidei ab imperatoribus lata (*Encyclicon*, *Anti-encyclicon*, *Henoticon*, *Ecthesis*, *Typus*). Quod si Ecclesia impedire non potuit, quominus hac ratione se ingererent imperatores, restitit tamen semper atque iterato cum Apostolis respondit: *obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

#### § 44. Origo et explicatio vitae monasticae.

*Dom. J. M. Besse*, Les moines d'Orient antérieurs au concile de Chalcédoine (451), Paris 1900. *Dr. St. Schiwietz*, Das morgenländische Mönchtum, I Bd., Mainz 1904. *Max Heimbucher*, Die Orden und Congregationen der Kath. Kirche, I Bd., 2<sup>e</sup> Aufl., Paderborn 1907. *Montalembert*, Les moines d'Occident, 7 vol., Paris 1860 sq. Revue Bénédictine, VIII (1901), p. 1 sq. et 49 sq. Cf. 1901 p. 83 sq. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Tom. II, p. 485 sq. *Adhémar d'Alés*, Les pères du désert, Etudes 1906. Juillet. *F. Nau*, Histoire des solitaires Egyptiens. Revue de l'orient chrétien, Tom. XII (1907) et XIII (1908).

1º. Floruit uberrime hac aetate, post S. Paulum Thebænum<sup>1)</sup>, **vita monastica**, praesertim in Thebaide, Nitria et Ægypto inferiore. Multum placuit vita ascetica S. Antonii († 356)<sup>2)</sup>, cui innumeri sese adjunixerunt discipuli in Thebaide cum ipso monachi degentes. Antonii soror eodem modo ad mare rubrum sibi feminas consociavit. Ammonius in Nitria parem societatem instituit, Macarius Senior<sup>3)</sup> in deserto Scetico idem fecit. Hilarion<sup>4)</sup>, Antonii discipulus, transtulit vitam

<sup>1)</sup> *J. de Decker*, Contribution à l'étude des vies de Paul de Thèbes (Recueil de travaux publiés par la faculté de philosophie et lettres), Gand 1906.

<sup>2)</sup> Vita Antonii, *Migne*, P. G., Tom. 26, pag. 835 sq., ubi etiam No. 60 de Ammonio. *A. Ronzon*, Vita di S. Antonio abate, Roma 1906.

<sup>3)</sup> *Socrates*, H. E., IV, 20—24. *J. Staffels*, Die mystische Theologie Makarius des Egypters und die ältesten Ansätze christlicher Mystik, Bonn 1908.

<sup>4)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 23, p. 17 sq.

monasticam in Palaestinam. Qui anachoretae omnes habitabant in cellis separatis, non habebant propriam regulam, asperam agebant poenitentiam jejunando et castigando seipsos, silentium solitudinemque servando, ac pro solis exercitiis religiosis convenientes.

2º. Vitae coenobiticae fundator fuit **S. Pachomius**<sup>1)</sup>. Anno circiter 330, Tabennis in Ægypto, primum e novem coenobiis instituit, deditque coenobitis proprium habitum communemque regulam<sup>2)</sup>. Abbas primi monasterii, unde reliqua oriunda erant, cuique postea fuerunt monachi numero 7000, omnium erat superior. Bis in anno congregiebantur monasteriorum superiores. Manu victum quaerebant monachi. Saeculo quinto ad 50000 numero crevit consortium. Feminarum monasteria, a Pachomio quoque instituta, regebantur a femina superiore, cui nomen *ammas*, atque aequali mox numero incolarum gaudebant<sup>3)</sup>. Etiam ad montes Sinai et Horeb atque in Syria monasteria aedificata sunt. In Cappadocia monasticae vitae institutor fuit **S. Basilius**, qui suis, *Basilianis* vocatis, regulam dedit, ac severam obedientiam praescripsit<sup>4)</sup>. Tum monachos tum coenobitas multi admirabantur atque invisebant. Constantinopoli, Roma, e Gallia et Hispania frequentes profecti eos adibant, sanctae vitae piam admirationem vel singularem notitiam querentes<sup>5)</sup>.

3º. Diu tamen etiamtum manserunt eremita et anachoretae. Mirum quantam mortificationem egerunt **stylitae** seu columnae insidentes. Primus omnium fuit **Simeon stylites**, († 459) qui annos 37 variis columnis insistens vixit, quarum suprema fuit altitudine 16 cubitorum. Sermonibus suis ac praecipue vita sua atque sanctitatis exemplo, multos convertit. Haud pauci

<sup>1)</sup> Vitae in Act. ss. Boll., III Tom. Maji, p. 25 sq.

<sup>2)</sup> Regulam apud *Migne* P. L., Tom. 23, p. 61 sq. Tom. 50, p. 271 sq.

<sup>3)</sup> *Laadeuze*, Le cénobitisme Pachomien pendant le 4<sup>e</sup> siècle, et la première moitié du 5<sup>ième</sup>, Louvain 1898, Revue d'histoire ecclés. Janvier 1906, p. 76—85.

<sup>4)</sup> Regulam apud *Migne*, P. G., Tom. 31, pag. 905 sq. 1051 sq. *Duchesne*, hist. anc. d. l'E., II, p. 377 et 518 sq. *P. Allard*, S. Basile, 4<sup>e</sup> éd., Paris 1903.

<sup>5)</sup> Itineris cujusdam, anno 394 facti, narratione jam Sozomenus et Palladius usi sunt, et Rufinus eam in latinam linguam vertit, inscriptam: Historia monachorum. Palladii *Historiam Lausiacam* nuper ex *historia monachorum* Dom. *Butler* separavit ediditque anglice, inscriptam; *The Lausiac history of Palladius*, Tom. VI, Texts and Studies, Cambridge 1898—1904. Vide etiam opera *Cassiani*; *Apophthegmata patrum*, *Migne*, P. G., Tom. 65, p. 72—440; P. L., Tom. 73.

eum sunt imitati, etiam feminae. Quorum in oriente vel saeculo XV aliqui occurrunt<sup>1)</sup>.

4º. Horum fortissimorum virorum **sanctitati opposita** valde fuit vita monachorum libere vagantium, qui scandalo saepe fuerunt et doctrinis haereticis imbuti. Fuerunt ejusmodi *Sarabaitae* in Ægypto, *Remoboth* in Syria, *Pubulatores* in Mesopotamia. Quos insectati sunt non solum episcopi, verum etiam imperatores: *Valens* et prae ceteris *Theodosius I*, qui vetuit monasteria constitui in civitatibus (309). Qua lege duabus annis post abrogata, increverunt valde numero monasteria in civitatibus, praesertim Constantinopoli<sup>2)</sup>. Usque ad illa tempora monachi omnes erant laici. Tunc autem, crescente paullatim scientiae et instructionis desiderio, consequens fuit, ut frequentiores semper monachi ordinibus sacris initiantur. Synodi pluribus canonibus decreverunt de negotio monachali<sup>4)</sup>. Chalcedonensis vetuit, excommunicationis poena proposita, ne redirent ad vitam saecularem, neve nuberent omnibusque monasteriis **custodes episcopos** apposuit. Episcopo inconsulto nulli monasterio licuit negotiis aut ecclesiasticis aut saecularibus sese ingerere (can. 4). Monasteria mixta jam a synodo Agathensi (506) vetita sunt. Usum, pueros (*oblatos, donatos*) ad vitam stabiliter monasticam agendam obligandi, *Gregorius Magnus* reprobavit exigitque 18 annorum aetatem<sup>3)</sup>. Synodus Trullana (692) constituit (can. 40) ut saltem essent decennes.

5º. In **occidente vita monachalis** magis innotuit per *S. Athanasium*, qui anno 340 *Isidorum* et *Ammonium* monachos secum Romam adduxit. Mox plura numerabantur monasteria, praesertim Romae, ubi postea *Hieronymus* multam in ea re industriam posuit<sup>5)</sup>. *Ambrosius* monas-

<sup>1)</sup> *P. Delehaye S. J.* in *Revue des quest. hist.*, (1895) Tom. 57, p. 52 sq. *Analecta Boll.*, Tom. 27 (1908), p. 391 sq. *H. Lietzmann*, *Das Leben des H. Styliites, Texte und Unters.*, Leipzig 1908.

<sup>2)</sup> *Marin*, *Les moines de Constantinople*, Paris 1898. Cf. *J. Pargoire*, *Les débuts du monachisme à Constant.* *Revue des quest. hist.* Janvier 1899.

<sup>3)</sup> *Hefele*, II passim.

<sup>4)</sup> *Epist. I*, 51.

<sup>5)</sup> Ei se adjunxerunt *Pammachius*, *Petronius*, *Fabiola*, *Demetrias*, *Marcella*, *Paula*, *Eustochium*, *Blaesilla*, *Melaniae duae*. Cf. *Rampolla*, *Santa Melania* giuniore, Roma 1905. Cf. *Adhémar d'Alès*, *Analecta Boll.* Bruxelles 1906. *G. Goyau*, *Sainte Melanie*, Paris 1908. *Allard*, *Revue des quest. hist.* Janvier et Avril 1907.

terium instituit Mediolani, Martinus alterum Pictavii, alterumque apud Turones (Marmoutier = Martini Monasterium<sup>1</sup>). Quo tempore mortuus est (circa 397) vivebant in Gallia monachorum 2000<sup>2</sup>). Cassianus anno 410 Massiliae fundamenta posuit monasterii S<sup>i</sup> Victoris; Honoratus Arelatensis, anno 405 monasterium Lirinense condidit, in ejusdem nominis insula. In Africa S. Augustinus vitam monasticam promovit. In Hispania synodus Caesaraugustana memorat monachos esse anno 380. S. Patricius vitam monasticam e Gallia transtulit in Hiberniam, ubi magno numero monasteria aedificata sunt. Celeberrima fuerunt Bangor in Hibernia, Bangor in Anglia et Hy in Scotia. Monachi Hiberni monasteria condiderunt in Germania: Fridolin, Gallus et praecipue Columbanus<sup>3</sup>), qui etiam in Gallia nonnulla monasteria erexit, e. c. Anegray, Luxeuil, Fontaines, ipsum quoque Bobbio in Italia septentrionali, iisque regulam austera composita († 615).

6º. Monachorum autem in occidente patriarcha fuit S. Benedictus (circiter 490—543), qui admodum juvenis Sublaci solitarius vixit, dein Valeriae praefuit monasterio, affluentibusque ad se discipulos in duodecim alia monasteria dispergit. Inde autem expulsus, plura monasteria Sublaci instituit, dein cum sociis quibusdam meridiem versus profectus, anno 529 ad S. Germani civitatem abbatiam condidit *Montis Cassini* in Latio, quae postea facta est celeberrima. Alia mox in circuitu monasteria sunt erecta, e quibus notissimum *Terracinum*. S. Benedicti soror, Scholastica, seminarum claustris praefuit, quam moniales Benedictinae filiali veneratione honorant, quaeque paulo ante Benedictum defuncta est, anno 543<sup>4</sup>).

Quod si usque ad id tempus in occidente vita monachalis instituta fuerat e regulis vitaeque ratione celeberrimorum orientis monachorum, atque e *Collationibus Cassiani*, magisque etiam e

<sup>1</sup>) Duchesne, Hist. anc. de l'E., II, p. 527.

<sup>2</sup>) Dom Besse, Revue des quest. hist., 1902: premiers monastères de la Gaule méridionale. Idem, Les moines de l'ancienne France, Paris 1906. Idem, le monachisme africain, Paris, s.a.

<sup>3</sup>) E. Martin, S. Colomban, Paris 1905. Malnory, Quid Luxovienses monachi ad regulam monasteriorum contulerint, Paris 1894.

<sup>4</sup>) Cf. Gregor. M., Dial., II, 33. Clausse, Les origines Bénédictines, Paris 1899. L'Huiller, Le patriarche S. Benoit, Paris 1905. Benedictum fuisse sacerdotem satis probat. E. Schmidt, Mittheilungen aus dem Benedict. und Cist.-orden 1901, 2—22; 1904, 42—64.

regulis, quae sibi quisque suo arbitrio praescripserat, S. Benedicti praecellens regula ordinem unitatemque induxit<sup>1)</sup>. Praescripsit monachis paupertatem, obedientiam et castitatem. Ne otio dederentur mandavit, ut operibus, meditationibus et precatione breviarii occuparentur. Expleto unius anni novitiatu solemnia vota nuncupabant, promittebantque *stabilitatem loci* seu perpetuo se in eodem monasterio mansuros. Hac ratione impiedebantur ne vagarent, atque amor religiosi consortii confovebatur.

Celerrime sese expandit S. Benedicti ordo. Placidus regulam in Siciliam invexit. Utrum Maurus in Gallium ierit a multis in dubium vocatur<sup>2)</sup>. Cassiodorus<sup>3)</sup>, in rebus publicis versatissimus, a saeculari vita discessit monasteriumque *Vivarium* condidit in Italia inferiore. Utrum regulam S. Benedicti sit secutus in comperto non est. Certe tamen bibliothecam ibi instituit scientiarumque studium promovit (538). Quod exemplum Benedictini secuti, primum quasi impulsu dederunt ad ingentem illam in monasteriis scientiarum studia aggrediendi voluntatem. Non tardarunt oriri difficultates inter episcopos et monasteria, quae viam straverunt posteriori **exemptioni**. Summi Pontifices monachos suscepserunt<sup>4)</sup>. In Africa soli primati Carthaginensi subjectos voluerunt, multa iis privilegia contulerunt in Italia et Gallia, ubi abbatiae Corbiensis, St. Deodati et St. Martini exemptae declaratae sunt. Qua favente tutela Benedictini magis magisque permanarunt, ut exeunte saeculo VII vix alterius ordinis monasterium extiterit.

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. 66, p. 215 sq. Benedicti regula monachorum. Ed. Woelflin, Leipzig 1895. Regulae Benedicti traditio codicum mss. Cassinensium, Montcassin 1900.

<sup>2)</sup> Die Fabel von St. Maurus Anwesenheit in Gallien. Stud. u. Mittheil. aus dem Bened. u. Cisterc.-orden, XIX, 108—110. Cf. P. C. de la Croix, s. j. Fouilles archéologiques de l'abbaye de St. Maur de Glanfeuil, Paris 1899.

<sup>3)</sup> P. M. Alberdingk Thijm, Iets over M. Aurel. Cassiodorus, Amsterdam 1857.

<sup>4)</sup> Jaffé, ed. II, NN. 1221, 1244, 1277, 1279, 1282, 1390, 1425, 1466, 1496, 1724 etc.

### § 45. Synodi.

*Hefele*, Conciliengeschichte, Bd. I—III. *Blötz* S. J. Der H. Stuhl und die oecum. Synoden, in Zeitschr. für kath. Theol., 1886 p. 67 sq.  
*Dr. Schmid*, Der Katholik, 1893, I, 318—337. *Dr. Höhler*, Der Katholik, 1893, I, 38—49; 112—130; 242—260; 385—397; 511—536. *Funk*, Abhandl. u. Unters., I, Paderborn 1897, p. 39—86: Die Berufung der ökumen. Synoden des Altertums. Cf. Tüb. Quart., 1898, p. 391—396; Die päpstliche Bestätigung der acht ersten allgemeinen Synoden, in Abhandl. u. Unters., I, 87—121. *Kneller*, Zeitschr. für kath. Theol., 1903—1904; 1906—1907. *Econtra Funk*, Abhandl. u. Unters., III Bd., Paderborn 1907, p. 143 sq., cui respondet *Kneller*, Zeitschr. für kath. Theol., 1908, I Heft.

1<sup>o</sup>. A quo tempore Ecclesia pace fruebatur, synodalis actio frequens fuit et multiplex. Cujus quidem rei causae fuerunt non solum iterum atque iterum obortae haereses, verum etiam quod Nicaenum *canone* 5 praeceperat, ut singulis annis, ante jejunii tempus atque in autumno, synodi provinciales cogerentur. In Gallia postea una tantum quotannis synodus coibat. Praeter has **provinciales** habebantur etiam synodi **oecumenicae, patriarchales, nationales, primatales; dioecesanae quoque**, cum parochiae et parochi numero creverant.

2<sup>o</sup>. Jus suffragii solis fuit episcopis, qui soli actis subscribabant. Quod si etiam alii nomina apponebant, sicut in Constantinopolitano (448), modus subscribendi indicabat, non esse factum ab habente jus suffragii. Episcopi enim subscribebant verbis ὅρισας ἵπτεγμαψα, alii ἵπτεγμαψα. Simplices tamen sacerdotes saepe multum gerendis disceptionibus conferebant, v. c. Origenes Bostrae (244), Malchus Antiochiae (269), S. Athanasius Niceae (325). Laicis in synodali controversia verba facere non licebat.

3<sup>o</sup>. Praecipuae erant **synodi oecumenicae**. Hac aetate sex memorantur: *Nicaena*, anno 325, adversus Arianismum; *Constantinopolitana*, anno 381, adversus Macedonium; *Ephesina*, anno 431, adversus Nestorium; *Chalcedonense*, anno 451, adversus monophysitas; *Constantinopolitana altera*, anno 553, adversus tria capitula et *Constantinopolitana tertia*, anno 680, adversus monothelitas. Prima et altera Constantinopolitana primum generales fuerunt synodi pro oriente tantum, postea, accendentibus et probantibus cum Summo Pontifice totius occidentis episcopis, factae sunt oecumenicae. *Sardicensis* (343) vero et *Ephesina*

(449) pro synodis oecumenicis convocatae, non probatae, vim oecumenicam non obtinuerunt. His synodis sex oecumenicis interfuerunt orientales episcopi fere omnes, ex occidente vero exiguo tantum numero; Legati tamen Summi Pontificis omnibus praesiderunt et Papae nomine primi subscriperunt. Extero ordini invigilabat imperator, cuius quidem auctoritas saepe gerendis rebus aliquali modo intercessit, nullo tamen modo ferendis decretis. Solebat tamen acta sigillo imperii obsignare.

4º. **Jus cogendae** synodi generalis soli competit Papae. Qui si refragatur, generalis synodus fit illegitimum *conciliabulum*. Re et facto synodi sex illae oecumenicae convocatae sunt ab imperatoribus, quorum tamen jus convocandi a Pontifice Romano dependere censebatur. Necessaria sane haec imperatorum interventio non fuit, fuit tamen valde utilis. Cursibus enim publicis episcopi uti poterant, et durante synodo publice alebantur. Vix aut ne vix quidem poterat cogi **synodus** deficiente hoc imperatorum auxilio. Imperatores autem libenter auxilium ferebant, scientes, per synodos saepe pacem tranquillitatemque imperii instaurari. Unde caesaropapistico sermone suum sibi jus esse dicebant convocandi synodos, cui quidem dicendi modo neque concilia neque Papae refragati sunt eo quod carere ista ope vix poterant. Istud autem jus *existimatum* esse privilegium a Summis Pontificibus concessum, nec Byzantii neque alibi semper ob oculos versabatur.

5º. Ut universali valore vigeant decreta synodalia, necesse omnino est, ut a **Papa probentur**. Quae quidem persuasio, adeo invaserat omnium animos, ut ipsi haeretici conarentur obtinere, ut sui *canones* a Papa probarentur. Ideo patres Chalcedonenses petierunt, ut suus *canon* 28 confirmaretur, dicentes: „πᾶσαν ἡμῖν τῶν πεπραγμένων τὴν δύναμιν ἐγνωρίσαμεν εἰς σύστασιν ἡμετέρων καὶ τῶν παρὸν ἡμῶν πεπραγμένων βεβαίωσιν τε καὶ συγκατάθεσιν”<sup>1)</sup>. I. e. „Omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad comprobationem nostrae sinceratis, et ad eorum quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam.” Hinc etiam G e l a s i u s I papa scribere valuit: „Totum in sedis apostolicae positum est potestate. Itaque quod firmavit in synodo (sc. Chalced.) sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod praeter ordinem congregatio synodica putaverit usurpandum”<sup>2)</sup>. Non

<sup>1)</sup> Mansi, VI, p. 156.

<sup>2)</sup> Funk, Abhandl. u. Unters., I, 109–110.

numquam synodi adsciverunt decreta a Papae legatis allata<sup>1)</sup>. Quo facto necesse non erat, ut ulterius confirmarentur. Summos Pontifices postea Nicaenum scriptis probavisse, in comperto non est Quae superest confirmatio non est genuina. Ab iis autem primum hoc concilium oecumenicum confirmatum fuisse, tota probat ecclesiastica antiquitas.

6<sup>o</sup>. Synodorum *canones* sollicite conservabantur. Dubitari tamen jure potest num in singulis ecclesiis episcopalibus affuerint. Synodus Chalcedonensis p[re] manibus habuit collectionem aliquam canonum. Collectiones postea factae sunt plures e. c. *Joannis Scholastici*, *Dionysii Exigui* et collectio *Hispanica*.

#### § 46. Patrimonia S. Petri.

*Grisar*, Ein Rundgang durch die Patrimonien des H. Stuhles um das Jahr 600, in Zeitschr. für kath. Theologie, 1877, p. 321 sq., p. 526 sq.  
*Paul Fabre*, Les colons de l'église romaine au VI siècle, in Revue d'hist. et de litt. relig., 1896 p. 74. *Idem*, De patrimonii Romanae Ecclesiae usque ad aetatem Carolinorum, Lille 1892. *Doisé*, Les patrimoines de l'église romaine aux temps de S. Grégoire, Etudes, 3 Juin 1904. *E. Agriolas*, La Sardegna al secolo VI ed il pontificato di Gregorio Magno, Roma 1904. *N. Tamasia*, L'Italia verso la fine del sesto secolo. Profili Gregoriani, Venezia 19<sup>06</sup>.

1<sup>o</sup>. Vix dici potest quantum attulerit Ecclesiae administrandae emolumentum quantumque contulerit ad auctoritatem S. Pontificis **patrimonium S. Petri**, seu bona S. Sedis. Ante finitas persecutiones non potuit esse ampla Ecclesiae Romanae possessio. At primus jam imperator christianus vere regia usus est liberalitate<sup>2)</sup>. Quocum quasi aemulabatur sensim conversa nobilitas. S. Gregorii Magni aetate usque adeo illa bona acreverant, ut Papa dici potuerit totius orbis terrarum agrorum possessor maximus. Quae bona erant praedia, arva, prata, silvae et metalla. Quin etiam una alterave urbs occurrit in tabellis bonorum ecclesiasticorum.

2<sup>o</sup>. In recensionibus praedia seu *fundi* referuntur primi. Qui horum agros colebant rustici, fundo adhaerebant, libertate ipsi fruentes. Plures fundi (5 ad 35 usque simul, *massa* appellabatur, quae in perpetuum locabatur *conductoribus massarum*. Plura haec

<sup>1)</sup> Sicut Ephesi, Chalcedone et Constantinopoli anno 680.

<sup>2)</sup> Index tamen Libri Pontificalis multo senioris aetatis est quam S. Sylvestri. Cf. *Duchesne*, p. CXLV et 70—201.

bona memoria retinent nomina nobilium familiarum, quarum prius fuerunt, quaeque videntur ea dono dedisse Ecclesiae. Memorantur *fundus Cornelii, fundus Pompilianus, Constantinianus, Cajanus; massa Papirianensis, Furiana, Varroniana, Fontejana, Pontiana* etc. Aliquot *massae* in unum conjunctae appellabatur *patrimonium*, quod in Italia haud raro agrorum amplitudini veteris unius provinciae Romanae aequiparari poterat. Fuerunt *patrimonia Calabritanum, Apulum, Samniticum, Campaniae, Tuscum, Neapolitanum, Panormitanum, Syracusanum* etc. Opulentissima fuerunt, quae in Sicilia amplitudinem fere tantam habebant, quanta erat regio viri principis imperio subjecta. *Gregorius Magnus* ibi recenset fundos conductos fere 400, quorum annui reditus ad florenos 200000 numerabantur. Insuper bis quotannis naves frumentum asportabant Romam. Quae quidem vectigalia frumenti, anno 591, pretio florenorum 27 millium aucta sunt. In Italia inferiore urbs Callipolis S. Sedis fuit. Nonnulli putant Hydruntum quoque, Terracinam, Voltturnum et Neapolim S. Sedis fuisse, quod tamen verisimile non est. Certo Summi Pontificis fuit insula *Capreae*; patrimonia: *Picenum, Ravennatis, Histrianum, possessiones in Liguria et Alpibus Cotticis*; patrimonium unum in *Gallia*; agri 600 prope *Arelatum et Massiliam*; dein in *Africa, Corsica, Sardinia, in Dalmatia et Illyria*. Amplitudinem universam reputant 85 in quadrum milliaria<sup>1)</sup>.

3º. Haec bona administrabat Papa per *rectores*, Romanae Ecclesiae clericos, quibus opitulabantur *actores* et *defensores*. Incolebant conductores liberi, *coloni* et *servi*. Quae *familia Romanae Ecclesiae* quo pacto gubernaretur, docet S. *Gregorius*: „*Nos saccum Ecclesiae, inquit, ex lucris turpibus nolumus inquinari*”<sup>2)</sup>). Non magnorum fructuum thesauros idem Papa quaerebat, sed beneficentiae meritum. Quod etiam *rectoribus* inculcabat, dicens: „*Magnum mihi lucrum reportas, si mercedem potius quam divitias congregas*”<sup>3)</sup>; monetque *rectorem* ne ab hac regula recedat: „*Vide, inquit, omnia absque imminutione custodias, quia de his quae tibi pro servanda justitia scribo, ego absolvor, et tu si negligis, obligaris. Terribilem judicem considera venientem; de*

<sup>1)</sup> Vel 4700 in quadrum kilometra. Indicem vide apud S. *Gregorium, Migne*, P. L., Tom. 45, p. 110.

<sup>2)</sup> Registr., I, 44 cf. G. *Goyau*, Vue générale de l'histoire de la papauté p. 31 sq. in opere: Le Vatican, les papes et la civilisation, Paris 1895.

<sup>3)</sup> Registr., I. 36.

*adventu illius nunc tua conscientia contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo coelum et terra tremuerit. Audisti quod volo, vide quid agas*<sup>1)</sup>. Minimum igitur fuit colonis imperatum vectigal: exigua pars messis; nonnulli solum recognitionis impendium reddebant. E quibus redditibus Romana Ecclesia ac praesertim pauperes egentesque alebantur: „*Divina paecepta, inquit, nos admonent diligere proximos sicut nosmetipsos; et cum hac eos praecipimus charitate diligere, quanto magis debemus his in subsidiis necessitatum carnalium subvenire*<sup>2)</sup>). Quare S. Gregorius iterato patrimonia „*bona pauperum*” nuncupat. Atque ipse Gregorovius: „Ecclesia, inquit, esse ceperat ingens asylum humani generis<sup>3)</sup>.

4º. *Donatio Constantini* per collectionem Pseudo-Isidori et Gratiani innotuit ac certo spuria est. Hoc decreto dicitur Constantinus dono dedisse „*tam palatum nostrum, ut prelatum est, quamque rome urbis et omnes italiae seu (et) occidentalium regionum provincias, loca et civitates*<sup>4)</sup>). Haec universe credita sunt usque ad saeculum XV, quo tempore Nicolaus Cusanus et Lorenzo Valla esse genuina negarunt. Videtur *donatio* non Romae, sed in Gallia esse confecta, idque eo fine ut imperatoriam dignitatem, quam a Papa acceperat Carolus Magnus, aduersus Graecos tuerentur. Veterissimum hodie notum exemplar ms. saeculo IX in Gallia scriptum est. Romae prima *donationis* mentio facta est Leone IX (1049—54) regnante. Mirum certo valde videretur, virum Romanum saeculi IX Primatum Papae appellasse donum gratiamque Constantini, ut fit in *donatione*.

<sup>1)</sup> Ibid. 44.

<sup>2)</sup> Registr., I, 46.

<sup>3)</sup> Die Kirche hatte angefangen ein grosses Asyl der Menschheit zu sein.

<sup>4)</sup> Textum vide Hist. Jahrbuch der Görresgesellsch., III, 15—29. Cf. Grauert, Die Konstant. Schenkung, Hist. Jahrb., Tom. III—V. Brunner contra defendit originem Romanam. Die Constantinische Erkennungsurkunde, Berlin 1888. Cf. Döllinger, Pabstfabeln, 2e Aufl., p. 72—125.

## CAPUT QUARTUM.

### SACRAMENTA, CULTUS ET VITA ECCLESIASTICA.

§ 47 · § 53.

#### § 47. *Baptismus et confirmatio.*

*Corblet*, Histoire dogmatique, liturg. et archéol. du sacrement du baptême, 2 vol., Paris 1883. *Ermoni*, L'histoire du baptême depuis l'édit de Milan (313) jusqu'au Concile in Trullo, in Revue des quest. hist., 1893, Tom. 64, p. 313—324. *Funk*, Abhandl. u. Unters., I, 209 sq. *Duchesne*, Origines du culte chrétien. Etude sur la liturgie latine avant Charlemagne, 3<sup>e</sup> éd., Paris 1903. *Dom. P. de Puniet*, Article baptême in Diction. d'archéol. chrét. et de liturgie, Paris 1907.

I<sup>o</sup>. Liquet quae pridem erant in **baptizandi ritu** praecipua mansisse eadem. *Baptismus* qui saeculo etiam quarto saepe ad aetatem virilem differebatur, jam saeculo quinto vulgo infantibus administrari solebat. Quod quidem tribui tum controversiae cum Pelagianis, tum Patrum frequentibus admonitionibus debet<sup>1)</sup>. Distinctius in dies *injungebatur*, qua ratione catechumeni sese ad suscipiendum baptismum disponerent. Adulti, praevio examine probe perfecto, quadragesimo die ante baptismum nomina sua, *competentes electi*, deferebant. Exorcismi, jejunia, precationes, peccatorum confessio et scrutinia praevie fiebant. Reliquae quoque caerimoniae, quae hodie partim in conferendo baptimate fiunt, e. c. *insufflatio*, crucis signum in ore et pectore, sal benedictum, tangere aures dicendo: *ephpheta*, unctio, traditio nummi, veli et vestis albae, ea omnia, illa aetate, praeviis diebus in usu erant. Fiebat quoque *traditio ac posterius redditio symboli*<sup>2)</sup>. *Baptismus* conferri solebat ab episcopo<sup>3)</sup> triplici immersione, idque sab-

<sup>1)</sup> *Basilius*, Homil. cohort. ad s. bapt., *Migne*, P. G., Tom. 31, p. 424. *S. Gregor. Nyss.*, De bapt., *Migne*, P. G., Tom. 46 p. 425 sq. aliisque.

<sup>2)</sup> Optimum hodie de symb. opus est *A. E. Burn*, The Apostels' creed, London 1906. Cf. etiam *Vacandard*, Revue des quest. hist., 1908, p. 193 sq. et supra p. 152 sq.

<sup>3)</sup> In parochiis ruralibus a sacerdote.

bato ante Pascha aut Pentecosten, in oriente etiam festo Epiphiae die, vulgo in sacellis baptismi (*baptisteria*). Baptizati ulterius instruebantur usque ad *Dominicam in albis*, quo die vestes candidae deponebantur. Hanc Graeci vocabant *catechesin mystagogicam*, eo quod tum praecipue explicabantur quae ad *disciplinam arcani* pertinebant mysteria. Cujus quidem rei praeclarum praebent documentum *catecheses* S. Cyrilli Hierosolymitani, quarum ultimae quinque mystagogicae sunt.

In Ecclesia occidentali valebat, arbitrantibus nonnullis, *baptismus desiderii*, alii soli *sanguinis baptismo* virtutem ac vim baptismi tribuebant. De baptimate **ab haereticis** collato vulgo vigebat judicium Nicaenum<sup>1)</sup>, saeculo quinto, ulteriore canone definitum: a nonnullis haereticis collatum baptismus valere, ab aliis collatum non valere censebatur<sup>2)</sup>. Quae regula canone 95 *Quinisexti* (692) iterum sancita fuit.

**2º. Confirmatio** administrabatur statim post baptismum. Raro in occidente, in oriente vulgo confirmabat sacerdos<sup>3)</sup>. At in utraque regione *chrisma* ab episcopo consecrabatur, imo vero, pauco posteriore tempore, in oriente a solo patriarcha. In occidente jam tum id fiebat in Coena Domini. Semel tantum licebat suscipere confirmationem. Quod si jam ab haereticis esset collata, pro varietate haeresum varium fuit, sicut de baptismismo, judicium.

#### § 48. Missa, Communio, Breviarium.

*Duchesne*, Origines du culte chrétien, 2<sup>e</sup> éd., Paris 1903. *Probst*. Die Liturgie des IV Jahrh. und deren Reform, Münster 1893; Die abendländische Messe vom V bis VIII Jahrh., Münster 1896. Cf. der Katholik, Jg. 47, 49, 51, 52, 55. *Binterim*, Denkwürdigkeiten, IV, 2, 3. *Funk*, Abhandl. u. Unters., I, 293—301. *Grisar* in Zeitschr. für kath. Theol. Jg. 1885—1886. *Bäumer*, Geschichte des Breviers, Freiburg 1905; praecipue trad. D. Biron, Paris 1905. *Hefele*, Beiträge zur Kirchengesch. etc., Tübingen 1864, I, 150—244. *Braun S. J.*, Die liturgische Gewandung im Occident und Orient nach Ursprung und Entwicklung, Verwendung und Symbolik, Freiburg 1907. *A. Baumstark*, Liturgia Romana e liturgia

<sup>1)</sup> Can. 19.

<sup>2)</sup> Canon 7 Synodi Constantin. (381) saeculo V confectus est. *Hefele* II, 26—28.

<sup>3)</sup> Gregorius M. potestatem confirmandi fecit sacerdotibus Sardiniae. Epist., lib. IV, 27 ad Januar. episc. Calarit., *Migne*, P. L., Tom. 77, p. 696. Cf *F. J. Dölger*, Das Sacrament der Firmung, Wien 1906.

dell Esarchato, Roma 1904. Cf. *Funk*, Abh. u. Unters., III, p. 85—143. Revue Bénédictine, année 1901—1902: Eulogies. *Dom. Cabrol*, Introduction aux études liturgiques, Paris 1904. *Max Prinz v. Saksen*, Praelectiones de liturgiis orientalibus. Tom. I, Friburg- Brisg. 1904.

1º. Quod fuerat discrimin inter *Missam catechumenorum* et *Missam fidelium* paulatim deminutum videtur et saeculo VII defecisse. Consecutum id est ex universalis infantes baptizandi usu et e mutata poenitentiae publicae lege. Jam multo antea *Epistolae* et *Evangelii* lectiones in **Missa** certo ordine sancitae fuerant. Primis temporibus hae ab episcopis singulis vicibus pro arbitrio deligebantur; paulatim vero usus invaluit, eas certa dierum Dominicarum festorumque lege circumscriptas, quotannis repetendi<sup>1)</sup>. Jam celebriorum patrum aetas (saeculo IV—V) vestigia praebet, fuisse in usu separata *Lectionaria* et *Evangelia*, quae *Gelasio I* et *Gregorio M.*, Summis Pontificibus, ulterius sunt perfecta. Post *collectam* pro populo praesente, qua *fidelium vota quasi colligebantur*, episcopus concionem (homiliam) habebat, a nonnullis in oriente et occidente patribus eximie excultam. Qua habita, catechumeni exhibant, poenitentes consistebant in *limine ecclesiae*. Saeculo quinto et sexto in usu esse coepit *symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum*, primum Antiochiae, dein Constantinopoli, in Hispania et Gallia, non autem Romae. Solis diebus dominicis afferebantur *oblata*, exordio praesertim panis et vini pro sacrificio, postea etiam aliorum donorum<sup>2)</sup>. Verba consecrationis in oriente dicebantur clara voce, in occidente vero, saltem a saeculo sexto, secreto. *Agnus Dei* Romae, a *Sergii I* aetate, a clero et populo cantabatur; videtur tamen jam antea tacita precatione in usu fuisse.

2º. Verbum *Missa*<sup>3)</sup> initio idem valebat ac *Missio, dimissio*. Prior missio fiebat post Evangelium et homiliam, altera post Sacrum: *Missa catechumenorum* et *Missa fidelium*. Postquam prior illa fieri desierat, ob supra relatas causas, sola altera duravit: *Ite Missa est*. Ex quo verbo ipsum Sacrificium vel

<sup>1)</sup> *St. Beissel*, Geschichte der Evangelienbücher in der ersten Hälfte des Mittelalters, Freiburg 1906. *Idem*, Entstehung der Perikopen des Röm. Messbuches, Freiburg 1907. Ergänz. Stimm. aus M. L., 92—93, 96.

<sup>2)</sup> *H. Thurston*, Stipends for Masses, The Month, 1908, p. 13.

<sup>3)</sup> *Hefele*, Beiträge etc. II. p. 273—276. Tüb. Quart., 1889, p. 531—557. *Dr. Hugo Koch*, „Missa“ beim h. Ambrosius und der Ursprung des Wortes, Der Katholik, 1908, Heft II.

liturgia appellata est. Cum hac significatione nomen *Missae* primum invenitur in *Peregrinatione Silviae*<sup>1)</sup> (Eucheriae) et apud S. Ambrosium<sup>2)</sup>. In nonnullis Missis loco *Ite Missa est* dicebatur *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace*, eo quod aliae caerimoniae precationesve restabant peragendae.

3º. Quamquam re et essentia **liturgia** ubique manebat eadem, mox tamen adjiciebantur caerimoniae precationesque, pro variis locis multum variae. In oriente praecipuae ecclesiae suis singulae liturgiis utebantur: Hierosolymitana S. Jacobo tribuebatur, Antiochena ab aliis S. Clementi, ab aliis S. Jacobo. Quam ob rem etiam Hierosolymis fuit in usu. Alexandrinae liturgiae S. Marcus putabatur auctor. Constantinopoli duplarem usurpabant liturgiam, alteram S. Chrysostomi, alteram S. Basili, quae tamen in raro usu fuit. Venerabilis est vetusta liturgia e *Constitutionibus apostolicis* sumpta. Suam quique habebant liturgiam, Nestoriani sermone Chaldaeo, Jacobitae sermone Syriaco, Armeni, Kopti et Aethiopii sua quique lingua.

In occidente nonnulli utebantur *liturgia Gallica*, quae, *Mediolanensi* seu *Ambrosianae*<sup>3)</sup> multum similis, ex hac quoque videtur deducta; alii, praesertim post synodum Toletanam (663) liturgiam usurpabant *Gothico-Hispanicam*, quae dominationis Arabicae tempore *Mozarabica* vocabatur. Praecipua tamen liturgia, quae in occidente reliquas demum omnes submovit, *Romana* est. Conservata est in triplici *Sacramentario*: in *Leoniano*<sup>4)</sup>, quod ortum saeculo quinto, privatam tantum praebet elucubrationem; *Gelasiano*<sup>5)</sup>, quod videtur congruere cum liturgiae ratione anno circiter 700; *Gregoriano*<sup>6)</sup>, quod concordare videtur cum Hadriani I (772—795) aetate. Multa tamen in his omnibus valde sunt incerta. Quae quidem praecipua causa est, cur vix hodie aut ne vix quidem accurate circumscribi possit quo tempore et modo variae mutationes fuerint inductae, quibus Romana ab aliis omnibus discrepat liturgia<sup>7)</sup>. Reliquae omnes, praeter

<sup>1)</sup> Ed. Gamurini, p. 47, 50, 51, 56, 59, 60.

<sup>2)</sup> Epist., XX, 4.

<sup>3)</sup> Cf. Lejay, Art Ambrosien (rit.) in Dict. d'Archéol. chrét.

<sup>4)</sup> Migne, P. L., Tom. 55, Multo tamen melior editio Feltoe, New-York 1896.

<sup>5)</sup> Migne. P. L., Tom. 74. H. A. Wilson, The Gelasian Sacramentary, Liber Sacram. Rom. Eccl., edited with introduction, etc., Oxford 1894.

<sup>6)</sup> Migne, P. L., Tom. 78.

<sup>7)</sup> Cf. praesertim. Probst, Liturgie etc. Thalhofer, Handbuch der kath. Liturgie, Freiburg in Br. 1890. Drews, zur Entstehungsgeschichte des Kanons in

S. Marci<sup>1)</sup>, liturgiae utrumque *Memento* aut ante Praefationem aut post Consecrationem ponunt, Romana vero *Memento vivorum* separat a *Memento mortuorum*. *Osculum pacis* Romae dabatur ante Communionem, in aliis omnibus liturgiis ante vel post Offertorium. Praecipua certe mutatio fuit in omissione *Epiclesis*, quae videtur adhuc saeculo V in usu fuisse. Ea fuit precatio, qua statim post Consecrationem invocabatur Logos, aut Deus Pater, aut a saeculo IV Spiritus S., ut vellet mutare panem et vinum in corpus et sanguinem Domini. Sic saltem verba sonant. Justinus tamen, Irenaeus, Origenes, Firmilianus, Cl. Alexandrinus, Ambrosius et Chrysostomus, qui cum universa Ecclesia orientali *Epiclesin* usurpabant, docent *Oratione magna*, i. e. narratione institutionis et *Epiclesi* mutationem perfici. Alii dicunt, quod per *Epiclesin* tantum supplcabatur, ut virtutem sacramenti fidelibus Deus communicaret. Tamen etiam hodie Graeci et Russi plerumque putant *Epiclesi* inesse *vim consecrandi*<sup>2)</sup>.

4<sup>o</sup>. **Cantum** liturgicum<sup>3)</sup> e primitiis temporum oriundum esse S. Paulus, Plinius et Eusebius testantur. Anno 323 Silvester papa Romae constituit *scholam cantorum*. Mediolani Ambrosius peculiarem cantandi methodum induxit<sup>4)</sup>. Praesertim tamen Romae Gregorius M. (590—604) operam suam cantui contulit, quem simul cum schola cantorum penitus permutavit. Eum *cantum choralem*, seu *cantum firmum*, paulatim

der Röm. Messe, Tübingen 1902; Baumstark, *Liturgia Romana* etc. 1904; Funk, Über den Kanon der Röm. Messe, Abhandl. u. Unters., III, 1907, qui omnes in rebus gravis momenti inter se discrepant. Baumstark, demonstrare conatur primitus precatioes *Te igitur*, *Communicantes* et utrumque *Memento* post consecrationem recitas fuisse, *Hanc igitur* et *Quam oblationem* defuisse, multaque ad *Supra quae*, *Supplices* et *Nobis quoque* esse addita. Quas quidem mutationes putat esse inductas aetate Leonis I et Gregorii, additamente desumpta esse e vetere liturgia Ravennatensi.

<sup>1)</sup> Dom. Cabrol, art. *Anaphores* in Dict d'Archéol. chrét.

<sup>2)</sup> Testamentum Domini nostri, ed. Rahmani, Moguntiae 1899. *Rauschen*, Eucharistie und Bussakrament, p. 86 sq. Ita d'Ales Etudes, 1909, Février, p. 593—594. Cf. Revue Aug., 1909, Mars—Avril. Revue Bénéd. 1909, p. 34—51.

<sup>3)</sup> Möhler, Die griechische, griechisch-römische und altchristlich-lateinische Musik, Rom. 1898. R. Wagner, Origine et développement du chant liturgique jusqu'à la fin du moyen-âge, trad. Bour, Tournai 1904. A. Gastoué, Les origines du chant romain, Paris 1907.

<sup>4)</sup> G. Drees, A. Ambrosius, der Vater des Kirchengesanges, Freiburg im Br. 1893.

reliquae quoque occidentis ecclesiae suscepérunt. Etsi paucæ synodi, saeculo IV et V habitæ, solos psalmos et biblica cantica probabant, paulatim tamen etiam hymni in morem venerunt. Innotuerunt autem praecipui in occidente hymnorū poetæ: Ambrosius, Hilarius, Sedulius, Prudentius et Paulinus Nolanus. Probabiliter Gregorius M. quoque hymnorū poeta fuit<sup>1)</sup>. In oriente fuerunt Apollinaris, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Ephrem et Synesius. Inde a saeculo IV psalmi aliique S. Missae cantus a schola cantorum alternis choris canebantur, litaniae saepe a pueris.

**Libri liturgici** erant *Cantatorium*, quo utebatur praecendor; *Antiphonarium*, quod continebat cantus pro schola cantorum; *Sacramentarium*, complectens caeremonias precationesque pro Missa et administrandis sacramentis et benedictiones, quodque postea dispartitum fuit in *Missale* et *Rituale*; *Lectionarium* continebat e S. Scriptura lectiones, *Evangeliarium* e solis Evangelii, *Comes* autem indicabat singularum lectionum initium et finem. *Diptycha* appellabatur duplicata tabula, in qua nomina Papæ, episcoporum, principum aliorumque inscribebantur, quo in Missa facilius memorarentur. Quorum librorum omnium, praesertim *Evangeliariorum*, saepe erant pretiosa valde involucra.

5º. **Vestitus liturgicus**<sup>2)</sup>, non de vestimentis sacerdotum Judæorum et levitarum deductus, sed initio aliis non fuit nisi festivus vestitus civilis. Inde vero a saeculo IV festivo isto vestitu in quotidianaæ vitae commercio vulgo non amplius utebantur homines. Et sicut antea saepe pro functionibus sacris vestitum mutabant, ita ab hoc inde tempore super vestes communes induere sacra vestimenta coeperunt. Prima erat *tunica*, vestis oblonga, linea, albida, manicata vel sine manicis, cui nomen *alba* vel *στιχάριον*. Dein *Paenula*, quod erat amiculum non manicatum, colore opaco, quo per caput induebantur, quodque descendebat ad genua. Vocabatur *casula*, *planeta*, *ἀμφίβαλον*, posteaque soli episcopi et sacerdotes ea vestiebantur. Diebus festis Papa ejusque diaconi utebantur infra casulam, altera *tunica*, laxis manicis, cui nomen *dalmatica*. *Orarium*, quae postea *stola* vocata est, et *pallium linostimum*, seu *manipulus*, qui primitus erat sudarium, videntur Romæ in usum venisse, quamquam nonnulli arbitrantur

<sup>1)</sup> Dreves, Tüb, Quart., 1907, p. 548; Blume s. j. Stim. a. Maria-L., 1908, p. 269.

<sup>2)</sup> Vide praesertim Braun S. J., Die Liturgische Gewandung, Freiburg i/Br. 1907.

*stolam*, pannum promissum, jam anno 481, Laodiceae memoratam esse. *Pallium*, in multis locis prius episcopalis dignitatis signum, postea in occidente solis metropolitis sepositum mansit. Vestimentorum usus lento progressu receptus est. Ex quo tempore pro veste talari tunica breviore, et pro paenula pallio uti inchoabant, tum praesertim magnum stabileque discrimen intervenire cepit inter communem vestitum et liturgicum. Cujus tamen rei causa non fuit Germanorum invasio.

6º. Intra sacrificium Missae **S. Communio** suscipiebatur, adhuc dupli specie. Panis speciem accipiebant ab episcopo in dextra, speciem vini porrigebat diaconus in calice, cui nomen *scyphus*. *calix ministerialis*, *ansatus*. Mulieres vulgo tegebant dextram panno lineo. Romae jam saeculo VI speciem panis ore suscipiebant<sup>1)</sup>. Verbis: *Corpus Christi*, *Sanguis Christi*, vel *Corpus Domini custodiat animam tuam*, fideles respondebant: *Amen*.

Extra Sacrificium Missae, sicut hodie, una specie communicabant. Inde a saeculo sexto resedit S. Communionis ardor, ut nonnulli tantum semel quotannis eam suscipere voluerint. Quare Synodus Agathensis (506) decrevit, canone 18, christianum non esse habendum, qui non communicaret diebus Nativitatis, Paschatis et Pentecostes. Eandem poenam posuerat S. Patricius in Hibernia iis, qui die Paschatis communicare omitterent<sup>2)</sup>.

Peracta Missa, iis qui non communicarant, dabatur benedictus panis oblationis. Quae appellabatur *Eulogia* vel *αὐτιδωπον* et *Sanctae Communionis vicarium*. Qui usus in Ecclesia Graeca videtur jam fuisse saeculo tertio, in occidente vero ante saeculum VI certo testimonio non comprobatur<sup>3)</sup>. Hodie quoque consuetudo communis est in oriente, in occidente rara. Obliterata tamen est primordialis ejus significatio<sup>4)</sup>.

7º. **Breviarium** constans psalmis, lectionibus et precibus, jam a primis temporibus sed praesertim inde a saeculo quarto coepit esse liturgica precatio. Orationis horae, quas Petrus et Joannes Apostoli observabant, congruerunt cum iis horis,

<sup>1)</sup> *Gregor. M.*, Dial., III, 3.

<sup>2)</sup> *Hefele*, Conc., II, 653, 587.

<sup>3)</sup> *Gregor. Turon.*, Hist. Franc., V. 14: „Post Missas autem petiit, ut Eulogias dare deberemus.”

<sup>4)</sup> *Kraus*, Realencycl. in voce.

quibus Judaeorum sacrificia et precatio[n]es in templis et in synagogis fiebant. *Tribus* temporibus sanctificabatur Judaeorum dies: *Sacrificio matutino*, quod erat inter ortum solis et horam diei tertiam; hoc sacrificio ad finem vergente psalmi decantabantur, orationes recitabantur, benedicebaturque iis qui sacro interfuerant; tum *sacrificio oblationis*, paulo post meridiem; denique *sacrificio vespertino*, cuius neque ante horam nonam initium fiebat, neque finis aderat ante horam duodecimam, ad solis occasum. Ubi sacrificia non ferebantur, eorum tamen tempus certis orationibus recitandis impendebatur. Qui sunt rei exegeticae liturgicaeque periti illis tribus temporibus *matutinum*, *nonam*, *vesperas* adumbrata vident. Liturgicum quoque praeceptum volunt jam esse, quod Paulus<sup>1)</sup> notissimis verbis scripsit, *obsecrationes* nominans, *orationes*, *postulationes*, *gratiarum actiones*. Jam S. Clemens Rom. reapse distinguit inter *oblationes* aliaque liturgica *ministeria*<sup>2)</sup>; quae confirmationem habent ex epistula Plinii, a quo nominantur *coetus antelucani et vespertini*<sup>3)</sup>. Didache quoque *orationem* memorat, quae *ter* de die persolvebatur. Vix non certo constat, haec cum terna Judaeorum oratione, haud vero cum *tertia*, *sexta*, *nona* convenire<sup>4)</sup>. Orationum liturgicarum reliqua determinatio atque constitutio elaborata est quo tempore persecutio saeviebat. Paulatim distingui coeperunt *preces*, *psalmi*, *lectiones*, *cantica*, *hymni*.

Prima parte saeculi IV *vesperae* et *laudes* (matutinae) cotidie atque communiter persolvebantur; observabatur vigilia Paschatis, probabiliter etiam eorum dierum, quibus martyres colebantur. Reliquae horae (*tertia*, *sexta*, *nona*) uniuscujusque devotioni permittebantur. Quarum horarum pars praecipua erant *lectiones*, *psalmi*, *hymni*, *orationes*. Neque plura certo definiri possunt. Sufficienti tamen certitudine concludere fas est, iisdem cantibus et orationibus, quae circa annum 400 in usu erant, jam saeculo III initioque saeculi IV ecclesiasticum officium compositum fuisse. Ab anno 350 ad annum usque circiter 600 ejusdem officii ordinatio ingenti gressu processit. Jam a medio saeculo sexto omnes octo horae canonicae apud monachos Italiae in usu erant. Cujus progressus magna pars fuit, quod multa numero

<sup>1)</sup> I Timoth., 2, 1 s.

<sup>2)</sup> I Cor., cap. 40, 42.

<sup>3)</sup> Lib. X, ep. 97.

<sup>4)</sup> Did., c. VIII.

*festa ecclesiastica* eo tempore in *officium* recepta sunt, maxime vero quod *monastica vita* in Ecclesia tum orientali tum occidentali latius in dies patebat. Quodsi initio ista officii temperatio atque perfectio in *oriente* et in *occidente* eadem fere ratione obtinebat, paulatim tamen insignis discrepantia subintroduci ita coepit atque perrexit, ut saeculo VI ad finem vergente perfecta facta sit separatio. Dum orientales non *psalmis* et *orationibus*, sed *hymnis* potius, *odis*, *tropis idiomelis*, *benedictionibus*, *antiphonis* cet. primas partes tribuebant, occidentalibus antiquam retinebant formam, quae accedente Benedictinorum regula et Gregorii Magni in rebus liturgicis opera, ad novam perpetuo perfectionem pervenit<sup>1)</sup>. Quam officii conformationem atque in partes distributionem successores Gregorii servando firmarunt, Benedictini vero per omnes regiones Ecclesiae occidentalis propagarunt.

#### § 49. Poenae ecclesiasticae et poenitentia.

*Hinschius*, Katholisches Kirchenrecht, IV, 698—797. *Funk*, Zur altchristlichen Bussdisciplin, Abhandl. u. Unters., I, 155 sq. Die Bussstationen im christl. Altertum, ibid. 182 sq. *Koch*, Die Büsserentlassung in der alten abendl. Kirche, in Tüb. Quart., 1900, p. 481 sq. *Adhémar d'Alès*, Limen Ecclesiae. Revue d'hist. Ecclés., 1906, p. 16 sq. *Frank*, Die Bussdisciplin der Kirche, Mainz 1867. *Schmitz*, Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche, Bd. I, Mainz 1883. *G. Rauschen*, Eucharistie und Bussakrament in den ersten sechs Jahrhunderten der Kirche, Freiburg i. Br. 1908.

1º. Disciplina poenalis ecclesiastica circumscripta est per synodorum statuta et Summorum Pontificum praecipuorumque episcoporum definitiones. Gravissima fuit semper poena **excommunicationis**, qua ad definitum aut indefinitum tempus reus ex ecclesia excludebatur. Deinde gravitate proxima poena segregationis a S. Communione et Missa. Synodus Ancyranæ (can. 22) homicidas in solo periculo mortis, S. Basilius post vicenalem poenitentiam ad S. Communionem admittebat. Clerici haud raro officio dejiciebantur, et pro valde gravi delicto excommunicatione plectebantur. Dejecti officio, erant clericali dignitate spoliati, ad *communionem laicam* detrusi. Suspensio consecrationis superioris saepe conjuncta fuit cum perditione jurium et reddituum. In Gallia, Hispania et Africa episcopus saepe puniebatur adempta *communione fraterna* seu jure adeundi

<sup>1)</sup> Dom Suitbert Bäumer, Hist. du breviaire, trad. Biron, 2 vol., Paris 1905, vol. I, p. 306—312, 312—316.

synodos. Apostasia, adulterium et homicidium, etiam hoc tempore, multabantur excommunicatione et voluntaria poenitentia publica. Attamen accuratius in singulis casibus inquirebatur de gravitate delicti, ut inde spatium poenitentiae statueretur. In nonnullis locis excommunicationis poena etiam sancita fuit de *usura, simonia et accusatione falsa*.

Laici et clerici inferiores puniebantur ab episcopo, a quo damnatis provocare licebat ad synodum provincialem, quam ad hunc ipsum finem cogi Nicaenum decrevit<sup>1)</sup>. Hae synodi provinciales et aliae ampliores sententiam dicebant de episcopis, haud raro etiam Summi Pontifices, saepius tamen in occidente quam in oriente.

**2º. Poenitentia publica** etsi mitior in peccata canonica, tamen esse usitata perrexit, imo vero accuratius fuit circumscripta<sup>2)</sup>. In oriente duravit probabiliter usque ad finem saeculi IV. Quum enim, circa annum 391, Constantinoli poenitentia matronae cuiusdam scandalum genuisset, videtur *Nectarius* patriarcha, suadente *Eudae mon*e presbytero, publicam poenitentiam, seu, juxta alios, tantum inquisitionem aliquam ecclesiasticam et denuntiationem, abrogasse<sup>3)</sup>, quod aliquae orientis ecclesiae mox sunt imitatae.

In occidente praecipua fuisse videtur mutatio, quod *Leo I* (440—461) confessionem publicam abrogavit. Poenitentes stabant in *limine ecclesiae*. Quod si tum, sicuti antea, poenitentia publica semel tantum concedebatur<sup>4)</sup>, citius tamen post serio peractam poenitentiam remissio dabatur, licebatque reis *S. Sacrificio Missae* interesse et in articulo mortis etiam *S. Communionem* accipere. Cujus poenitentiae publicae perficiendae ratio dirigi solebat a sacerdote speciali<sup>5)</sup>, ejusque usus diuturnus fuit usque in multam medii aevi aetatem. Solebat inchoari

<sup>1)</sup> Can. V.

<sup>2)</sup> *Greg. Nyss.*, Epist. Canon. *Basilius*, Epistolae Canonicae 188, 199, 217. *Ambrosius*, De poenit., lib. II. *Augustinus*, Enchir., cap. 64—66; 82—83; et multae synodi.

<sup>3)</sup> *Socrates*, H. E., V, 19; *Sozom.*, H. E., VII, 17. Nimium dicit *G. Rauschen*, arbitratus omnem peccatorum confessionem abolitam esse. *Jahrbücher der christlichen Kirche unter dem Kaiser Theodosius*, p. 537 sq.

<sup>4)</sup> *Toletan.*, III (589), can. 11; *Hefele*, III, 51.

<sup>5)</sup> *Batiffol*, L'origine des prêtres pénitenciers romains au cinquième siècle. Congrès scientifique des cath. de Bruxelles 1895; Sciences relig. 277—290. *E. Vacandard*, L'origine des prêtres pénitenciers. Revue du clergé français. Tom. 42 (1905).

die Cinerum impositione manuum et traditione vestis lugubris. Debebat poenitens intermittere militiam et magistratum. Nec nubere nec matrimonio uti ei licitum erat. Quare prius consensus alterius partis fuit petendus. Praeterea ardua multa praecepta erant in cibo, potu, vestitu, balneorum usu et iteratus ecclesiae ingressus. Solemnis *reconciliatio* Romae fiebat in Cœna Domini, in aliis locis uno e sequentibus diebus<sup>1)</sup>). Saeculo VI et VII et postea quoque Romae nonnumquam in monasterio quodam includebantur poenitentes.

### § 50. Dies jejunii et festorum.

Funk, Abhandl. u. Unters., I, 241—278: Die Entwicklung des Osterfastens. Kellner, Heortologie oder das Kirchenjahr und die Heiligenfeste, Freiburg 1901. Realencycl. der christl. Alterthümer, I, 486—502. N. Nilles, Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis, ed. 2. Tomi 2. Oeniponte 1896—1897. Duchesne, Origines du culte chrétien, 3<sup>e</sup> éd., Paris 1903. E. Vacandard, Art. Carême (jeûne du) in Dict. de théol. cath. A. Villien, Histoire des commandements de l'Eglise, Revue du clergé français, 1906, Tom. 48.

1<sup>o</sup>. De **quadragesima** testimonium certum canone V Nicaeno anterius non exstat. Non simul ubique orta neque eadem ubique fuit. Hoc poenitentiae tempus serviebat praeparandis animis ad festa Paschalia simulque memorando quadragesimali Domini jejunio. In occidente jejunabant hebdomadas sex, in oriente septem hebdomadas. Numerus autem dierum jejunii fuit, juxta multos auctores, plerumque 36. In occidente enim solis diebus dominicis non jejunabant, in oriente vero neque sabbatis, praeter sabbatum sanctum. Saeculo VII, additi sunt dies quatuor ante Dominicam *Invocabat*. Eadem fere aetate ortae sunt *Stationes in Septuagesima, in Sexagesima et in Quinquagesima*.

Invalente jejunio quadragesimali, reliqua jejunia in frequentibus *Stationibus* obsoleverunt. Ab alia parte, Leonis I aetate, prima occurrunt vestigia jejunii **quatuor temporum**: Feria IV, VI et Sabbato post Pentecosten et unius hebdomadae mense Septembri et Decembri, quibus paulo post addita fuit quarta hebdomada mense Martio<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Reconciliationem in Hispania et Gallia juxta Gelasii sacramentarium et alios auctores vide apud Duchesne, Origines du culte chrét., p. 435.

<sup>2)</sup> Haec jejunia ortum ducunt e pagano usu celebrandi ferias messis (Junio) ferias vindemiales (Septembri) et ferias sementinas (Decembri), Grisar, Civ. Catt., 1900. Ser. XVII, Vol. 12, p. 450 sq.

2º. **Dies festivi**, persecutionum aetate rari, posteriore tempore frequentiores celebrabantur neque, ut antea, solum in oratoriis et catacumbis; imo vero a legibus imperii sanciti sunt. Festum *Nativitatis* videtur Romae jam actum fuisse anno 336: „*VIII kal. janu. natus Christus in Betleem Judee*”<sup>1)</sup>. Arbitrantur nonnulli diem 25 Decembr. electum, ut ethnico diei *Natali invicta*, qui fuit dies natalis invicti Mithrae, dei solis, substitueretur dies festus christianus, qui natalitia „veri mundi Luminis” in memoriam revocaret<sup>2)</sup>. Verius tamen videntur supputandi initium fecisse a die 25 Martio, quo die Romae credebatur *Christus* esse mortuus. Putabant enim Dominum nostrum annos integros in terra vixisse, atque adeo 25 Martio quoque conceptum et post novem menses, 25 Decemb., esse natum<sup>3)</sup>. Nativitatis festum mox pervulgatum in occidente, anno circiter 375 permanavit in orientem, apparuitque primum Antiochiae. In sola Armenia et Mesopotamia etiam posteriore tempore agebatur Domini nativitas in *Epiphania*<sup>4)</sup>. *Adventus* praeparatorius ad festa Natalitia, in Gallia primum occurrit exeunte saeculo V, Romae uno circiter saeculo serius, sed ante Gregorium I (590—604). Hic jejunabant feria IV, VI, et sabbato quatuor hebdomadarum spatio, in Gallia diebus iisdem spatio sex hebdomadarum. *Dies Regum* seu *Epiphania*, die 6 Januar., altera dimidia parte saeculi IV in occidente permanavit, memorans Magorum adorationem, baptismum Christi ejusque primum miraculum. Quae duae posteriores memoriae postea fere obliteratae sunt. *Circumcisionis* die 1 Januario, prima mentio fit in Gallia (567)<sup>5)</sup>. Atque ita tempus Natale completum est.

Paschale tempus uno festo increvit, *Ascensione Domini*, quod brevi divulgatum, altera saeculi IV parte fere ubique celebatur. Solebat agi cum pompa (processione) in memoriam Domini exeuntis ad montem Olivarum. Ad praeparandos animos Mamertus Viennensis, anno circiter 470, instituit *Rogationes*. Quem usum synodus Aurelianensis (511) extendit ad univer-

<sup>1)</sup> *Depositio Martyrum*, Lib. Pont., ed. *Duchesne*, I, p. 11.

<sup>2)</sup> *Grisar*, ibid.

<sup>3)</sup> *Duchesne*, *Origines du culte chrét.* 3 éd., p. 261 sq. *Hippolyte Delehaye*, *Légendes hagiographiques*, Bruxelles 1905, p. 204.

<sup>4)</sup> *Chrysostomus*, Homil. de beato Philogonio, *De Nativitate Domini*, ed. Montfaucon, I, 608; II, 415, 418. *Bonaccorsi*, *Noël. Notes d'exégèse et d'histoire*, Paris 1903.

<sup>5)</sup> *Synodus Turonensis*, can. 17; *Hefele*, III, 25.

sam Galliam (can. 27)<sup>1)</sup>. Romae simile quid agebatur *Processione St. Marci*, quae videtur Gregorii I aetate in locum ethnicorum *Robigaliorum* esse instituta<sup>2)</sup>. Postea tamen Roma quoque ascepit *Rogationes. Hebdomada Sancta*, praesertim *Coena Domini* et *Parasceve sanctum*, sicut etiam *hebdomada Paschatis*, praecipua celebratione agebantur. Diebus 50 inter diem Paschatis et Pentecostes, exceptis rogationibus, vetabantur genuflectere vel jejunare.

Festum *Exaltationis S. Crucis* primum Hierosolymis actum est (die 14 Sept.), jam brevi post inventam S. Crucem<sup>3)</sup>. In oriente cito divulgatum, in occidentem serius tantum permanavit. At in occidente anno circiter 650 institutum erat *Inventionis S. Crucis* festum (3 Majo), quo memorabatur tunc reditus S. Crucis Hierosolymam, Heraclio imperatore (629).

Antiqua quatuor festa Mariana ortum habuerunt in Ecclesia Graeca. *Purificatio* primum occurrit Hierosolymis, saeculo IV in finem vergente, appellaturque *Quadragesima de Epiphania*<sup>4)</sup>. Justiniano imperante, de die 14 in diem 2 Febr. fuit translatum. Nomen Graecum ὑπαπεντή (occursus) memorat festi partem quae Domini fuit, latinum *Purificatio* vero Mariae memoriam refert. *Annuntiationis* mentionem primam facit Proclus Constantinopolitanus, anno circiter 430. *Assumptio*, Graece ξοίμησις videtur ineunte saeculo VI in Palaestina ortum habuisse, ac Mauricio imperatore communis facta est. *Nativitas B. M. V.* demum a saeculo VII originem dicit. Sergio papa (687—701), haec quatuor festa Romae<sup>5)</sup> agebantur, atque inde in reliquias occidentis partes, ubi nondum erant nota, diffusa sunt<sup>6)</sup>.

<sup>1)</sup> Hefele II, 665.

<sup>2)</sup> Grisar, Civ. Catt., 1900, Ser. XVII, vol. 12, p. 440 sq.

<sup>3)</sup> Quamvis *Doctrina Addai* et *Acta Judae-Cyriaci* de inventione S. Crucis fabulosa narrent, res tamen ipsa, seu inventio Crucis, Constantino regnante facta, negari non potest. Eam enim referunt Ambrosius, Paulinus Nolanus, Sulpicius Severus, Rufinus, et Graeci Socrates, Sozomenus, Theodoreus et praesertim Cyrillus Hierosolymitanus, qui jam, anno 348, (in *Cateches. IV, 10; X, 19; XIII, 4.*) dicit, particulas crucis, ab urbe Hierosolymitana sparsas esse in totum mundum. Cf. *de Combes*, La vraie Croix perdue et retrouvée, Paris 1902. *Rouillon*, Sainte Hélène, Paris 1907.

<sup>4)</sup> Peregrinatio Silviae (Eucheriae), ed. Gamurini, p. 53: „Quadragesimae de Epiphania... ubi... tulerunt Dominum in templo...”

<sup>5)</sup> Duchesne, Lib. Pont., I, 376 et 381, annot. 43.

<sup>6)</sup> Cf. *Gregor. Turon.*, De gloria Mart., c. 9; Synod. Tol. (656), can. 1.

*Martyrum festorum* vetustissima memoria est, habebantque universe vigilias. Superiore periodo, singulae ecclesiae suos venerabantur martyres; hac vero aetate quaedam occurunt festa communia: Primum, saeculo V, *Nativitas et Decollatio S. Joannis Baptistae* (24 Jun. et 29 Aug.). Festum dein S. Stephan*i* (26 Dec.), post inventas anno 515 ejus reliquias, universa accivit Ecclesia. Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli Romae saeculo IV agebatur cum vigilia et octava. Diffusum mox est in occidentem universum ac saeculo V quoque in orientem. In Gallia fuit etiam dies festus S. Martini Turonensis et in Ecclesia Graeca festum *Omnium SS. Martyrum*, die octava Pentecostes.

3<sup>o</sup>. Agebantur autem festa haec et praesertim etiam Dies Dominica adeundo ecclesiam et abstinendo labore servili. Multae synodi haec praescripserunt<sup>1)</sup>. Constantinus jam edixerat, ut exercitus, judicia, et opifices omne opus seponerent<sup>2)</sup>. Postea vetitum haberi ludos scenicos aliosque publicos, non solum dominicis festisque diebus, verum etiam diebus 50 a Paschate ad Pentecosten<sup>3)</sup>. In constitutione aliqua Sonnati, episcopi Rhemensis (614—631), omnes supra relati dies festi ut dies feriales occurunt<sup>4)</sup>. In oriente dies *sabbati* sanctificabatur adeundo ecclesiam et quiescendo a labore; destricte vetabantur hoc die jejunare<sup>5)</sup>.

### § 51. Cultus Sanctorum. Reliquiae et imagines, peregrinationes.

*Lehner*, Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten, 2 Aufl. Stuttgart 1887. *Thomas Livius*, Die allerseligste Jungfrau bei den Vätern der ersten sechs Jahrhunderte. Autorisierte Uebersetzung aus dem Englischen von Phil. Prinz von Aremberg und Dr. H. Dhom, 2 Bände, Trier 1907. *Delattre*, Le culte de la S. Vierge en Afrique d'après les monuments archéologiques, Paris-Lille 1908. *Kraus*, Realencycl. der christl. Altert., Art. Heilige, Heiligenbilder, Reliquien, Confessor. *Binterim*, Denk-

<sup>1)</sup> Laodicena (saec. 4), can. 29; Aurelian. (538), can. 28; Chalons (644), can. 18.

<sup>2)</sup> Vita Const., IV, 8; *Sozom.*, I, 8.

<sup>3)</sup> Cod. Theod., XV, 5, 2.

<sup>4)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 80, p. 446.

<sup>5)</sup> Const. Apost., VIII, 47, 64.

würdigkeiten, IV, p. 555 sq. 606 sq. *Kronenburg*, Maria's heerlijkheid in Nederland, Amsterdam 1904–1905, Dl. I–III. *St. Beissel S. J.*, Die Verehrung der Heiligen und ihrer Reliquien in Deutschland bis zum Beginn des 13. Jahrhunderts, Freiburg 1890. *H. Delahaye*, Les Légendes hagiographiques. Bruxelles 1905. *Günter*, Legendenstudien, Köln 1906.

1<sup>o</sup>. **Cultus Sanctorum** sere cum ipsa Ecclesia natus est. Summo honore venerabatur B. Virgo Maria, cuius laudes narrabant tractatus multi multaeque homiliae Patrum, atque artium opera inscriptionibus, imaginibus, templis. Qui quidem cultus praecipuo eluxit splendore, quum Nestorius Mariae dignitatem matris Dei denegasset<sup>1)</sup>. Martyrum cultus increscet labente saeculo IV, etsi plerumque manebat terminis loci martyrii et tumuli definitus. Magno etiam honore habebantur, qui coram judice fidem professi et multati supererant. Rufinus narrat, Constantium hos confessores magna veneratione coluisse ac Paphnutium episcopum iterato in aedes ad se arcessivisse cavumque effossi oculi osculatum esse<sup>2)</sup>. Exacto persecutionum tempore, magno quoque honore habebantur qui vitae sanctitate eminebant, Antonius, Hilarion aliique, praesertim anchoretae, monachi et episcopi. Appellabantur „Sanctus”, „Dominus”. Ex angelis S. Michael praecipuo cultu honorabatur<sup>3)</sup>.

2<sup>o</sup>. **Reliquiarum cultus** jam superiore periodo in usu fuit. Desiderabant christiani, ut sepelirentur prope a sanctorum corporibus, quod numerosae inscriptiones docent<sup>4)</sup>. Lato edicto Mediolanensi, hic cultus increvit, sed ingens ejus discrimin in Graeca Ecclesia et Latina. In oriente martyrum reliquiae, in multorum gratiam partitae, distribuebantur, in occidente vero, usque ad saeculum VIII, maximopere verebantur transferre corpora aut dividere. Imo vero ea dividere sacrilegium habebatur. Dividebant solummodo et distribuebant ea, quibus sancti, dum vivebant, usi fuerant aut ea quae de tumulis erant desumpta (*brandea*)<sup>5)</sup>. Facile intelligitur, cupiditatem etiam in his sanctis rebus abusum induisse, ut traderentur falsae reliquiae pro veris, dubiae pro certis. Quare vetitum fuit reliquias venditare<sup>6)</sup>.

<sup>1)</sup> *Mansi*, IV, 1242. Cf. *Hefele*, II, 189.

<sup>2)</sup> *Hist. Eccl.*, I, 4; *Hefele*, I, 305.

<sup>3)</sup> *Stuhlfauth*, Die Engel in der altchristl. Kunst, Freiburg 1897.

<sup>4)</sup> *Realencycl.*, I, 19 sq.

<sup>5)</sup> *Mansi*, VIII, 482, 485. *Jaffé*, ed. 2a, N. 1302. *Greg. Turon.*, De gloria mart., c. 25, 55.

<sup>6)</sup> *Cod. Theod.*, VII, 9, 17. *Ugo Mioni*, Il culto delle reliquie nella chiesa cattolica, Torino 1908.

3º. Facile patet **cultum imaginum** tempore persecutionum non valde invaluisse. Quod quidem impedimentum saeculo IV ablatum est. Imaginum et picturarum usus jam antea valde frequens, mox adeo increvit, ut major ecclesiarum pars picturis, opere tectorio, tessellato et sculptili ornarentur. Fingebantur imagines tabulaeque e S. Scripturae et sanctorum historiis, ad fovendam pietatem et rerum ad religionem spectantium notitiam. Ad quod etiam serviebant inscriptiones appositae.

Praecipuo honore aestimabantur imagines *Abgari* et *Veronicae* (*εἰκόνες ἀχειροποιητοί*), quae saeculo praesertim VI multipliciter effectae sunt. Colebant autem imagines genuflectendo, osculando, accendendis lampadibus, et tureadolendo. Qua quidem in re oriens, ut erant ardentes homines, modo p[re]e occidente excelluit. Qua autem mente Ecclesia imagines honorari voluerit, jam docuit *Gregorius Magnus*. Laudavit enim *Serenum Massiliensem*, quod eas adorari prohibuisset, reprobavit vero imagines esse deletas, ad instruendam pietatem positas<sup>1)</sup>. Alibi *Secundino* suasit ut inflammaretur amore Ejus, cuius imaginem adeo libenter spectaret<sup>2)</sup>. Quod idem jam *Augustinus*<sup>3)</sup> pluresque alii docuerant.

4º. **Peregrinationes** valde increbuerunt. Post inventam S. crucem, praesertim Terram Sanctam spectabat peregrinantium pietas, ut saeculo IV ad finem vergente jam scripserit Hieronymus: „*Quicumque in Gallia fuerit primus... divisus ab orbe nostro britannus, si in religione processerit... quaerit locum (hunc)... Quid referamus Armenios, quid Persas, quid Indiae et Aethiopiae populos, ipsumque juxta Aegyptum fertilem monachorum, Pontum et Cappadociam, Syriam Coelen et Mesopotamiam, cunctaque Orientis examina... concurrunt ad haec loca*”<sup>4)</sup>. Supersunt nonnullae itinerum descriptiones ex hac periodo, v. g. *Itinerarium a Burdigala Hierosolymam usque* (333) et *Peregrinatio Silviae* (381—388)<sup>5)</sup>. Insuper peregrinabantur ad catacumbas, quod testantur *grafiti* multi. Unaquaeque fere regio suum habebat frequentatum peregrinationum locum: Gallia sepulcrum S. Martini Turonen-

<sup>1)</sup> *Jaffé*, ibid., N. 1736, 1800.

<sup>2)</sup> *Kraus*, Realenc., I, 161.

<sup>3)</sup> Enarr. in Ps. 93, N°. 4.

<sup>4)</sup> Sic loquitur S. Hieronymus nonnihil exaggerans, ep. 46 ad Marcellam.

<sup>5)</sup> Itinera Hierosolymitana saeculi IV—VIII. Ed. P. Geyer. Corpus ecclesiast. lat. Tom. 39, Vindebonae 1898.

sis, Italia S. Felicis Nolani, Africa S. Cypriani, Cyprus S. Epiphani<sup>i</sup><sup>1)</sup>.

### § 52. *Templa, templorumque ornatus.*

*F. X. Kraus*, Geschichte der christl. Kunst, I, Freiburg 1895. *Kirsch*, Die christliche Kultusgebäude im Altertum, Köln 1893. *Grisar*, Geschichte Roms und der Päpste, I, 336 sq, *Reusens*, Eléments d'Archéologie chrétienne, 2e éd., Tom. I, Louvain 1885. *Witting*, Die Anfänge der christl. Architectur. Gedanken über Wesen und Entstehung der christlichen Basilica, Strassburg 1902. *Kaufmann*, Handbuch der christl. Archeologie, Paderborn 1905. *Dom. Leclercq*, Manuel d'Archéologie chrét., Tome 2, Paris 1908.

1<sup>o</sup>. Constantino ad fidem converso, actuosa valde facta est sedulitas eorum, qui **artibus ecclesiasticis** incumbebant. Ubique templa erecta; demoliebantur minora et sumptibus saepe imperii aedificabant majora; quibus locis diruta essent persecutionum tempore, nova erigebant<sup>2)</sup>. Quare mirum non est, architecturam ingentia incrementa cepisse. Mox structurae genus duplex apparuit: *basilicae* et *tholiformae*<sup>3)</sup>.

2<sup>o</sup>. **Basilica**, quae verisimillime originem dicit e *cellis cimiterialibus*, *cellis trichoris*<sup>4)</sup> supra catacumbas erectis, *oblonga* erat, plerumque dupli vel triplici serie columnarum (raro pilarum), eratque in tres vel quinque partes divisa. Jam saeculo IV, ubi fieri poterat, sed praesertim postea, basilica ad orientem solem versa construebatur<sup>5)</sup>.

Ab occidente solebat esse praestructum atrium (paradisus), unde introitus erat in vestibulum, *portico* (narthice) praecinctum. Portae saepe splendide ornatae erant. Media inter

<sup>1)</sup> *Lalanne*, Des pélérinages en Terre Sainte avant les croisades, Bibl. Ecole des chartes, 1845. Vide autem praesertim *A. Baumstark*, Abenländische Palestina-pilger des ersten Jahrtausends und ihre Berichte, Köln 1906. *Louis Bréhier*, l'Eglise et l'orient au moyen-âge, Paris 1907, p. 1—54.

<sup>2)</sup> *Euseb.*, H. E., X, 2—3; *Vita Const.*, lib. III—IV.

<sup>3)</sup> *Paul. Nol.*, Ep. 32, al. 12; carm. 24—25; *Vita Paulini*, c. 42—44. *Procopius*, De aedificiis Justiniani libri VI, Corp. Script. Byzant., Tom. III, p. 170 sq.

<sup>4)</sup> *De Rossi*, Roma sotterranea, III, 495; *Kraus*, I, 262—265. Ex aetate praecostantiniana supersunt cella S. Sixti et cella S. Soteris.

<sup>5)</sup> *J. Alberdingk Thijm*, De H. Linie, Amsterdam 1858. Lettre sur la ligne sacrée à M. A. Reichensperger, Amsterdam 1858. Putant situm ecclesiae ad directionem adactam fuisse ad locum, quem sol suo cursu obtineret die quo consecraretur ecclesia; aut verius ad solis cursum die festo patroni ecclesiae.

columnas pars (navis) altior erat reliquis. Columnae epistylio invicem junctae fulciebant murum, in quo erant fenestrae. Fornicea deerant, saepe etiam tabulatum, ut tecti trabes fuerint conspicui. Tectum erat ligneum. Tribunalia plerumque aderant, praesertim apud Graecos.

In principalioribus ecclesiis splendida inveniebantur pavimenta sectilia, nonnumquam inscriptionibus ornata. Anterior inter navem et presbyterium in multis basilicis aderat quadrans, nomine transeptus. Presbyterium, vulgo fornicatum, terminabatur semi-circulo (apside). Ad parietem adnitebatur medius thronus episcopalis, circumdatus ad utrumque latus sedibus presbyterorum. Tabulatum et parietes ecclesiae, praesertim apsis arcusque triumphalis, saepe splendide ornabantur opere musivo, marmore, picturis aut tapetibus. Foris, presbyterio aliisque partibus astructa erant aedificia, vario usui apta: sacristia, tabularium, bibliotheca, balnei, locaque beneficentiae operibus destinata. Turres non pertinebant ad structuram basilicae. Primae occurrunt ecclesiae adjacentes, in Syria. Inde a saeculo VI in occidente frequentes factae sunt.

3º. Ecclesia **tholiforma** fuit orbiculata vel polygonia. Tholus erat innixus columnis vel pilis, inferiore circumjectu undique fultus. Dubium non est, quin forma haec originem habuerit ex ethnicis rotundis mausoleis balneisque. Quod autem hae ecclesiae minus frequentes fuerunt, ex ea causa factum est, tum quod structura perfectu difficilior, tum quod cultui christiano minus esset apta. Unde nonnumquam conati sunt utramque formam conjungere, sicut in *Hagia Sophia*. Hujus formae ecclesiae celebriores fuerunt *S. Stephano Rotondo* Romae, *S. Lorenzo Maggiore* Mediolani, *S. Vitale* Ravennae. Insuper ejusdem formae erant multa baptisteria et cellae cimeteriales.

4º. **Altare**<sup>1)</sup> positum fuit medium ante apsidem; quodsi aderat transeptus, fuit medium in termino inter transeptum et presbyterium; in ecclesia tholiforma, medium sub thola. In occidente jam saeculo V plura ponebantur in eadem ecclesia altaria; in oriente vero vulgo unum tantum, eo quod simul episcopus cum presbyteris Sacrum faciebant. Primitus altare fuit in mensae speciem, postea in sarcophagi effigiem, ut cata-

<sup>1)</sup> Monographia *A. Schmidt*. Regensburg 1871. Dr. *F. Wieland*, Mensa und Confessio. Studien über den Altar der altchristl. Liturgie, München 1906.

cumbarum aetas nos edocet. Fuit ligneum vel lapideum. Discriminabatur *mensa*, 1—5 columnis imposita, et *confessio*, in qua servabantur reliquiae. Quae si sub mensa ponerentur, columnae tabulis marmoreis aut aeneis inter se ligabantur. Supra mensam erectum fuit ciborium, columnis innitens, e quo medio saepe pendebat *pixis* in columbae effigiem, in qua servabatur S. Eucharistia. E summo ciborio vela quatuor (*tetravela*) descendebant, quae clausa altare operiebant.

5º. In occidente separabatur presbyterium a nave *cancellis*; in oriente vero plerumque pariete (*iconostasi*), numerosis imaginibus ornato, ita ut presbyterium apsisque populo conspicua non fuerint. Cujus loco in occidente saepe occurrunt columnae 4 vel 6, epistylio junctae<sup>1)</sup>. Adnitezabantur parieti, in termino presbyterii navisque, *ambones* vel *pulpita*, unum vel duo. Primis saeculis fideles intererant exercitiis religiosis genuflexi aut stantes. Optatus Milevitanus († 384) adhuc ducebat sedilia indecora<sup>2)</sup>. Videntur primum in usum venisse in Italia<sup>3)</sup>.

### § 53. Christianorum vita religiosa et moralis.

*G. Kurth*, Les origines de la civilisation moderne, 2 vols, 5<sup>e</sup> ed., Paris 1903. *Grupp*, Kulturgeschichte des Mittelalters, I, Stuttgart 1894. *Ratzinger*, Geschichte der kirchlichen Armenpflege, 2 Aufl., Freiburg 1884. *P. Allard*, Esclaves, serfs et mainmortables, Paris 1894. *Grisar*, Geschichte Roms und der Päpste, I, Freiburg 1901. *L. Lallemand*, Histoire de la charité, Tom. II: Les neuf premiers siècles de l'ère chrétienne, Paris 1904. *G. Bonnet-Maury*, France. Christianisme et civilisation, Paris 1907.

1º. Opus non est memorari christianorum **vitam religiosam et moralem**, facta Ecclesiae pace, multis modis remisisse. Cujus rei causae plurimae: imprimis laxata post persecutiones disciplina; ethnicorum dein vitiorum reliquiae; numerosae conversiones non satis serio perfectae; frequentes haereses, schismata litesque; barbarorum demum invasiones, quibus efficax Ecclesiae sollicitudo impediabatur. E quibus rebus omnibus consecutum est, ut christianorum magna pars ac clerici haud

<sup>1)</sup> In basilica Torcellensi adsunt columnae sex e saeculo VII.

<sup>2)</sup> De schismate Donatistarum. IV, 78.

<sup>3)</sup> *Augustinus*, De catech. rudibus, c. 13; *Paulinus Nolanus*, Poem., XX, 114.

pauci mandata Dei paeceptaque Ecclesiae negligerent utque SS. Patres multum quererentur de laxata disciplina<sup>1)</sup>.

2º. Non tamen frustra ex adverso operabatur sollicita Ecclesiae industria, ut mores pagani christianis legibus reformatur. Nec sine consilio divinus Ecclesiae Fundator legem suam fermento comparaverat. Familiae integrae *Sanctorum*<sup>2)</sup> occurunt; multi fuerunt sancti episcopi, monachi et eremitae; *monasteria* mirum quantum incolis sunt frequentata. *Castitas* etiam extra eremos et monasteria in singulari honore haberi coepta est. Dum antea pagano quidem animo omnia, ipsa quoque paederastia, licita arbitrarentur, solo adulterio excepto, impugnavit Ecclesia omnem libidinis actum, atque ita populi christiani moribus eximio modo profuit. Cui saluberrimae Ecclesiae sollicitudini imperium suffragavit<sup>3)</sup>. Etiam pluris aestimari coepit *humana vita*. Homicidis infligebatur severissima subeunda poenitentia. In *infantium internacionem* et abortum ab imperio quoque gravi poena animadversum est<sup>4)</sup>. Qui sibi ipse vitam abstulerat, ei denegabatur funus ecclesiasticum. *Judicia poenaeque* paulatim mitigata ex eo sunt quod, sicut supra jam relatum est, episcopis privilegium factum est, summam carcerum habendi curam. Prae reverentia sanctae crucis *crucifixio* abolita. Jus *asyli* quoque salutarem mitigandi judiciorum acerbitatem vim habuit. *Ludi gladiatorii* abrogati sunt (404). *Servitium* quoque inhumanam duritiem magnam partem abjecit. Servorum manumissio in operum caritatis numero habebatur. Dein ab Ecclesia docebantur, coram Deo et coram Ecclesia omnes homines esse aequales, ordinum discrimina negligi, libertos quoque ad honores ecclesiasticos eligi. Poena mortis proposita, vetuit Constantinus servos necari, libertisque jura civilia omnia concessit Justinianus. Jam antea homini Iudeo licitum non fuit, emere servum christianum (408).

3º. Reddita Ecclesiae pace, **charitas christiana** statim efforuit; quod quidem ex eo quoque perspicuum est, quod Julianus Apostata in hac re Ecclesiae inviderit<sup>5)</sup>. Celebres episcopi

<sup>1)</sup> Exaggerat nonnihil *Salvianus*, De gubernatione Dei. *Isid. Pelus.*, Epist. lib. III, 133, 370. *Hieron.*, Comm. in Tit., c. 1; Epist. 34 ad Nepot. etc.

<sup>2)</sup> e. c. familae Basilii et Gregorii Nyss.

<sup>3)</sup> Cod. Theod., IX, 24, 1—3; XV, 7, 4, 10.

<sup>4)</sup> Cod. Theod., IX, 15, 1.

<sup>5)</sup> *Jul. Apost.*, Epist. 49; *Greg. Naz.*, Orat. 5.

mitigare conati sunt mala, quae ex calamitate invadentium barbarorum oriebantur, v. c. Paulinus Nolanus, Eusebius Mediolanensis, Gregorius Magnus aliique. Numerosa fuerunt ptochotrophia, orphanotrophia, nosocomia, hospitia, gerontocomia et brephotrofia. Fabiola Romae ingens instruxerat nosocomium, alterum in Portu Romano Pamachius proconsul, qui, post mortem uxoris suae Paulinae ipse pauperibus ministrabat. Celeberrimi caritatis christianaee cultores fuerunt Pinianus et uxor ejus S. Melania junior, quae redditus immensos pauperibus distribuit. Nominari debent etiam notae illae Marcella, Paula, Eustochium, Lea et Domnio sacerdos<sup>1)</sup>. S. Basilius, ut loquitur Gregorius Nazianzenus, „novam urbem“ charitatis condidit. Severianus, notus ille *Comes*, suis largitionibus multos haereticos ad rectam fidem reduxit. Synodus Turonensis (567) unicuique urbi suasit, ut rectam pauperum sollicitudinem haberet (can. 5).

---

<sup>1)</sup> *Baudrillart*, St. Paulin de Nole, Paris 1905, *Rampolla*, Santa Melania giuniore, senatrice romana, Roma 1905. *G. Goyau*, Sainte Melanie, Paris 1908. *Grisar*, Gesch. Roms und der Päpste, n. 33—41.

## CAPUT QUINTUM.

### SCIENTIA ECCLESIASTICA.

§ 54—§ 55.

#### § 54. Conspectus generalis.

*O. Bardenhewer*, Patrologie, Freiburg 1894, p. 216 sq.; 370 sq.; 498 sq.; 553. *Ph. Hergenröther*, Die Antiochenische Schule und ihre Bedeutung auf exegetischem Gebiete, Würzburg 1866. *Harrent*, Les écoles d'Antioche au IV<sup>e</sup> siècle, Paris 1898. *Fessler-Jungmann*, Institutiones Patrologiae, Tom. I. Oeniponte 1890, p. 366—375; Tom. II, Pars I, Oeniponte 1892, p. 1 sq. Pars II, Oeniponte 1896, p. 1 sq.; p. 173 sq. *H. Kihm*, Patrologie, II, Paderborn 1908.

1<sup>o</sup>. Favente exterius Ecclesiae pace et interius excitantibus ad controversias numerosis doctrinis haereticis, **scientia ecclesiaca** magnos hac periodo fecit progressus. Quod duravit usque ad medium saeculum quintum. Praefuit doctrinae studio in Ecclesia Graeca schola *Neo-Alexandrina*<sup>1)</sup>, quae nova ratione idem prosequebatur atque antea *Origenes*, exceptis ejus erroribus. Praecipui ejus discipuli fuerunt: *Athanasius*, tres viri Cappadoces *Basilius*, *Gregorius Nyssenus*, *Gregorius Nazianzenus* et *Cyrillus Alexandrinus*. **Schola Antiochena**<sup>2)</sup> praesertim exegeticae scientiae incubuit. Antiochia, quae urbs praecipua fuit ac frequentissime habitata imperii Romani in Asia, jam inde a primis temporibus fidem acceperat ab apostolis *Petro*, *Barnaba* et *Paulo*, ac brevi facta est scientiarum quasi media sedes. Docebant ibi saeculo II *Theophilus* († circa 185), *Serapion*, qui fuit anno 190 ejus episcopus; saeculo III *Malchion* et *Dorotheus*. Verus Antiochenae scholæ fundator vulgo habetur *Lucianus*<sup>3)</sup> († 312), oriundus Samosatis in Syria, institutusque in

<sup>1)</sup> Vide supra § 22, 3<sup>o</sup>.

<sup>2)</sup> *Ibid.* et *V. Ermoni*, Art. Antioche (Ecole théol. d') in Dict. de théol. cath.

<sup>3)</sup> *Batiffol*, La Littérature Grecque, 4 éd., Paris 1901, p. 187 sq.

schola Edessena. Elaboravit novam Septuaginta interpretum editionem, in crebo usu versatam, correxitque etiam Novum Testamentum. Miserrime Lucianus partes secutus Pauli Samosateni, in eadem urbe nati, doctrinam subordinatianam propugnavit fuitque Arii magister. Scholae Antiochenae honor fuit litteralis S. Scripturae exegesis, opposita allegoricae interpretationi scholae Alexandrinae. Haec pietatis ardore, illa sobrio judicio eminuit. At quo tempore plurimum floruit (370—450) nimium rationi tribuit, Nestorianismumque propagavit. Praecipui ejus auctores fuerunt Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, Polychronius, Theodoreetus Cyrensis. Praecellentissimus ejus discipulus Joannes Chrysostomus fuit. Diversa utriusque scholae Neo-Alexandrinae et Antiochenae studia ansam dederunt controversiae inter Cyrillum Alexandrinum et Nestorium.

Primus e celeberrimis hujus florentissimi temporis patribus, S. Hilarius, doctrinam, e Graeco fonte haustam, proprio judicio arbitrioque suo elaboravit, theologiam ex oriente in occidentem transferens. S. Hieronymus quoque, omnium patrum doctissimus, medium locum tenuit inter orientalem et occidentalem theologiam. Hi duo cum Rufino, Mario Mercatore et Cassiano jure merito vocati sunt Latini „Graecizantes”. Nullo modo cum oriente junctam viam secuti sunt Ambrosius, Augustinus et Leo Magnus, licet horum primus in explicanda S. Scriptura Graecis doctoribus niteretur. Cum Augustino principatus theologiae ex oriente in occidentem translatus est. Leo I autem non solum auctoritate papali, verum etiam sagacis magistri judicio lites monophysiticas diremit. Ab ineunte saeculo V floruerunt etiam in insulis Lirinensibus, quae in Mari Mediterraneo prope Cannas jacent, Vincentius, qui Lirinensis inde dictus est, aliquie; Massiliae quoque Cassianus.

2º. A medio saeculo V theologia Graeca a pristino nitore recessit. Sciendi ardor languere efficiendique vis deficere coepit. Semel iterum magno fulgore radiavit per Maximum Confessorem. Historica tamen et ascetica theologia et praeceteris poesis ecclesiastica florere perrexit.

Tabuit quoque Latina scientia ecclesiastica. Cultura Romana barbarorum invasione occubuit. Haud tamen fuerunt novi populi ad scientiam incapaces. Novus ortus est litterarum ardor

ad finem saeculi V, in Gallia, ac labente saeculo VI, in Africa, Italia et Hispania. Auctores praincipui fuerunt Fulgentius Ruspensis, Gregorius Magnus et Isidorus Hispalensis.

### § 55. Scriptores ecclesiastici.

*Remy Ceillier*, Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques, 16 vol., 2<sup>e</sup> éd., Paris 1858—1869. *O. Bardenhewer*, Patrologie, Freiburg 1894. *Fessler-Jungmann*, Institutiones patrologiae, Tom. I —II, Oeniponte 1890—1896. *P. Batiffol*, Anciennes littératures chrétiennes. La Littérature grecque, 4<sup>e</sup> éd., Paris 1902. *A. Ehrhard*, Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung seit 1880 et ab 1884—1900, Strassburg. Theol. Studien, Freiburg 1894 et 1900. *Krumbacher*, Geschichte der Byzantinischen Literatur (527—1453), II Aufl., München 1897. *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Tom. II, Paris 1907. *Duval*, Anciennes littératures chrétiennes. La littérature Syriaque, 3<sup>e</sup> éd., Paris 1907.

I<sup>o</sup>. **Scriptores Graeci ab ineunte saeculo IV ad medium saeculum V: Eusebius Caesareensis** († circiter 340) primus fuit in hac florente scriptoribus ecclesiasticis aetate. Propter celeberrimam ejus *Historiam ecclesiasticam* jure pater appellatus est *historiae ecclesiasticae*. Opera ejus theologica praincipua sunt: *Praeparatio evangelica* et *Demonstratio evangelica*. Priore ostendit fatuum esse paganismum, altero, veram esse religionem christianam. *Eusebius* autem, non clare perspiciens quo ferret Arianismus, eum errorem semper occulte propugnavit, ne detruderetur in Sabellianismum<sup>1)</sup>.

Acriter *Eusebio* adversabatur **Athanasius** († 373), praepotens verae fidei defensor. A **Gregorio Nazianzeno** „columna ecclesiae” vocatus, unus fuit ex illustrissimis viris totius historiae ecclesiasticae. Peccantibus indulgens mitisque erga eos qui recte sentirent, mirum quanta firmitate agebat in haereticos. Strenua virtute apologetica instructus (*Adversus gentes libri duo*), omnem tamen eximii ingenii vim in Arianos impugnandos convertit. Quod patet numerosis ejus scriptis, e quibus maximum praincipiumque inscribitur: *Orationes IV contra Arianos*. Sermo robustus. nobilis, nec raro sublimis. Quinquies iteratum exsilium

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 19—24. Ed. *Dindorf*, Tom. 4. 1867—1871.

in mercedem accepit. Pro cognoscenda Arianismi historia doctrinaeque explicatione scripta Athanasi gravissimi momenti manent<sup>1)</sup>.

Arianismum etiam impugnavit **Cyrillus Hierosolymitanus** († 386). Propter quod is quoque acerbos impetus passus est et persecutioes. Opus ejus princeps sunt celeberrimae *Catecheses*<sup>2)</sup>.

Pares fere Athanasio fuerunt tres viri Cappadoces, qui Arianismum et Macedonianismum impugnaverunt : **Basilius Magnus** († 397)<sup>3)</sup> excoluerat acre suum ingenium Caesareae, Constantinopoli et Athenis. Excelluit doctrina dogmatica (*Contra Eunomium*, *De Spiritu Sancto*), doctrina exegetica (*Hexaemeron*), arte oratoria et rerum agendarum usu. Lucebat velut pharus in tenebris tempestatisbusque litium, quae de fide et religione movebantur.

Hujus amicus, **Gregorius Nazianzenus** († 389 vel 390), breve tempus patriarcha fuit Constantinopolitanus. Pars magna fuit in disceptationibus sui temporis multumque valuit vi magnae eloquentiae suae. Propter theologicas quinque celebres orationes (Nº. 27—31) cognomen *theologi adeptus* est. „*Non esse rectae fidei hominem*, Rufinus inquit, *qui in fide Gregorio non concordat*<sup>4)</sup>. Multo auctiore cogitandi facultate praeditus fuit **Gregorius Nyssenus** († circa 395) frater aetate minor Basillii. Episcopus Nyssenus cum esset, multa certamina pertulit cum Arianis. Uberior fuit in operibusexegeticis conficiendis, est tamen celebrior scriptis suis dogmaticis (*Oratio catechetica magna*, *Libri XII contra Eunomium*). Praecipua ejus vis est in philosophico-theologica fidei defensione<sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> Migne, P. G., Tom. 25—28. Ed. Montfaucon, Parisiis 1698, fol. 3. Barbier, Vie de St. Athanase, Tours 1888. Loofs, Symbolik oder christl. Confessionskunde, Tübingen 1902. Ferd. Cavallera, St. Athanase (305—373), Paris 1908. Thèse.

<sup>2)</sup> Migne, P. G., Tom. 33. Ed. Toultée, Parisiis 1720.

<sup>3)</sup> Migne, P. G., Tom. 29—32. Ed. Garnier, Parisiis 1721—1730. Allard, St. Basile, 4 éd., Paris 1903.

<sup>4)</sup> Migne, P. G., Tom. 35—38. Ed. Clémencet-Caillau, Parisiis 1771—1840. Benoit, St. Grégoire de Nazianze, 2e éd., Paris 1884—1885. Hürth, De Gregorii Naz. orationibus funebribus, Argentorati 1906.

<sup>5)</sup> Migne, P. G., Tom. 44—46. Ed. Ducaeus, Parisiis 1638, fol. 3. L. Meridier. Grégoire de Nysse, Discours catéchétique, Paris 1908. F. Boulenger, Discours funèbre en l'honneur de son frère Césaire et de Basile de Césarée, Paris 1908.

**Didymus caecus** († 395) unus fuit e notabilioribus suae aetatis viris. A quarto aetatis anno oculis captus, magnam tamen sibi comparavit scientiam fuitque plus quinquaginta annos caput scholae Alexandrinae. Scripsit opera exegética et dogmática, quorum praeclarissimum, „*De Spiritu Sancto*”, ab Hieronymo in latinum sermonem versum est<sup>1)</sup>.

**Epiphanius**, Salaminius episcopus († 403), pro tempore suo fuit linguarum intelligentissimus. Notissimum ejus opus princeps est *Panarium*, vulgo *Haereses* vocatum. In *Anchorato* agit de S. Trinitate. In priore opere nonnihil credulus, in altero saepe ab argumento proposito deviat<sup>2)</sup>.

Uberrimus auctor fuit **Diodorus Tarsensis** († circa 399), cuius tamen plurima scripta nomine tantum sunt nota. Dum vivebat orthodoxus celebratus, post mortem mala fama notus est, eo quod opera ejus Nestorianismo faverent<sup>3)</sup>. Ejus discipulus **Theodorus Mopsuestenus** doctrinam magistri elaboravit estque a concilio oecumenico V (553) damnatus<sup>4)</sup>.

**Joannes Chrysostomus** († 407), sanctitate celeber et nobilissima indole, vacua ab omni humano metu, mirabili sua eloquentia praecipuum gloriam adeptus est. Pulcherrimas homiliae habuit Antiochiae, annis 387—397. Praeclara confecit opera exegética, quae pronuntiare solebat homiliarum forma. Memoranda quoque sunt *De statuis homiliae* 21, *De Sacerdotio* libri VI. Cum anno 398 patriarcha Constantinopolitanus creatus esset, in controversiam incidit cum Theophilo Antiocheno et Eudoxia imperatrice, ac bis in exsilium missus obiit Kumanae in Ponto<sup>5)</sup>.

**Constitutiones Apostolicae**, ineunte saeculo V, in Syria ex aliis scriptis desumptae et in unum corpus collectae sunt.

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 39. Cf. *Spicil. Solesm.*, I, 284. Leipoldt, *Dydimus der Blinde*, Leipzig 1906.

<sup>2)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 41—43. Ed. *Petav.*, Parisiis 1622, fol. 2. Ed. *Dindorf*, 1859—1862. *Duchesne*, Hist. anc. de l’Eglise, II, 589 sq. *Batiffol*, La littérature grecque, p. 301.

<sup>3)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 33. *Funk*, Abhand. u. Unters., III, 323—350.

<sup>4)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 66. *Batiffol*, l. c., p. 296 sq.

<sup>5)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 47—64. Ed. *Montfaucon*, Parisiis 1718—38, fol. 13. *Puech*, St. Jean Chrysostome et les mœurs de son temps, II ed., Paris 1900. *Dom. Chr. Baur*, St. Jean Chrysostome et ses œuvres dans l’histoire littéraire, Paris 1907. *χρυσοστομικα*, Studi e ricerche intorno a Giovanni Crisostomo pubblicati a cura del comitato per il XV centenario della sua morte, Roma 1908.

Constant libris VIII. Quorum sex priores retractant *Didaskalia Apostolorum*<sup>1)</sup> praeferuntque speciem epistolae generalis apostolorum ad omnes ex ethnicis fideles. Liber VII retractat *Didache*; VIII continet liturgiam completam et *Canones Apostolorum*, estque etiam ex aliis scriptis retractatus. Priores septem libri videntur ab uno eodemque auctore confectae. *Quinisextum* (692) censebat eas esse ab apostolis, sed ab haereticis adulteratas<sup>2)</sup>. Ideo rejectae, *Canones Apostolorum* vero 85<sup>3)</sup> acceptati sunt. E libro octavo Constitutionum apostolicorum retractata est *Didaskalia ægyptiaca*, et ex hac, ante finem saeculi V, nuper editum *Testamentum Domini Nostri*<sup>4)</sup>; posta *Canones Hippolyti*<sup>5)</sup>.

**Synesius Cyrenensis** (circa 413), Alexandriae a nota illa Hypatia doctus Neo-Platonismum, postea ad fidem conversus, factus est episcopus Ptolemaidis. Mirum quantum in operibus ejus christiana et pagana cogitata permixta sunt<sup>6)</sup>.

**Cyrillus Alexandrinus** († 444) unus est e praclarissimis vetustatis magistris, gloria scholae Alexandrinae, quae eo decedente multum decrevit auctoritate. Fuit praecipuus Nestorii adversator, quem multis scriptis impugnavit. Pro cognoscenda historia dogmatis post Athanasium summi momenti est Cyrilus. Major scriptorum pars exegetica sunt, reliqua polemica, contra Julianum Apostatum et Nestorianismum<sup>7)</sup>.

Praecipuus Cyrilli adversarius haud dubium fuit **Theodoretus Cyrensis** († 458), e schola Antiochena. Plurima ejus

<sup>1)</sup> Vide supra p. 164.

<sup>2)</sup> *Migne*, P. G., Tom. I, *J. B. Cotelerius*, Patres aevi Apost., T. I, Paris 1672. praesertim editio Funk, Paderbornae 1905.

<sup>3)</sup> *Hefele*, I, 800 sq, et *F. Nau*, Art. Canons des Apôtres et constitutions apostoliques in Dict. de théol. cath.

<sup>4)</sup> Ed. *Rahmani*, Moguntiae 1899.

<sup>5)</sup> *Funk*, Tüb. Quartalschr., 1893, 594—666; 1906, 1—27. Hist. Jahrb., 1895, 1—86; 473—509. Das Testament unseres Herrn und die verwandten Schriften (Forschungen zur christl. Litt.- und Dogmengeschichte), Mainz 1901. *G. Horner*, The Statutes of the Apostles, London 1904.

<sup>6)</sup> *Migne*, P. G., T. 66. Hist. Jahrb. der Görresges., 1902, p. 751 sq. *C. Vellay*, Etudes sur les hymnes de Synesius, Paris 1904.

<sup>7)</sup> *Migne*, P. G., T. 68—77. Ed. *Aubert*, Parisiis 1638, fol. 6. *Largent*, S. Cyrille d'Alexandrie, Paris 1892. *Rehrmann*, Die Christologie des H. Cyrillus v. Alex. systematisch dargestellt, Hildesheim 1902.

opera perierunt. Nota praesertim sunt: apologia cui inscriptio: *Graecarum affectionum curatio et Historia ecclesiastica*<sup>1)</sup>.

Referendi insuper: **Philostorgius** (*Historia ecclesiastica*) homo Arianus e Cappadocia<sup>2)</sup>. **Socrates**, qui, optimus historicus, **Eusebii** opus persecutus est: *Historia ecclesiastica*<sup>3)</sup>. Non pari honore habenda est **Sozomeni** *Historia ecclesiastica*<sup>4)</sup>. Haec complectitur annos 324—425, **Socratis** vero annos ab **Eusebio** usque ad 439. **Isidorus Pelusiota** († circa 440), sacerdos et abbas prope Pelusium, notus praesertim est propter bis mille suas epistolas<sup>5)</sup>. **Palladius** scripsit *Historiam Lau- siacam*, quae constat vitis monachorum<sup>6)</sup>. Inter scriptores asceticos praecellit **Nilus** († circa 430)<sup>7)</sup>.

<sup>26</sup>. **Scriptores latini ab ineunte saeculo IV ad medium saeculum V**: **Hilarius Pictaviensis** († 366) acri ingenio eminet, utitur sermone venusto, quem toto pectore eloquitur insignique amore veritatis. Pari luctae atque **Athanasius** cum Arianismo deditus, par exsilium passus est. Praecipuum opus *De Trinitate* inscribitur, quod tamen prius inscriptum fuit: *De fide adversus Arianos*. Magno etiam habenda pretio sunt ejus opera historico-polemica et exegetica<sup>8)</sup>.

Reliqui arianismi impugnatores fuerunt **Lucifer Calaritanus** († 370 vel 371), qui singula sua scripta **Constantio** opposuit<sup>9)</sup>, vir magnus **Hosius Cordubensis** († 357)<sup>10)</sup>, **Marius Victorinus**<sup>11)</sup>, **Eusebius Vercellensis** († 371), **Zeno Veronensis** († 380)<sup>12)</sup>.

Memorandi sunt **Juvencus**, qui anno circiter 330 scripsit *Historiam Evangelicam*; **Pacianus** († circa 391), cuius celebre

<sup>1)</sup> *Migne*, P. G., T. 80—84. *J. Schulte*, Theodoretus von Cyrus als Apologet, Wien 1904.

<sup>2)</sup> *Migne*, P. G., T. 65. *P. Batiffol*, Quaestiones philostorgianae, Paris 1891.

<sup>3)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 67.

<sup>4)</sup> *Ibid.*

<sup>5)</sup> *Ibid.* Tom. 78.

<sup>6)</sup> *Ibid.* Tom. 65. Ed. *Butler*, Oxford 1904.

<sup>7)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 79.

<sup>8)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 9—10. Ed. *Coustant*, Paris 1693. *Largent*, St. Hilaire, Paris 1902. *Schiktanz*, Die Hilariusfragmente, Breslau 1905.

<sup>9)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 13. Cf. *A. Wilmart*, in Revue Bénédictine, Avril—Juillet 1907.

<sup>10)</sup> *Migne*, P. G., Tom. 25, 744—748. *Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, II, 1, 137—309. *Dom. Leclercq*, l'Esp. chrét., Paris 1906, p. 20 sq.

<sup>11)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 8, 1019 sq. et Tom. 64, 891—910.

<sup>12)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 11.

est illud: *Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen*<sup>1)</sup>; Philastrius Brixianus, qui scripsit *Librum de haeresibus*<sup>2)</sup>; dein illa *Peregrinatio Silviae*, itineris in terram sanctam descriptio, quae antea a Silvia, Rufini magistratus sorore, nunc vero valde probabilibus argumentis ab Etheria, seu Eucheria, virgine Hispana, conscripta censemur<sup>3)</sup>.

**Ambrosius** († 397), e magistratu civili illico episcopus Mediolanensis electus, unus est ex illustrioribus viris antiquitatis ecclesiasticae. Doctrina sua, firmitudine animi et altitudine, religione ac sanctitate multum suo tempore valuit in res gerendas. Scriptor praestans, orator et episcopus strenue laboravit. Magna operum pars (*Hexaemeron*) exeggetica est, allegorico-mystica mente et sententia. Multorum manibus versabantur opera ejus ascetica: *De officiis ministrorum*; *De Virginibus ad Marcellinam sororem*; dogmatica quoque: *De fide ad Gratianum*; *De Spiritu S. ad Gratianum*. Celeberrima sunt: *De obitu Valentiniani consolatio* et *De obitu Theodosii oratio*. Quantopere sermonem latinum calluerit Ambrosius, multi ejus hymni testantur<sup>4)</sup>.

**Prudentius** († 405) omnium est praestantissimus christianus poeta inter Latinos. E septem libris praesertim contulerunt, ut clarissimum ei nomen sit datum in poetis, *Cathemerinon*, complectens hymnos in usum cotidianum, et *Peristephanon*, constans hymnis in martyres<sup>5)</sup>.

**Paulinus Nolanus** († 431) egregia composuit carmina, quorum praestantiora sunt *Carmina natalitia* in S. Felicem Nolatum<sup>6)</sup>.

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. 13.

<sup>2)</sup> Migne, P. L., Tom. 12.

<sup>3)</sup> M. Ferotin, Revue d. quest. hist., Oct. 1903, 367 sq. A. Bludau, Der Katholik, 1904, p. 61, 81, 167. Cf. A. Poncelet S. J., Analecta Boll., XXIII, p. 98 sq. Itinerarium Eucheriae, Rev. Bénéd., 1908, p. 458 sq.

<sup>4)</sup> Migne, P. L., Tom. 14—17. Ed. Maurin., Parisiis 1686—1690. fol. 2. Baunard, St. Ambroise, Paris 1871. *De Broglie*, St. Ambroise, Paris 1899. Duchesne, Hist. anc. de l'Egl., II, 464. P. de Labriolle, Saint Ambroise, Paris 1908. Fr. v. Ortroy, Les vies grecques de St. Ambroise, Milano 1897; cf. Anal. Boll., XXII, p. 417—422.

<sup>5)</sup> Migne, P. L., Tom. 59—60. Tüb. Quart., 1894, 77—125. Ed. Dressel, 1860, Bardenhewer, II, 341.

<sup>6)</sup> Migne, P. L., Tom. 61. Reinelt, Studien über die Briefe des H. Paulinus von Nola, Breslau 1904. A. Baudrillart, S. Paulin, Évêque de Nole, Paris 1905. J. Brachat, La correspondance de S. Paulin de Nole et de Sulpice Sévère, Paris 1906.

**Sulpitius Severus** († verisimiliter 420—430), unus e clarissimis suae aetatis scriptoribus, reliquit gravis momenti *Chronicon* *libros duos*, *Vitam S. Martini* etc.<sup>1)</sup>.

**Rufinus** († 410), bonus historiarum scriptor, praesertim laudandus, quod opera Graeca in latinum sermonem vertit<sup>2)</sup>.

**Hieronymus** († 420), natus Stridone in Pannonia, omnium fuit patrum doctissimus. Studiis vacavit Romae, Treviris et Constantinopoli. Tribus annis labori penes Damasum papam datis, migravit Bethlehem, ubi annis 386—420 consedit. Opus ejus princeps est versio S. Scripturae et interpretatio. E scriptis historicis magno pretio habenda sunt: *De viris illustribus* et *Chronicon*. Opera ejus dogmatica omnia sunt indole polemica. Pulcherrimae ejus epistolae fortasse prae reliquis scriptis assidua manu versabantur. Dicendi ratione unus e praestantissimis antiquitatis scriptoribus fuit Hieronymus<sup>3)</sup>.

Qui autem proprietate excogitandi et multiplici ingenii varietate pree omnibus eminet patribus, **Augustinus** († 430) fuit, unum e praecellentissimis omnium temporum ingeniis. Felicissimam indolem excoluit Tagastae, in urbe sua natali, et Carthagine. Juvenili aetate (374) Manichaeismo se dedit. Postea Mediolani conversus (387), in Africam rediit, atque ad magnam sanctitatis perfectionem pervenit. Annis 396—430 episcopus fuit Hippone Regio. Omnem suam operam eo tempore posuit in impugnandis Donatistis, Pelagianis et Semipelagianis. Ubertate solus Chrysostomus, acumine mentis nemo ei fuit par. Nemo adeo veram interioris vitae humanae imaginem exprimere valuit. Vocatur *doctor gratiae*. E patribus nemo tantopere posteriorum temporum philosophiae ac theologiae rationem praeformavit. Spectatissima ejus opera sunt *De Civitate Dei* et *Confessiones*<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. 20. Ed. Halm, Vindeb. 1866. Bardenhewer, II, 356.

<sup>2)</sup> Migne, P. L., Tom. 21. Bardenhewer, II, 359.

<sup>3)</sup> Migne, P. L., Tom. 22—30. Ed. Vallarsi, Verona 1734—42, fol. 11. Callombet, Histoire de S. Jérôme, Paris 1844, 2 vol. St. v. Sykowski, Hieronymus als Litterarhistoriker, Kirchengeschichtliche Studien, Münster 1895. Largent, St. Jérôme, Paris 1899. Sanders, Etudes sur S. Jérôme, Bruxelles 1903. G. Griitzmacher, Hieronymus. Eine biographische Studie zur alten Kirchengeschichte, 3 Bnde, Leipzig-Berlin 1900—1908. G. Harendza, De oratorio genere dicendi quo Hieronymus in epistolis usus sit, Breslau 1906.

<sup>4)</sup> Migne, P. L., Tom. 32—45. Ed. Coustant, Parisiis 1679—1700, fol. 11. Böhringer, St. Augustinus, Stuttgart 1877—78. Hatzfeld, St. Augustin, Paris 1897. Martin, St. Augustin, Paris 1901 (opus philosophicum). Portalie, Art. Augustin in Dict. de theol. cath.

Ex amicis et discipulis S. Augustini referendi sunt: **Marius Mercator** († circa 451), qui Constantinopoli scripsit contra Pelagium et Nestorium<sup>1)</sup>; **Orosius** († post 417), cuius est opus princeps *Historiarum adversus paganos libri septem*<sup>2)</sup>; laici duo **Prosper Aquitanus** († 463) et **Hilarius**, qui renuntiabant Augustino de impugnata sua doctrina in Gallia meridionali<sup>3)</sup>. Prior ille Augustini mentem accuratius perspexit mitigavitque hinc inde ejus doctrinam<sup>4)</sup>. In Gallia quoque degebat **Cassianus** (circa 435), auctor *Collationum Patrum et Institutorum coenobiorum*<sup>5)</sup>. Tum etiam **Eucherius Lugdunensis** († circa 450), cuius *Formulae spiritalis intelligentiae* frequenter legebantur<sup>6)</sup>. Frequentius lecta sunt *Commonitoria Vincentii Liricensis* († 450)<sup>7)</sup>.

Cum Gregorio I praestantissimus antiquitatis Papa fuit **Leo I** († 461). Scripsit orationes 96 multasque epistolas. Orationes eminent venustate sermonis, gravitate sententiarum et sono stiloque festivo. *Epistola dogmatica* est celeberrima; *Sacramentarium Leonianum* ab eo conscriptum non est<sup>8)</sup>.

**Petrus Chrysologus** (verosimiliter † 450), orator praeclarus, multum legendo frequentabatur<sup>9)</sup>, sicut etiam **Maximus Taurinus** († post 465)<sup>10)</sup>.

3º. **Auctores Graeci a medio saeculo V ad exiens saeculum VII**: Severiani, qui vocati sunt a **Severo** monophysita, congressi, anno 531, Constantinopoli cum orthodoxis, provocarunt ad opera **Dionysii Areopagite**. Disceptatum quidem multum, sed nondum in comperto est, quis fuerit horum scriptorum auctor. Constat esse confecta circa annum 500. Eo quod medio aevo Areopagite, S. Pauli discipulo, adjudicarentur, frequenter legebantur multumque influxerunt in theologiae

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. 48.

<sup>2)</sup> Migne, P. L., Tom. 48. Ed. Zangemeister, Vindeb. 1882.

<sup>3)</sup> Migne, P. L., Tom. 33, 1007—1012.

<sup>4)</sup> Migne, ibid., Tom. 51. Valentin, Saint Prosper d'Aquitaine, Paris 1900.

<sup>5)</sup> Migne, P. L., Tom. 49—50. Ed. Petschenig, Vindeb. 1886.

<sup>6)</sup> Migne, P. L., Tom. 50.

<sup>7)</sup> Migne, P. L., Tom. 50, 637—686. Reilly, Etudes sur la règle de foi de S. Vincent de Lérins, Tours 1908. P. de Labriolle, Saint Vincent de Lérins, Paris 1906. H. Koch, Vincenz von Lerin und Gennadius, Leipzig 1907.

<sup>8)</sup> Migne, P. L., Tom. 54—56. Ed. Ballerini, Ven. 1753—1757, fol. 3.

<sup>9)</sup> Migne, P. L., Tom. 52.

<sup>10)</sup> Migne, P. L., Tom. 57.

rationem. Auctor est praecellenti ingenio christianus, e schola Neo-Platonica<sup>1)</sup>.

Languida hac aetate strenuus pugnator exstitit **Leontius Byzantinus** († circa 543). Scripsit *Adversus Nestorianos et Eutychianos libros tres*<sup>2)</sup>. Memorandi quoque sunt **Justinianus** imperator († 565)<sup>3)</sup>; **Romanus**, unus e praecipuis Ecclesiae Graecae poetis, ineunte fere saeculo VI<sup>4)</sup>; **Cosmas Indopleustes**, qui scripsit circa annum 547 *Topographiam christianam*<sup>5)</sup>. **Sophronius Hierosolymitanus** († 638) nobilis impugnator monotheletismi, orator et poeta, simul cum Joanne Moscho scripsit *Pratum spirituale*, quae sunt coaetaneorum pia exempla<sup>6)</sup>. **Joannes Climacus** (circa 600) notus auctor est *Scalae paradisi*<sup>7)</sup>. **Maximus Confessor** († circa 662) primus fuit et omnium celeberrimus monothelitarum impugnator. Scripsit inter alia *Mystagogiam* et commentarium in *Dionysium Areopagitam*, ac pro recta fide morti se objecit<sup>8)</sup>. *Chronicon Paschale*, Heraclio (610—641) imperante confectum, e chronicis christianis unum est amplissimum<sup>9)</sup>.

**4º. Scriptores latini a medio saeculo V ad exiens saeculum VII:** Ordine temporis primus memorandus est **Salvianus Massiliensis** († circa 480), qui librum insignem, etsi modum nonnihil excedentem, scripsit *De Gubernatione Dei*<sup>10)</sup>. **Faustus Rejensis** († 490) semipelagianus fuit; attamen acriter impugnavit Pelagianos et praedestinatianos<sup>11)</sup>. **Gennadius Massiliensis** († circa 485) persecutus est Hieronymi opus *De viris illustribus*, composuitque librum *De ecclesiasticis dogmatibus*<sup>12)</sup>.

<sup>1)</sup> Migne, P. G., Tom. 3—5. Ed. Corderius, Antverpiae 1634. Stiglmayr, Programm der Stella matutina von Feldkirch, 1895. Hist. Jahrb. der Correspond., 1895. H. Koch, Pseudo-Dionysius Areopagita in seinen Beziehungen zum Neuplatonismus und Mysterienwesen, Mainz 1900.

<sup>2)</sup> Migne, P. G., Tom. 86.

<sup>3)</sup> Migne, P. G., Tom. 86.

<sup>4)</sup> Byzantinische Zeitschr., Tom. XV (1906), p. 1—44; 337—340. Krumbacher, Geschichte der Byzantin. Litter., München 1897, p. 668.

<sup>5)</sup> Migne, P. G., Tom. 88.

<sup>6)</sup> Migne, P. G., Tom. 87. Revue de l'orient chrétien, 1902.

<sup>7)</sup> Migne, P. G., Tom. 88.

<sup>8)</sup> Migne, P. G., Tom. 90—91. Ed. Combefis, Paris 1675.

<sup>9)</sup> Migne, P. G., Tom. 92.

<sup>10)</sup> Migne, P. L., Tom. 53. Ed. Pauly, Vindob. 1883.

<sup>11)</sup> Migne, P. L., Tom. 58. Ed. Engelbrecht, Wien 1891.

<sup>12)</sup> Migne, P. L., Tom. 58. B. Czapla, Gennadius Litterarhistoriker, Kirchengesch. Studien, Münster 1898.

**Caesarius Arelatensis** († 542), qui praefuit Arausicanae Synodo, (529) et meruit egregie de eloquentia populari<sup>1)</sup>. **Patricius** († circa 493), Hiberniae apostolus, *Confessionem* scripsit et *Epistolam ad Coroticum*<sup>2)</sup>. **Victor Vitensis**, anno 486, edidit celebrem *Historiam persecutionis Africanae provinciae*<sup>3)</sup>.

Prae omnibus hac aetate strenuus arianismi et pelagianismi impugnator fuit **Fulgentius Ruspensis** († 533), maximus sui temporis theologus. Opus ejus princeps est : *De fide seu de regula verae fidei ad Petrum*, dogmaticae theologiae compendium<sup>4)</sup>.

**Ennodius Papiensis** († 521) rhetor fuit, episcopus, scriptor soluto sermone et versibus. Ejus opera humiliorem locum tenent<sup>5)</sup>. Celeberrimi sunt **Boetius** et **Cassiodorus**. Prior († 624) senator fuit, consul et consiliarius Theodori regis, qui eum proditionis incriminatum capite damnavit. Inter alia ejus scripta celeberrima est liber *De consolatione philosophiae*, in carcere conscriptus<sup>6)</sup>. Alter († circa 570) Theodori aulam reliquit, futurus monachus in monasterio ab ipso condito, cui nomen *Vivarium*. Ejus scripta sunt ad usum hominum sui temporis accommodata. Historici momenti sunt *De origine actibusque Getarum* et *Historia ecclesiastica tripartita* (*Socrates*, *Sozomenus* et *Theodoreetus*)<sup>7)</sup>.

**Facundus Hermianensis** defendit tria capitula: *Pro defensione trium capitulorum*<sup>8)</sup>. **Gregorius Turonensis** († 594), historiarum scriptor ingenuus et aliquantum criticus, magna gaudet auctoritate. *Historia Francorum* opus est unum ex universae litteraturae historicae gravissimum<sup>9)</sup>. **Venantius Fortunatus** († circa

<sup>1)</sup> Migne, P. L., Tom. 39 et 67. *Malnory*, Saint Césaire d'Arles, Paris 1894. P. Lejay, Saint Césaire, évêque d'Arles, Paris 1897. Cf. Dom Marin, Revue Bénédict. Tom. X (1893), p. 62—77 et passim.

<sup>2)</sup> Migne, P. L., Tom. 53.

<sup>3)</sup> Migne, P. L., Tom. 58. Ed. Petschenig, Vindob. 1881.

<sup>4)</sup> Migne, P. L., Tom. 65. Ed. Mangeant, Paris 1684.

<sup>5)</sup> Migne, P. L., Tom. 63. Ed. Hartel, Vindeb. 1882. Cf. S. l'Eglise, S. Ennodius et la suprématie pontificale au VI siècle, Paris 1906 (trad. franç.).

<sup>6)</sup> Migne, P. L., Tom. 63—64. Stimmen aus M. Laach, Tom. 39 (1890), 374 sq. G. Boissier, *Le Christianisme de Boèce*, Paris 1889,

<sup>7)</sup> Migne, P. L., Tom. 69—70. Ed. Garet, Rouen 1679. Batiffol, Art. Cassiodore in Dict. de théol. cath.

<sup>8)</sup> Migne, P. L., Tom. 67.

<sup>9)</sup> Migne, P. L., Tom. 71. Ed. Ruinart, Parisiis 1699. Lecoy de la Marche, De l'autorité de Grégoire de Tours, Paris 1861.

603) notus poeta est. Pulcherrimi sunt ejus duo de passione hymni: *Pangue lingua gloriosi et Vexilla regis*<sup>1)</sup>.

Prae his omnibus eminent **Gregorius Magnus** († 604). Pontificiis laboribus plus quam praedecessorum quisquam incumbens, insuper propter scripta factus est unus e quatuor maximis doctoribus Ecclesiae Latinis. De *Registro*, cuius tantum excerpta supersunt, adsunt 848 epistolae. E reliquis operibus celeberrima sunt: *Liber Regulae pastoralis*, qui statim in linguam Graecam, et, *Alfredo* († 901) Angliae rege, in linguam anglosaxonicam versus est; *Expositio in librum Job, sive Moralium libri XXXI, Dialogi et Sacramentarium Gregorianum*. Utrum tamen hoc, an *Sacramentarium Gelasianum* a *Gregorio* compositum sit, in incerto manet<sup>2)</sup>.

**Liber Pontificalis**, continens gesta Summorum Pontificum, non est ab *Anastasio bibliothecario* auctore, sed per intervalla a pluribus confectus. Pars vetustissima, usque ad obitum *Felicitis IV* (530), composita est *Bonifatio II* (530—532) pontifice. *Catalogus Liberianus* (usque ad *Liberium regnante*) hujus partis fons fuit aut fundamentum. Summaria autem hujus primi operis sunt *Catalogus Felicianus* et *Catalogus Cononianus*, in quo continuatur opus usque ad obitum *Cononis* Pontificis († 687). Varii auctores postea *Librum Pontificalem* prosecuti sunt usque ad *Hadrianum II* († 872), seu potius usque ad *Stephanum V* († 891), tribus pontificibus omissis. Pro intervallo saeculi VI ad IX *Liber Pontificalis* fons primi ordinis est, non tamen altera hujus operis pars<sup>3)</sup>.

**Isidorus Hispalensis** († 636) optime meruit regenda ecclesia sua, episcopus, et scribendis libris auctor, omni sui temporis scientia imbutus, atque ubertate scriptorum prae omnibus antiquitatis auctoribus hispanis excellens. Eminentiora sunt *Etymo-*

<sup>1)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 88. Ed. *Leo et Krusch* (Mon. Germ. hist., Auct. antiquiss. T. IV). Gallice a *Nisard*, Paris 1887.

<sup>2)</sup> *Migne*, P. L., Tom. 75—79. Ed. *Maurin*, Parisiis 1705. *Wolfsgruber*, *Gregor der Grosse*, II Aufl., Ravensberg 1896. *Dudden*, *Gregory the Great: his place in history and thought*, London 1906.

